



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli Carafa Episcopi Aversani Commentaria De  
Germania Sacra Restavrata, sub Summis PP. Gregorio XV,  
& S. D. N. Urbano VIII. Regnante Aug. & Piiss.mo Imp.  
Ferdinando Secvndo**

**Carafa, Carlo**

**Coloniae Agrippinae, 1639**

Commentaria De Germania Sacra Restavrata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13087**

I

C O M M E N T A R I A  
D E  
G E R M A N I A S A C R A  
R E S T A V R A T A.



E Roma discedente ad obeundam Germanicam Nuntiaturam, talis erat Europæ status; quem breviter sine ira, & odio ( quorum causas procul habeo ) ideo referre volo, ut tractaturus de Germania Sacra Restaurata, cum faciliori Lectoris intelligentia possim assequi optatum finem. Pax in Italia regnabat, licet ob Vallem-Tellinam femina belli jacta essent. In Germania pericula, & tumultus undequaque, nec victoria Pragensis potuerat extinguere atrox bellum; quod sacrum, & non satis laudatum contra Hugonottos erat in Gallia; Hispania ob unitatem veræ, & Catholicæ Religionis summa pace fruebatur, quamvis illius Rex contra infideles, & hæreticos in aliis Provinciis orientalibus, & occidentalibus per suos Duces belligeraret. Polonos vexabant Tartari, Swecii, & Moscovitæ, qui tamen domesticis dissensionibus non carebant. Anglia pacem intra, extra vero, contra Germanos bellum habebat. Danimarcha, & Norvegia, quamvis frigiditate aeris Septentrionalis insensibiles videbantur, attamen ignem belli, ut postea patefactum est, sub cinere fovebant. Turcicum Europæum Imperium, sub cujus clientela erat Tartarus Percopeus, Moldavus, & Transilvanus, gloriabatur de sua potentia, propter quam non apertum bellum in viciniis patiebatur, attamen molestabatur à Cosacchis, gente paupere, & collectitia, licet belligera, & animosa, unde maximum, & periculosum timebatur bellum. Romæ mortuo optimo Pontifice Paulo Quinto, unanimi Cardin. consensu, die 13 Februarii fuerat electus in summum universalis Ecclesiæ Pastorem Alexander Cardinalis Ludovisus, qui fatale

nomen pietatis, religionis, liberalitatis, nec non acerrimi hostis contra infideles, & hæreticos, Gregorii Decimi quinti assumserat, & quæ ad propagationem Fidei, & ad extirpationem hæresium, præsertim ex Germania diu animo conceperat, ( præpeditus tamen Dei permisso, & hominum voluntate, ob non collatas, multo ante illi debitas dignitates) statim promovere conatus est, ut infra referemus. Eundem sacrum zelum, & ardorem quamvis implicitus multis bellis, & periculis habebat Ferdinandus Secundus, qui electus Cæsar Francofurti die 28 Augusti anni 1619, Occidentale regebat Imperium, vere pius, vere fœlix, vere Germanicus, Saxonicus, Cymbricus, Vngaricus, Turcicus, & merito nemini antecessorum Cæsarum, qui pronomen à magnitudine rerum gestarum habuerunt, secundus.

Ferocem Turcarum gentem, & Imperium regebat maxima ferocitate ferocissimus adolescens Osmanus, contra quem si Deus non extendisset manum suam, modo terribili, & in domo Ottomanica nunquam experto, majora forsitan intulisset Christianitati damna, quam non intulerant Solimanus, Selimus, Mahometes Secundus, & alii illius parentes. Timuit ideo invictissima Respublica Polonica, cum ei paulo ante mortem bellum cum sexcentis millibus armatis ferox Osmanus intulisset, cujus gubernacula regebat Sigismundus Tertius, Rex non minus longo dominatu, & experientia rerum, quam summa pietate admirabilis. Eodem tempore finitimis populis Sweciis, Gothis, & aliis Gostavus; Danicis, & Norvegicis Christianus quartus imperabant; ille avidus gloriæ, fortis, & fœlix in bello, antiquæ Gothorum gloriæ restaurator sibi nomen assumpserat; iste Dux potens, & prudens existimabatur, cujus tamen virtutem Germania, Lydius quasi lapis, famæ imparem declaravit. Iacobus II, cujus Imperio sub nomine magnæ Britanniæ, Angli, Scoti, Hiberni subiecti erant; licet tunc temporis à nonnullis ob propensionem ad litterarum, & pacis studia ludimagister appellaretur; velabat tamen, ut postea innouit, summa prudentia, & politica his artibus impotentiam, ut sustineret existimationem, qua deperdita ut  
pluri-

plurimum perire solent Regna. Denique in tota Gallia regnabat Ludovicus XIII, religione, & pietate alteri Divo Ludovico non absimilis, & in re bellica dignus Henrici parentis filius. In Imperio vero Hispanico, cui nunquam sol occidit, mortuo paulo ante Philippo III, Sanctissimo Principe, successerat Philippus IV, ætate juvenis, expectatione magnus, verus Philippi II nepos, & Caroli V pronepos.

In hac rerum, & Principum constitutione sedes belli, & discordiarum erat Germania, ad quam ex omnibus Orbis partibus concursus fiebat populorum, cum ex illa salus, vel interitus in negotiis sacris, & profanis expectaretur; hinc divisa reperiebatur, immo pro ea, tota Europa, in duas partes, in Cæsarianos videlicet & Palatinianos. Prioris caput erat Ferdinandus Cæsar, & cum eo Bavarus; Saxo, Electores Ecclesiastici, Liga Catholica, & alii Principes minores simul cum externis, Rege Hispaniarum, Rege Polonia, Infante Isabella Belgarum, & aliis collegatis cum Domo Austriaca. Posterioris erat Palatinus Federicus Quintus, cui ad hærebat Elector Brandenburgicus, Palatinus Neoburgicus, Dux Bipontinus, Ioachimus Ernestus, & Christianus fratres Marchiones Brandenburgici, Dux Wittenbergicus, Mauritius Landgravius Hassiæ, Marchio Durlacensis, Princeps Anhaltinus, Civitates Imperiales confederatæ, & Ansiaticæ; secreto vero Dux Brunsvicensis, Megapolitanus, Pomeranus, & alii Principes circuli Saxonæ inferioris. Ex exteris vero Anglus, Danus, Swedus, Ordines confederatarum Provinciarum Hollandiæ, Gabor, Turca; & quod maxime dolendum erat, etiam aliqui Principes Catholici.

Causa, & origo istarum discordiarum, præter solitam filiorum Adæ dominandi libidinem, fuerat hæresis, Lutherana præsertim, & Calviniana, præter alias minoris nominis, quæ ita irrepserant, ut omnes Principatus præter Tirolensem, Bavarum, & Salisburgensem, potius hæretici, quam Catholici existimarentur; & tamen Germania ante annum 1517 erat unius labii, sed suis libidinibus Civitatem, & novæ Religionis turrin erigere voluere Germani majori scelere,

quam Gigantum ; hinc lateres novarum opinionum à Catholicis dogmatibus abhorrescentium, hinc bitumen cujusdam suadelæ mirum blandientis in excidium paraverunt, ut sin minus folium Dei, Dei certe Vicarii sedem destruerent; sed cū opus aggredierentur, qui habitat in Cœlis irrisit eos, & Dominus subsannavit illos inmissione dissensionis, diffidentia, & spiritus mendacii.

Commentaria hæc nostra insignes plurium mutationes Principum, Ducum, Heroum, & Rerum publicarum claudent, & quomodo illa mala, quæ desperata videbantur, curata fuerint per obtentas celeberrimas Cæsaris, & Catholicorum Principum victorias, per noxii emissionem sanguinis, per maximam etiam sollicitudinem in hac nostra Nuntiatura apud Augustissimam Majestatem octennio impensam, ac tandem per assiduos Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum, ac Religiosorum non inutiles labores in eradicatione adeo inveteratæ hæresis collocatos, quæ ut facilius intelligantur, rem omnem altius, sed brevissime exordiar.

*Luthera-  
na hæresis  
origo.*

Malum, quod præterito sæculo, & præsentī, usque ad annum 1629, miseram Germaniam affligerat, exordium duxit anno 1517. Ex invidia enim, & indignatione, quod Ioanni Tetzelio Dominicano commissæ fuisset indulgentiarum promulgatio, cœpit Martinus Lutherus, Ord. S. Augustini Lector ordinarius Wittenbergæ, in immodicos quæstus, & abusus indulgentiarum invehi, non tamen in ipsas indulgentias, quas adhuc probabat, ut semper in timore, & tremore salutem operaremur: postea vero mentem magis renudavit in 95 propositionibus disputationis tantum gratia propositis. Verum multos decepit triennio integro simulata Lutheri humilitas, & erga Pontificem reverentia: nam Leoni X scribens, se prostratum Sanctissimis illius pedibus, cuncta sua ei offerre, ut vivificaret, occideret, vocaret, revocaret, approbaret, reprobareret quodcunque placuisset; interim Friderico Saxonie Duci gratus, invehebatur in vitia Cleri, & Magistratus, ut populo plausum faceret, tantoque magis illius dictis fides adhibebatur, quanto evidentiora, &

& magis publica erant cleri vitia perniciosissima ; Romanam accersitus , diffidens suæ causæ , & timens personæ , in Germania iudices postulavit ; obtentoque Cardinale Cajetano , in Comitibus Augustanis coram illo , & Cæsareis Consiliariis , palinodiam dictorum , & scriptorum cecinit , professusque fuit se sequi Sanctam Romanam Ecclesiam , illam se dixit velle colere in omnibus præsentibus , & futuris temporibus : postea instante Card. ut in specie aliqua revocaret , & missa faceret quæ perturbationem causarent ; respondit , se non meminisse alicujus , quod contra Sacram Scripturam , contra Sanctos Patres , aut decreta Pontificum foret , offerens se velle sua submittere iudicio Vniuersitatum , Basiliensis , Friburgensis , Lovaniensis , & Parisiensis : ac tandem à Cardinali ad Romanum Pontificem appellavit , Augustaue sese subduxit. Disputatur postea cum Eckio , & Lutherus Cæsari Carolo V se , suamque causam , frustra tamen , commendat ; & à Pontifice longe aliter , quam ipse docebat , iudicante , provocat ad Concilium ; immo contra Pontificem scriptum edit ad Cæsarem , & nobilitatem Germaniæ ; nec satis se fecisse ratus , Ius Pontificium Wittenbergæ publice incendit : Scribit in Colonenses , & Lovanienses , editque librum de captivitate Babylonica , in quo Bohemos ab hæresi liberat , aliosque Catholicos hæreseos insimulat. Accusatur anno 1521 Lutherus Wormatiæ , tanquam in Imperio publicæ pacis perturbator , sed eum defendit , & protegit Saxo , suadetque ut sub fide publica evocetur non tantum Cæsaris , sed etiam aliquot Principum , qui pro homine fidejusserunt : mandantes tamen , ut interim in itinere nec concionaretur , nec scriberet ; concionatus tamen fuit Erphordii contra Cæsaris edictum , Wormatiæ tamen modestior , libros à se scriptos agnovit , & ad illorum retractationem se paratum fore dixit ; si testimoniis Scripturarum convinceretur : quæ cum obstinate dicerentur , Cæsar mentem suam incontaminatam declaravit , præcepitque ut reduceretur , quo fides esset integra , sed iussit moneri hominem , ut à turbis , & concionibus abstineret. Lutherus Alstadium à Saxonæ Ducis custodia ductus , mox ibidem

*Appellat  
ad Vni-  
versitates*

*Comitia  
Wormatiæ.*

ibidem contra Parisienses, & contra D. Thomæ Scolaſticam Theologiam ſcribit, paulo poſt Sacram Scripturam in Germanicum idioma ad genium ſuum vertit, ac Caroloſtadium, Melanchtonem, Ionam, Seurfium, Amsdorphyum, aliosque diſcipulos nanciſcitur, & inſtruit, ſcholas claudi jubet; in Henricum Angliæ Regem invehitur; ſe Euangeliftam nominat: omnibus etiam ſceminis munus euangelizandi concedit. Comitæ Norimbergæ indicuntur; quo tempore jam Principes aliquot Lutherani errores fidei cum politicis miſcebant, multaque jaſtabant ad conſlandam invidiam Pontifici, & Clero.

*Zwinglius  
in Helve-  
tia.*

Interim in Helvetia Zwinglius quidam eam gentem ad res novas concitare cœperat, cujus dogmata ſoli Tigurini ſequebantur; alii vero in Comitibus Lucernæ habitis, cæremonias, & inſtituta antiqua inviolata ſeryari mandarant. Zwinglius mox ut manum calamo admovit, diverſam à Luthero doctrinam edidit, aliam Caroloſtadius ab omnibus diſcrepantem, idem præſtitere Anabaptiſtæ politicum Magiſtratum ejurantes. Lutherus dolore, iraque ſuccenſus, relinquens obſcuriores diſceptationes, librum de ſcœnore, & uſura germanice evulgat, & Magiſtratus non parum fugilat, Principes, & Reges ſocios furum appellat: quæ prolixius proſequitur applaudente Luthero Thomas Muntzerus inſignis populi irritator, præterea Lutherus apoſtaſiam Religioſæ fugitivæ defendit publico ſcripto, omnibusque voto obligatis, viam carnis, & libertatis referat, ac tandem in dictis Comitibus Norimbergæ, ubi de ſubſidio contra Turcas agebatur, Turcam decies eſſe meliorem, ac prudentiorem, quam Chriſtianos Principes divulgat; hos vocat ſtolidos, fatuos, inſanos, amentes, & moriones, quæ cum confirmaret Muntzerus, & Phiferus, jamque erumperent Buceriani, Melanchtonici, Pomerani, Zwingliani, aliique quamplures votorum deſertores duce Caroloſtadio, qui recenter, & primus quidem meretricem ſuam

*Incenſores  
belli ruſti-  
cani anno  
1526.*

duxerat in nuptiis: ruſtici ſaltantes, & bibentes conjurarunt; pauloque poſt ſeditio ruſtica adverſus Magiſtratum exorta eſt in Algæa, ac fere in omnibus Swe-

vix

viæ locis , ad Rhenum , in Alsatia , in Franconia , in Thuringia , in Salisburgensi agro , & alibi , quorum is erat scopus , ut Principes omnes extinguerent , & novam Religionem inveherent , seque à tributis liberarent ; ducentas arces in sola Franconia demoliti sunt ; sed cum sese nobiles strenue opposuissent invocatis Swevici fœderis auxiliis , eorumque Duce Georgio Trucesio , Ludovico Palatino , Conrado Wittembergico , Antonio quoque Lotharingico Duce , ejusque fratribus , spatio trium mensium plusquam centum milia rusticorum interierunt . Muntzerus , ejusque socii Mulhusii capti pœnam capitis subierunt . In Urbibus etiam eodem fere tempore tumultuatum fuit , Francofurti , Moguntia , Wormatia , Spira , & Colonia cives in Magistratum surrexerunt , leges , & fidem sibi ipsi præscripserunt , multisque in locis libertatem credendi postularunt , & impetrarunt , quibus omnibus fatebatur Lutherus se classicum cecinisse .

*Tumultus  
Civitatum*

In publico hoc Germaniæ luctu Lutherus celebrat sacrilegas nuptias , abominaturque Canonem Missæ , & passim ad omnes Principes scribit , ut illius doctrinam amplectantur . Primus ex Principibus Luthero publice voto effracto sacrilege adhæsit Albertus Brandenburgicus , Ordinis Teutonici Magister , ducens uxorem Dorotheam , Regis Daniæ filiam . Illius exemplum inculcavit Lutherus Alberto Archiepiscopo Moguntino , rogavitque , ut Episcopatum in civilem Magistratum converteret : similia constantissimo Georgio Saxoniam Duci nisus est , sed frustra , persuadere . Principes tamen Lutherani anno sequenti habentes Comitiam Spira , denegatis sibi Ecclesiis in palatio suo publice conciones Lutheranas haberi jusserunt , plebemque ad illas , indulgentibus Episcopis , invitarunt .

*Apostasia  
Alberti  
Brandenburgici*

Quo tempore in eadem causa versabantur Helvetii , plerumque plebeji à Conrado Pellicano apostata seducti . Badena disputatio erat instituta à Catholicis , & Sacramentariis , sed in illa Catholici triumpharunt , quare Helvetiorum pagi Decretum de constanti fide catholica ediderunt , illique parere se velle dixerunt omnes , Tigurinis exceptis : paulo post tamen Bernates

dispu-

disputationem repetierunt invitis Episcopis, atque Cæsare, quæ tandem illum finem habuit, ut præscriptis iniquis legibus contra Catholicos, & plausibilibus pro sectariis; missas, aras, & statuas aboleverint. Lutherus interim in Anabaptistas grassantes ferebatur: & sub specie illos arcendi universam Catholicam Religionem destruebat, illos Pontificiis comparabat, & magis Pontificios, quam illos, tecto tamen fine, laudabat, ne gravius Principes offenderentur: magna instantia, apud Papam fatebatur esse veram Scripturam, verum Sacramentum Altaris, veras Claves ad remittenda peccata, verum verbi ministerium, & verum Catechismum; imo illius suavis visitatio Saxonica fuit instituta, in qua, ut refert Melancthon, Lutherus multa correxit, doctrinasque conformes Catholicæ Religioni tradidit de libero arbitrio, de Pœnitentia, de doctrina Legis, & de aliis punctis, magis adulatione, quam serio scriptis.

*Lutheri  
de Papa-  
tu testi-  
monium.*

Principes etiam Saxonici, & Landgravius Hassiæ, sibi à Catholicis metuentes, quasi jam foedus contra illos fuisset initum, militem conscribunt, qui ut exauctoraretur, à Principibus sacris Moguntino, Herbipolensi, & Bambergensi centum mille aureos extorserunt, illorum Diceceses, ni facerent, incendiis devastare molientes. Helvetii etiam supra modum Zwinglianismo infecti, passim novam doctrinam admiserunt. Cum Turcam Budam cepisse ex Vngaria allatum est, totamque Germaniam velle invadere, Ferdinandus Rex Comitiam Spiram evocavit, in quibus tanquam Cæsaris Vicarius ab Imperio subsidia exigebat, sed Principes Lutherani ibi palam ausi sunt subsidia denegare, nisi libertatem Religionis impetrarent; quare Ferdinandus publico Decreto indulgit, ut in Fidei, ac Religionis negotio eo modo se gererent, quo Deo, & Cæsari facti sui rationem possent reddere, nihil tamen innovarent usque ad Cæsaris adventum, vel Concilii celebrationem. Cum vero contra seditiosos, & bonorum Ecclesiasticorum invasores Decreta fecisset, iis noluerunt Principes subscribere, adjunctisque sibi aliquot civitatum Legatis, protestati sunt, unde postea

*Primum  
Interim  
an. 1529.*

*Protestan-  
tes unde.*

Prote-

Protestantium nomen usurparunt. Syndici postea ad civitates suas revertentes, multitudine sociorum confisi, multa mutavere, spreto Cæsaris, ejusque Vicarii auctoritate. Argentineses exemplo Basiliensium, qui Senatores duodecim loco moverant, & imagines destruxerant, primi fuerunt ex civitatibus Germaniæ, qui Religionem mutarunt, & summa libertate sese Cæsari opposuerunt, quibus mox Francofurtiani, & Wormatienses adhæserunt, Cæsare, ac Ferdinando contra Turcas Viennam obsidentes impeditis.

Argentineses, ne punirentur, cum Tigurinis, Bernatibus, & Basiliensibus fœdus pepigerunt, quod ægrius tulit Imperium. *Argentinesium fœdus.* Quare non destiterunt aliqui Principes illos monere, sed frustra: confirmabantur enim à plerisque aliis Protestantibus, qui paulo ante Spiræ convenerant, & de fœdere contra Pontificios ineundo deliberaverant; solum illis impedimento erat diversitas doctrinæ inter Lutheranos, & Zwinglianos, quam semel Marpurgi, & postea Swabaci conciliare studuerant: nihilominus tamen postea inter civitates, & Principes conventum fuit, ut Pontificiis se opponerent. Cæsar etiam jus suum in eos exequi differebat, satisque habebat, si occuparet Protestantium consilia, & vires recideret, sperans adhuc se posse poenitentiam ab ingratis extorquere. Quare Comitia Augustæ indixit, omnesque solemniter ad rem Germaniæ componendam invitavit. Tunc prius Protestantes Principes suos adhærentes, & civitatum Legatos Smalchaldium evocarunt, ut conceptum fœdus percuterent, & Confessionem in Comitibus Augustanis proponendam collatis consiliis cuderent.

Architectus illius fuit Philippus Melancthon, semper in suis doctrinis varius, neque tunc valde constans; fuit tamen Confessio tum Latine, tum Theutonice oblata Cæsari mense Julio, qui eam Catholicis examinandam proposuit; Catholici eam non valde adversati sunt, sed doctrinas varias, quæ ad eam referri poterant, & eam explicabant, recitare non omiserunt. Ipsam Confessionem deinde modeste edita alia saniore refutarunt, quam Cæsar, & Catholici omnes probarunt, *Offertur confessio Lutheranorum.*

roga-

rogaveruntque ut Lutherani cum illa sentirent; quod cum negassent se facturos, & jam metus ex talibus scissuris magis explicaretur, protestantur Lutherani, se non satis auditos, Catholicorum Confessionem esse minis plenam, tertio non satis intelligi, ac tandem ad Concilium provocarunt. Aliam deinde Confessionem obtulerunt Argentinenses, Memingenses, Lindavienses, & Constantienses; quam cum Cæsar pariter confutandam dedisset, puderetque ipsos Lutheranos suæ doctrinæ, sectas suas excusarunt, & novam, Lutheri, & Zwinglianorum erroribus conflata, Confessionem plasnaverunt. Cæsar vero cum Catholicis omnibus in Fide majorum constantissime se permanurum declaravit, & quamprimum sectariis occurrendum esse statuit; ideo Electores Coloniam in proximum Decembrem evocandos putavit. Landgravius, ut rebus suis, & sociorum consuleret, in sex annos proximos cum Tigurinis, Argentinensibus, & Basiliensibus fœdus percussit, ut mutuis se auxiliis contra omnem vim tuerentur. Saxoni deinde auctor fuit, ne Coloniam adiret. Imo, quo illum tueretur, rogat, ut Protestantes Civitates, & Principes Smalchaldium convenire patiatur. Smalchaldii xxii Decemb. fœdus ictum est, non ut quempiam, ut dicebant, invaderent, sed ut se, suamque Religionem defenderent.

Inde litteris ad Cæsarem datis summopere eum abterrire conantur, ne Ferdinandum fratrem in Romanorum Regem eligi patiatur, & ne quid acrius de Religione statuatur; in quem finem Saxo filium suum mittit Coloniam, qui coram protestetur, & alios Electores abducatur.

Anno  
1531 co-  
ronatur  
Ferdinan-  
dus.

Cæsar nihilominus pergens in concepta Electione Ferdinandum fratrem Regem Romanorum denunciari permittit, ac mox Aquisgranum coronandum deducit. Protestantes autem sub fine Martii rursus Smalchaldium conveniunt, acturi de Religionis defensione, & Regis Romanorum electione; atque ut utramque causam oppugnarent, Daniæ Regem, Ducem Megapolitanum, Brunsvicensem, Pomeranum, Luneburgenses, Lubecenses ad fœdus suum invitarunt;

uitarunt; sed illi tunc distulerunt subscribere, non tamen omnino detrectarunt. Hinc Lutherus libello edito foedus illud laudat, sive contra Cæsarem, sive contra alium fiat.

Francofurti tamen iterum congregati Principes, & Civitates nonnullæ, causam Religionis à causa Ferdinandi Regis separare nitebantur. Cæsar vero hos, & illos per Guilielmum Nassovium, Archiepiscopum Moguntinum, & Ludovicum Palatinum lucrari studebat. Lutherus interim scriptis contra Cæsaris Decretum Augustæ constantissime editum agebat, magisque Principum animos exacerbabat, quando neque hanc Cæsaris mentem fuisse docebat.

In Helvetia quinque pagi in Religione Catholica constantes à Tigurinis, ac Bernatibus vexabantur; nam annona excludebant, minas intendebant, & pacem pristinam corrumpabant; unde quinque pagi, Lucernates, Vranii, Swicii, Vntervaldii, ac Tugiani, se ad bellum componunt: Tigurini vero longe potentiores socios ex inopinato invadunt, sed in insidias perducti, 1500 è Tigurinis desiderati sunt, & in iis Zwinglius repertus est semivivus, qui paulo post expiravit, qua morte adeo doluit Oecolampadius, ut & ipse vita defunctus sit. Decima septima Octobris rursus Tigurini quinque pagos aggrediuntur, & iterum magna suorum clade superantur; quod egerrime ferentes, auxilium Basiliensium, Mullusianorum, & Sangallorum adsciscunt, tertioque prælium maximo impetu quinque pagis inferunt, in quo fugam etiam arripere coacti de pace agendum existimarunt, quam facile res Zwinglianorum afflictæ admiserunt.

*Bellum  
Helveticum.*

In Imperio Cæsar aliquibus Principibus permisit, ut Suinfurti cum Protestantibus convenirent, & de pace servanda agerent, sed cum nulla spes concordie appareret, alius Conventus Norimbergæ indictus fuit. Ratisbonæ vero Cæsar omnes Ordines evocaverat, ut auxilia contra Turcas impetraret, quæ tamen obtinere non potuit, nisi publica pax sanciretur, & usque ad Concilium cuilibet immunitas Religionis sponderetur; quod ubi Cæsar concessit, obsequium, & officium

B

contra

contra Turcas recepit. Infeliciter interim fortunam suam tentaverat reparare in Dania Christiernus, alias pulsus, & hoc anno captivus, imo paulo post præsentem veneno sublatus. Contra quem Ioannes Bugenhagius, quasi contra Catholicum, cum tamen Fidem deseruisset, libellum scripsit, ut plebis odium magis erga Catholicos concitaret.

*Moritur  
Ioannes  
Saxonia  
Electo.*

Mortuus etiam est Ioannes Dux Saxoniae, præcipuus Lutheri fautor, qui successorem reliquit filium Ioannem Fredericum, Luthero impense faventem, ad quem deinceps sua opuscula direxit, quod in causa fuisse putatur obstinationis Ioannis Frederici: nam Dux Georgius, cum illo agens, optimam spem eum reducendi conceperat, maxime ubi Legatus Pontificius Principes omnes Protestantes ad Concilium jam à Pontifice concessum invitabat: verum postea animadversum est Protestantes non solum, & legitimum, sed suæ libidinis Concilium velle admittere, quod Pontificem reum faceret, & Lutherum absolveret, quod solis Scripturis sacris, & quidem ad libitum explicatis inniteretur.

*Quale  
Concilium  
Protestan-  
tes.*

*Anglia  
periculum*

In Anglia interim semina turbarum jaciebantur ob repudiatam Catharinam Reginam, amore Annæ Bolenæ, propter quam Rex Henricus VIII deperibat, inveniens aliquot sui Regni proceres, qui matrimonium legitimum vocabant, remque Romæ discutendam, ac pro Rege pronunciandam esse confirmabant: alii vero hinc Religionem mutandam, & Romanos rejiciendos sperabant, atque in hunc finem Argentina, & ex Gallia Doctores sectarios evocabant. In Belgio etiam Anabaptistæ, è Germania superiore profligati ad urbem Monasteriensem Westphaliæ, sub diversa specie congregabantur, asyllum sibi statuantes, & technas fatales adornantes, quas tandem sub initio sequentis anni prorupta audacia detexerunt; mota et-

*Anabap-  
tist. insa-  
nia.*

enim seditione forum occuparunt; Senatuum loco moverunt; deinde bonis omnibus expoliatis urbe exegerunt; idem postea exilium omnibus civibus & Lutheranis, & Catholicis, nisi ipsorum sectam agnoscerent, imperarunt. Regem sibi tandem Ioannem Leidensem factorem præfecerunt, eique publicum thronum in foro

foro

foro collocarunt, futilemque Religionem sancientes, suos Apostolos Cosfeldiam, Susatum, Osnaburgum, & Warendorpium collegarunt; at urbem Episcopus obsedit, & obtinuit, dignaque pœna putativum Regem, & Apostolos castigavit.

Habebatur tunc conciliabulum hæreticorum Constantiæ, quo Bucerus Helveticos ministros, & Lutheranos evocaverat, ut sententias illorum de Cœna Domini conciliaret, hocque agebat, ut omnes verum Christum in Sacramento agnoscerent, quamvis alii illum in Cœlis, alii in terra esse dicerent. Lutherus interim ad Regem Angliæ, jam aliquo modo contra Pontificem commotum, scripsit librum de Missa Angulari, in quo Chrisma, coronas sacras, Sacerdotium, Episcopatus, & similia Ordinis Sacramenta, repudiavit, quæ tamen in Confessione Augustana agnoverat.

Non multo post sciens Rex Angliæ Pontificis de *Rex Anglia mutat Religionem anno 1534.* divortio improbato sententiam, totum se ab auctoritate Pontificis subducens, se ipsum supremum Ecclesiæ Britannicæ Caput constituit, sibi soli decimas, & alios sacros proventus persolvi imperavit, quod adeo gratum Germaniæ fuit, ut inde Principes Protestantes animos assumpserint, Cæsarem, & fratrem ejus Ferdinandum oppugnandi.

Landgravius enim Hassiæ, pactus cum Rege Galliæ, pro Vlrico Wittenbergensi, contra Ferdinandum Regem copias conscripsit, fugatisque iis, quas Ferdinandus nomine Philippus Palatinus habebat, dum Ferdinandus contra Turcas ageret, Vlricum in suam ditionem restituit, pacemque certis conditionibus à Ferdinando impetravit. Ditionem autem ut obtineret Vlricus, & ut Landgravio Hassiæ faveret, statim post restitutionem, Religionem mutavit; pulsisque Catholicis, Concionatores Lutheranos recepit: quod Ferdinandus dissimulandum putavit, quia jam sperabat pacem hac occasione cum Saxonie Electore hæcenus *Landgravius Hassiæ perisse bello Regem Ferdinandum*

Ferdinandum repudiante parario Moguntino ineundam, ut saltem ab illa parte non amplius impeteretur. Hac occasione Gallia Rex se in amicitiam Germanorum insinuavit, cumque jam in Italiam movere decre-

visset, illorum auxilium imploravit, & vicissim operam suam adjecit, sed carissime illam amicitiam emit; nam inde in Galliam Protestantes suos errores deduxerunt. Summe etiam lætabantur de successibus Regni Angliæ, ubi omnia, jus, decusque mutabantur, evertabantur cœnobîa, spoliabantur templa, vinculis coercabantur Catholici, & præcipui extremo supplicio afficiebantur. quare Germani partim Regis Angliæ, partim Regis Galliæ auxiliis fulti, impune, quicquid meditabantur circa Religionem, exequabantur. Pontificis Legato Petro Paulo Vergerio de Concilio prolixius agenti irriserunt, & rursus Mantuam excludentes, in Germania Concilium idonearum personarum, seposita Pontificis auctoritate, postularunt, inter idoneas personas Lutherum, Melanctonem, Bucerum, Pomeranum, similesque sycophantas reponentes.

*Mentio  
Concilii.*

Interim Synodum Zwingliani instituunt, & Lutherani cum Argentinensibus certam concordiam doctrinam componunt, ut indoctum vulgus imposturis decipiant. Principes postea sæculares audaciores effecti, cum in quæstionem vocarentur à Iudicibus Camerae ob bona Catholicorum invasa, eandem Cameraam cum suis Iudicibus abrogare satagebant, suosque Iudices substituere conabantur, non alio fine, quam ut impune Catholicorum fortunas invaderent, & patrimonium Christi occuparent, exemploque Anglorum universos Catholicos extirparent. Hoc ut clam ageretur, Protestantes bis congregati Smalchaldii, ad Cæsarem, in Italia bellis Gallicis implicatum, Legatos adornarunt, per quos significarunt Cæsari, se non cum Gallo, aut Anglo conspirasse, ut forte nonnulli deblaterabant; deinde Camerae judicium abrogari, & pacem foederi Smalchaldico concessam ad socios accedentes extendi petierunt. Sed Cæsar per Heldum, suum Consiliarium in Germaniam missum, Principibus renunciari iussit, quam variae indies querelæ contra invasores Ecclesiasticarum fortunarum deferrentur, & quam præpostere Protestantes indies Ecclesiasticos, præsertim monachos profligarent, apostatas reciperent, & varias turbas in Imperio concitarent.

*Legatio  
Protestan-  
tium.*

*Respon-  
sum Cæsa-  
ris.*

Insinua-

Infinuabat insuper, ne Camerae iudicium detrectarent, cum illa solam justitiam præ oculis habens, doceret suum cuique restituere, quod quam conforme esset Euangelio, tantopere, ac toties in clamato, volebat Cæsar, ut Protestantes considerarent. Hæc pia tanti Imperatoris monita spreverunt Protestantes, nihilque aliud, quam profligationem inutilis, ut dicebant, Cleri moliebantur. Quod ut obtinerent, suamque avaritiam, & sacrilegia tegerent, in Pontificem invehebantur, illiusque mores, ac doctrinam execrantes debachabantur, eumque, quasi neglecta Sanctorum Patrum doctrina Alcoranum profiteretur, aspernabantur; Hæc meliora monentem vacuum ad Cæsarem remittentes.

Ioachimus Elector Brandenburgicus Lutheri quidem doctrinam admiserat, sed tamen Cæsari, & Ferdinando Regi, & quidem familiarius, quam alii Principes, addictus, nondum enim foederi Smalchaldico nomen dederat, unice paci studebat, ratione cuius certas conditiones conceperat, in quas Saxoniam Ducem, ceteroque socios consentire volebat, sed frustra; nam illi tunc temporis novam ansam belli arripientes, Henricum Brunsvicensem opprimere studebant, ut ita Catholicos in inferiori Saxoniam extinguerent, suumque foedus magnis accessibus firmarent; itaque à Cæsare, & à Ferdinando Rege decretum contra Brunsvicensem postulant, addentes minas, nisi id impetrarent, se Goslarenses socios, actionem contra Brunsvicensem intendentes, non neglecturos. Interim scribam Henrici Brunsvicensis apprehenderunt; litteras, quas ad Moguntinum Archiepiscopum, & ad Cæsaris Legatum deferebat, referant, ac tandem exasperatis animis bellum intentant.

*Initia belli Brunsvicensis.*

Cæsar, ut illud præpediretur, aliquot mensium inducias concessit, voluitque ut pacis ineundæ ratio inveniretur, sed indies crescebant odia, contentiones, & diffidentia; nam hæretici nihil de violentia remittere, & Catholicis cedere ne in minimo quidem volebant. Obierat iis diebus Georgius Dux Saxoniam Catholicus, qui hætenus Misnia imperaverat, is hæredes scri-

*Inducia 15 mensium.*

*Mutatio  
Religionis  
in Misnia.*

psit fratrem suum Henricum, ejusque filium Mauriti-  
um ea conditione, ut in avita Religione manerent;  
sed statim mortuo Georgio, Henricus in omnia Mis-  
nia, Thuringia, & Saxonia oppida, quae Georgio paru-  
erant, Lutheri dogmata invexit, quo tempore Luthe-  
rus ipse Lipsiam accurrit, & Catholicam Religionem  
sua auctoritate, atque eloquentia abrogavit. Hac Cae-  
sar aegrius ferens, sed in Belgium evocatus, ut Ganda-  
vensium tumultus componeret, non nisi litteris, & Le-  
gationibus Germaniae Principes castigare poterat.  
Gandavum ob similes insolentias excurrerat Rex Fer-  
dinandus, consilia collecturus, qui Caesari Comitia  
suasit; verum cum nec illis Caesar posset interesse, illis  
Spiram evocatis Ferdinandum fratrem praefecit. Ce-  
lebrata sunt illa anno sequenti Haganoae ob pestem  
Spirae grassantem; ad Caesarem vero interim Smal-  
chaldici Principes Legatos submiserant, qui mode-  
stiam simulantes, vim deprecabantur, & rursus Judi-  
cium Camerae, quod solum illos cruciabat, abrogari  
postulabant. Eodem tractu temporis Legatos in An-  
gliam ad Regem submiserant, ut si forte vis aliqua a  
Caesare ratione Religionis inferretur, divergium ob-  
tinerent, quo Caesar in Belgio detineretur, sperantes se  
sic Caesare in Belgio detento, & Ferdinando contra  
Turcas occupato, posse impune in Germania domina-  
ri, & non solum Religionem quamlibet, sed quaslibet  
fortunas possidere.

*Legatio  
Proest. ad  
Caesarem.*

His spretis, Caesar serio de restituenda Religione in  
Germania deliberare coepit, si modo pacta a Gallo, &  
a Iuliacensi obtinere potuisset; illi enim inter se inito  
matrimonio novam tragediam contra Caesarem mo-  
liebantur. nihilominus Caesar hoc anno gravi Edicto  
proposito per omnes ditiones haereditarias Germaniae  
inferioris omnibus librorum Lutheri, aliorumque ha-  
reticorum lectionem interdixit, quod cum Smalchal-  
dici aegrius tulissent, Conventum instituunt, suosque  
Theologos Ionam, Pomeranum, Melanchthonem,  
Crucigerum, & Bucerum de corrumpendo Belgio  
consulunt, & certam doctrinam Angliae non absimi-  
lem componere moliuntur, ut facilius cum Anglis, &  
Belgis,

Belgicis, Gallisque convenirent. Verum post longas disceptationes concluderunt non esse discedendum propter Anglos, aut Belgas, à Confessione Augustana, quam tamen passim in omnibus deserebant, & ad Calvinii potius doctrinam temere accedebant. Verum itaque est, Lutheranos ab Augustana Confessione discessisse, nam libertatem arbitrii, Missæ Sacrificium, præsentiam Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, operum bonorum merita in Confessione Augustana agnoverant, à quibus tamen Lutherus, & Melancthon ipse postmodum deflexerunt.

Non omiserunt tamen Protestantes in proximis Comitibus Ratisbonæ librum edere, cuius auctor, aut saltem corrector fuit Bucerus, componendis, ut videbatur, rebus accommodatissimus; sed cum nec Protestantes, nec Catholici ea, quæ proposita erant, reciperent, omnisque disceptatio coram Legato Gaspare Contarino in lites recideret, concordia suum sortita locum non est. Cæsar ut Ungariæ suæ periclitanti consulere, & Pontifex veritus, ne Germani, neglecto Concilio jam indicto, aliquid deciderent, omnia in proximi Concilii sententiam rejicienda voluerunt. Protestantes tamen dum sibi cautum putarent, polliciti sunt se una cum aliis Imperii Provinciis auxilia contra Turcarum impetum collaturos. Hoc idem in binis aliis Conventibus Imperii Spiræ, ac Norimbergæ celebratis actum est, ubi semper ante belli Turcici subsidia, securitas sectarum postulata fuit; hoc enim modo Cæsar vel apud Turcas, vel apud hæreticos è suo jure decidebat.

Accessit his malis Bellum Gallicum duplex, partim in citeriorem Hispaniam, partim in Lucemburgensem agrum immissum; hoc Carolus, illud Henricus Regis filius procurabant. Præter hos Vindocensis Princeps in Atrebates Carolo subjectos populos moverat. Guilielmus Lanceus Regis nomine Pedemontem invaserat; & Longevallus in Germaniam missus cum Sicambriis, & Menapiis Antverpiam pene invaserant. Cogebatur Cæsar Germaniæ parcere, Ungariam deserre, ac Belgio suo consulere. Ibi itaque Duram, Juliacum,

*Pax ten-  
tata Ra-  
tisbona.*

*Bellum  
Gallicum  
an. 1542.*

liacum, Zittardiam, Hinsbergium, pluraque alia oppida subegit; quæ tamen postea à Duce Guilielmo recepta pacem inaturaverunt, non nisi sequenti anno in itam. Dum autem hic bellum fereret, Principes Protestantes scæderis Smalchaldici bellum jam pridem intentatum Duci Brunsvicensi intulerunt, eumque fortunis omnibus exutum coegerunt ad Cæsarem recurrere, cum tamen tunc temporis, quam maxime Turca in Germanos, & Vngaros defæviret, digladiantibusque inter se Christianis, limites suos egregie dilatare.

*Comitia  
Norim-  
bergæ, eo-  
rumque  
acta ann.  
1543.*

Purgare se nitebantur Protestantes in proximo conventu Norimbergæ, quasi magno jure Henricum Brunsvicensem profigassent, talemque expeditionem in experimentum sui roboris trahentes, petebant Cameræ judicium aboleri, quod omnino in causa Henrici respuebant; deinde Tridentinum Concilium aspernabantur; ac tandem, nisi ad votum illorum responderetur, omne subsidium contra Turcas detrectabant. Pontifex itaque fervente undique bello, inchoatum Concilium suspendit, majorem pacem expectaturus, qua Principes Protestantes nonnihil de sua feritate remitterent.

*Archiep.  
Coloniensis  
mutat Re-  
ligionem.*

Rem Catholicam non minus turbabat Hermannus à Weda Archiepiscopus Coloniensis Elector, hoc anno à parasitis nescio quibus persuasus, mutationem Religionis in sua Dicecesi attentans. Quod ut facilius assequeretur, Bucerum Argentina evocatum, Bonnæ conciones habere jussit, ac non ita post Melanchthonem, Pistorium, Sarcerium, aliosque illius farinae homines admisit. His sese opposuit Ioannes Gropperus, Universitas Coloniensis, & illustre Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, præcipue Coloniensis urbis Senatus, potius mori, quam antiquata Religione scædari constituens.

Cæsar, ut his, aliisque malis in agro Geldriensi occurreret, Bonnam accessit, Hermannumque Archiepiscopum ad respiscentiam hortatus, saltem hoc imperavit, ut Bucerum, & socium Hedionem dimitteret; Bonnæ deinde lustrato suo exercitu, Duram per caduceatorem sibi tradi postulavit, re infecta illius expugnationem aggressus est. Deinde Iuliacum fere vacuum

cum ingressus, Ruremundam deditioe accepit.

Venloenses, & Zutphanenses moniti à Duce, ut re- <sup>Pax cum</sup>  
bus suis confulerent, Cæsari sese dedidere. Tandem de <sup>Iuliacensi</sup>  
pacis conditionibus agi placuit. Impetratumque est <sup>initur.</sup>  
per illas, ut Catholica Religio inviolata retineretur,  
ut Cæsari, & Romanorum Regi Dux morem gere-  
ret, Fœderi Gallico, Danico, & Swevico renunciaret,  
Ducatu Geldriensi, & Zutphanensi se abdicaret.

Cæsar hac pace constituta, Lucenburgum recupe-  
rare voluit, aliaque loca in illa regione occupata è  
Gallorum manibus liberavit: deinde ad Coloniensis  
Archiepiscopi insaniam conversus est, ibique oppor-  
tunum remedium adhibuit.

Wormatiæ interim Senatus Imperii habebatur, ubi  
rursus Protestantes Concilium Tridentinum respue-  
runt; sed absentibus aliis Comitia Ratisbonam rejece-  
runt, rogaruntque Principes omnes, ut ipsimet conve-  
nirent; Coloniensis vero à Pontifice citatur, & paulo <sup>Captivitas</sup>  
post primæ citationi secunda adjicitur: Brunsvicensis <sup>Brunsvi-</sup>  
autem dum sua recuperare contendit, à Landgravio <sup>censis.</sup>  
una cum filio Carolo intercipitur, quod Cæsar ægrius  
ferens, jura Pontificum servari mandat, ac serio rem  
cum Protestantibus semper auxilia negantibus, nisi  
longe plura privilegia impetrarent, acturus, cum Tur-  
ca pacem inire constituit. Moritur deinde Cæsaris bo-  
no Rex Gallia; illi enim cum solis Protestantibus res  
erat futura.

Verebantur cum hac fierent vim Protestantes, un- <sup>Consilia</sup>  
de Francofurti convenerunt, & de Concilio Tridenti- <sup>Protestan-</sup>  
no non recipiendo, de Brunsvicensis belli sumptibus, de <sup>tium.</sup>  
Archiepiscopo Coloniensi non deferendo, ac tandem  
de mutuis contra Cæsarem auxiliis concluderunt, tan-  
ta majore audacia, quia tunc de Palatinatu decidente à  
Catholica Religione ad Lutheranismum agebatur, & Pa-  
latinus receter sese fœderi adjunxerat. Nihilominus Cæ-  
sar iterum tentare decreverat, an disputationibus, ac ra-  
tionibus posset Protestantes convincere, at illi obdu-  
ruerant. Arma ergo expediuntur in Italia, in Belgio, in  
Burgundia, & alibi; miles pro Cæsare conscribitur.  
Pontifex suas auxiliares cohortes offert, & Helvetii

*Parantur  
utrinque  
copiæ.*

*Cæsar im-  
paratus.*

*Buranus è  
Belgio.*

*Bohemi in  
Saxoniam  
ducunt.*

*Cæsar to-  
tam Ger-  
maniam  
subjugat.*

Cæfari militare non detrectant. Protestantes vero periculum veriti majores copias conscripserant, quibus Augustam, & iter in Tyrolim, ut Italicas copias præpedirent, occuparunt, deinde Donaverdam totum suum exercitum ducentes, ibidem aciem instruxerunt contra Cæsarem adhuc Ratisbonæ imparatissimum subsistentem. Censebantur esse in armis pro Protestantibus 80 mill. peditum, & equitum 10 millia, cum 130 tormentis bellicis, quibus Cæsarem è Germania commode potuissent arcere; sed aliquot dierum mora Cæsari ferias fecit exercitum suum coadunandi. Descendebant ex Italia à Pontifice missi 10 millia peditum; equites levioris armaturæ 700: à Duce Florentino 200, & à Duce Ferrariensi 100: ex Hispanis, & Germanis veteranis numerabantur sexdecim millia, sine milite, quem ex Belgio ducebat Buranus, qui summa interim scelicitate, invitis hostibus, Rhenum transmiserat florentissimas copias, quæ ut in retrocedentes Saxones incidissent, facili negotio liberum sibi iter fecerunt, & non multo post Cæsareis ad Ingolstadium se conjunxerunt, ut Protestantibus occurrerent. Buranus à tergo, Cæsar ipse à fronte vallum vallo opposuit, & majoribus tormentis expertus est suam fortunam non iniquam; nam parvo damno sui exercitus, ne passum quidem retrocedentis, mille, & noningentas pilas ejaculatas excepit; ac totidem fere rependens, hostes recedere coegit. Saxo, qui intellexerat Regem Ferdinandum ex Bohemia una cum Mauritio Saxonix Duce in Saxoniam contendere, omnino sociorum exercitum deseruit, ut domi suæ ardentes faces extingueret. Cæsari ergo cum solo Landgravio, & oppidis confœderatis res erat; nam Palatinus, & Wittembergicus sobrie bellum tractabant; Landgravius Laucingam, Bavarix Ducis oppidum, occupat, & jam Donaverdam properabat. Sed Cæsar Neuburgo dedito, ulterius progressus, obviam loca omnia, sponte sese dedita, recepit. Occurrerunt cum clavibus Donavertani, Dilingenses, Laucingenses, & Gudelfingenses, quorum præsidia Cæsar gratis dimisit, & tumultuarie cum civibus convenit. Saxo vero, & Landgravius per Brandeburgicum

cum pacis condiciones obtulerunt; sed Cæsar eas, ut nimium superbas, rejecit, & Rotenburgum acceleravit. In itinere vero Dinkelspul, Nordlinga, Boffinga, & plura alia oppida Cæsar's clementiam implorarunt; Rotenburgenses ipsi obviam progressi veniam deprecati sunt. Inde Halam Swevorum procedere voluit. Burano vero imperavit, ut Francofurtum subjugaret, & in Belgium reverteretur. Halæ Cæsar's suppliciter accessit Fredericus Elector Palatinus, qui provolutus in genua veniam impetravit; accessere etiam Vlmeneses, & certis legibus in gratiam recepti. Accurrit paulo post Dux Wittenbergicus, cujus ditioes jam Hispani devastabant, ad Cæsar's clementiam, illamque expertus est quam maximam. Soli itaque Augustani cum duriores condiciones postulassent, remissi sunt, & Cæsar eo cum exercitu properavit, sed mox cives egressi, & suppliciter petentes veniam, admissi sunt. Postremo etiam Argentinenses venerunt, & se in pristinam Cæsar's clientelam restituerunt.

Cæsar tot victoriis illustris, adulta jam ætate in hyemem vergente, dum hyberna ageret, Coloniensem Archiepiscopum difficulter cedentem, postquam sacris interdictus esset, migrare præcepit, sodalesque ad novam electionem, Religionisque restitutionem procedere voluit; quod cum impetrasset, & jam per Buranum Francofurtum occupasset, inter hyemis otia de receptione urbium cum Magistratibus agebat, certas condiciones præscribens singulis: de restituenda etiam Religione per totam Germaniam deliberavit, sed frigidius. Interim Saxo spoliis, & exactionibus dives, etiam media hyeme Lipsiam, Mauritiæ Reguli oppidum, obsedit: verum cum illud satis defenderetur, infecta recessit, suaque munire cœpit; & quia ex Bohemia Ferdinandum, forte etiam Cæsar'em inde verebatur, blanditiis studuit Bohemos corrumpere, ut illos non hostes, sed amicos experiretur; quod cum ei pro voto successisset, jamque Bohemi Ferdinandi Regis Imperium detrectarent, neque amplius annona, aut milite Regi suo vellent prodesse; Cæsar ineunte vere relicta Vlma, ubi hyemem egerat, per Norimbergam in Bohemiam

Buranus  
Franco-  
furtum  
capit.

Colonienfis  
cedit.

Saxo  
Lipsiam  
obsidet.

Cæsar in  
Bohemiam.

hemiam

hemiam cum toto exercitu contendit. Egram Bohemiam oppidum cum advenisset, Bohemi mitius responderunt, neque Cæsar ulterius cum ipsis agere voluit, sed relictis Bohemis, quos per litteras satis monuerat, sinistrorsum in Saxoniam exercitum ducere constituit; nam Saxo Marchionem Albertum interceperat, & munitis suæ ditionis oppidis, inferiores Saxones, Bremenfes, Luneburgenses, aliosque Regulos præpotentes in societatem pertraxerat. Celeritate itaque Cæsari opus erat, quam omni studio adhibuit, suasque copias ad ripam Albis duxit; vado quæsito, quod cum difficilius inveniretur, pontem ex navibus præparari mandavit, sed cum naves deficerent, majori diligentia vadum perquiri iussit. Vicanus proletarius repertus est, qui vadum cognoscere se dixit, quem Cæsar bene donatum præire iussit, præeuntem sequuntur equites Vngari, post illos Cataphracti, singuli inflorem alterum portantes. Subsequitur cum ingenti omnium admiratione ipse Cæsar armatus. Hispani mille mordicus gladium gestantes, cæterum nudi, scaphas aliquot in ceteriori parte ripæ solvunt, & pontem, ut peditatus transmearet, perficiunt: sed Cæsar, non expectato peditatu, prælium cum solis equitibus, & paucis peditibus adhuc madidis inire jubet, tanta felicitate, ut non modo Saxones in fugam versos Hispani ad sylvam Locheranam usque sint persequuti; sed continuatis præliolis, captus est etiam ipse Elector Saxonicus Ioannes Fridericus, & ad Cæsarem adductus. Quæ omnia miraculo sane adscripta fuere; nam & vadum die sequenti eodem loco non amplius repertum est, nec sibi quisquam persuadere poterat, quomodo Saxones, tantis bellis exerciti, paucos equites madidos, vix integras bombardas gestantes, & quidem in proprio solo, sine comœatu, ac pabulo, viarum prorsus ignaros hac illac divagantes, non arcessissent.

Anno  
1547 E-  
lector fit  
captivus.

Miraculo-  
sa Victoria.

Saxone capto Cæsar Wittenbergam primarium ditionis oppidum cum peditatu, qui tunc transmiserat, exercitum ducit; sed illi ut vitam Saxoni impetrarent se dederunt: deinde Saxonem ad se perductum tradidit

dit custodiendum, superataque tota ditione militem dimisit, ac primo Vngaros liberaliter remuneratos; quibus Ferdinandus Cæsaris frater cum paucis aliis turmis, & sex millibus peditum, in Bohemiam tanta victoria confternatam reversus est, instituta quæstione de seditione, Pragenses, aliosque gravi mulcta condemnavit.

*Bohemiam  
castigantur.*

Cæsar interim Electorem vita donatum Electorali dignitate, omnibus oppidis, & agris ad Electoratum pertinentibus, spoliatis; illaque Mauritio, ejusdem familiae Regulo, liberaliter assignat. Electori tantum aliquot loca in Thuringia, quæ ad victum honestum sufficerent, relinquit. Cum Landgravio vero aliter paciscitur, certis conditionibus, quas ipse Landgravius manu propria descripsit, & tradidit apud Halam Saxoniam, quibus ad libitum Cæsaris erat captivitate eximendus. Clientes omnes in verba Cæsaris jurare debebant, loca munita erant diruenda, tormenta omnia, & civitates quatuor Cæsari tradendæ, & Brunsvicensis erat restituendus: cæterum ejus vita Cæsaris servabatur beneficio, & à perpetuo carcere absolvebatur. Hanc ultimam conditionem postea non sine molestia tulit Landgravius, nam facultas suæ captivitatæ prorogandæ penes Cæsarem manebat, quod quia nec ipse, nec pararii illius intellexerant, aliquarum barbarum caput extitit.

*Conditio-  
nes Land-  
gravio  
data.*

Cæsar domita Germania, tormenta bellica in tantis victoriis parta, partim Mediolanum, partim in Belgium, partim in Hispaniam amandari iussit. Antequam vero è Saxonia recederet, Iulium Pflugium Episcopum Naumburgi è sua Sede ejectum restitui imperavit; eumque, nulla alia mentione Religionis facta, Mauritio, Saxoniam imposito, commendari præcepit. Bambergam deinde recessit, ubi Comitiam Augustam convocavit, ut de rebus Germaniæ disponeret. In iisdem Comitibus una cum Saxone captivo, Landgravius enim Donaverdæ reliquerat, Principes omnes advenientes hilari fronte, quæ victorem decebat, recepit; ibique publice Mauritio Electoratus insignia contulit: de Religione autem, quod rursus mirabantur multi,

*Restituitur  
Episcopus  
Pflugius.*

*Interim  
publicatur  
Anno  
1548.*

multi, & indignabantur alii, nihil actum fuit, nisi quod libellum conscriptum protulit, quo Interim continebatur, juxta quem omnes deberent vivere usque ad Concilii Generalis certam definitionem.

*Arguitur  
Casaris  
modestia.*

Excusant multi Carolum V, quod falcem noluerit ponere in messem alienam, & spirituales jurisdictionem attingere; quod omnino fecisset, si certam doctrinam præcepisset servandam; neque hoc sine injuria Concilii fieri potuisse multi arbitrabantur; maxime cum non semel hac de re à Pontifice fuisset monitus.

*Libellus  
Interi-  
misticus  
quid con-  
tinuerit.*

Arguebant tamen alii victoris facilitatem, quod melius futuræ obedientiæ non prospexerit, cum ex apertis indiciis potuisset colligere, fore aliquando Germanos refractarios, qui dudum contra Concilium protestati, illius auctoritatem contempserant, illudque quasi illegitimum rejecerant. Excusabatur rursus Casar, quod inter duo mala minus elegisset; bello enim Germaniam diutius affligere non poterat, nam communis seditio timebatur: à Protestantibus vero aliud impetrare perarduum erat; nam cum Saxone dudum sine arbitris de Religione egerat. In libello vero promulgato omnia erant Catholica, nisi quod qui ex sacris Ordinibus Apostata uxores duxissent, iis uterentur usque ad declarationem Concilii, & qui sub utraque specie communicaverant, eundem usum usque ad eandem Concilii sententiam servarent.

*Horrent  
haeretici  
libellum  
Intermi-  
sticum.*

Pro Casare faciebat, quod etiam Interimisticum illud Decretum non ab omnibus receptum fuisset. Argentinenses omnino se excusabant, & non nisi cunctando ad novitates, ut dicebant, accedere se posse objiciebant, horrebant ad jejunia, ad dies festos, & ad restitutionem Ecclesiarum, sed à Casare ad Episcopum suum remissi sunt. Constantienses Casari nondum reconciliati, difficiliore etiam se præbebant; postea tamen metuentes proscriptionis, qua innodabantur, effectum, Domui Austriacæ sese permiserunt, & ejectum Clerum receperunt. Idem fecere Lindavienenses, Augustani, & Ulmenenses Casare præsentente: ex auctoritate enim Magistratibus, & ejectis Prædicantibus, qui contradicere audebant, libello parere coacti sunt,

sunt, cæteræ urbes omnes cunctando, aut nihil fecere, aut se facere velle finxerunt.

Cæsare jam in Belgium abeunte, negligentius Religionis res in Germania curabantur: Wittembergenses, *Saxones* & Lipsienses de voluntate Cæsaris, sui que Principis, *aliam formam edunt.* disceptantes, aliquoties conveniunt, & nonnihil ad Cæsaris scriptum sese accommodant, edita alia religionis formula in Mauritii ditioe ab omnibus servanda, unde postea ab aliis dicti sunt molles Confessionistæ, fuitque illorum Princeps Melanchthon, qui postremo longe aliam doctrinam à Luthero, imo ab ipsa Confessione Augustana dissonam, tradidit. *Magdeburgenses nolunt obedire.* Magdeburgenses duriores in parendo jam ante fuerant à Cæsare proscripti, qui jam magis illis offendebarur, quod Decretum Religionis Augustæ evulgatum repudiarent. Præerat doctrinæ apud Magdeburgicos Illiricus, & Amsdorfus, homines obstinatissimi, unde Rigidi Lutherani vocati sunt; quorum, quia exiguus erat numerus, is tota fere Saxonia, non multo post fuit proscriptus. Querebantur isti, quod libri Lutheri, & Confessio Augustana plerisque in locis esset mutilata, & adulterata; cum tamen nec ipsi primæ Confessioni vellent adherere, sed fingerent doctrinam longius à Decreto Cæsareo alienam: cumque in ea sententia persisterent, rursus prædæ cujuslibet exponuntur; monenturque Principes vicini à Cæsare, ut bellum inferant Magdeburgensibus quacunque possent ratione. *Dux Mechelburgicus oppugnat protestantes Magdeburgicos.* Georgius Dux Mechelburgicus, prædæ avidus, contra proscriptos Magdeburgenses primas duxit copias, matureque Vancelebum oppidum invasit; erumpentes deinde civitates, militibus, & rusticis mixtos, circumvenit, & à parte posteriori aciei, ubi rustici erant dispositi, illos aggreditur, ordines turbat, multosque cives cum impedimentis omnibus intercipit. Re autem bene gesta, continuo multi se compararunt ad militiam, Mauritius Saxonæ, Elector Brandenburgicus cum Alberto patruale, & Henricus Brunsvicensis; multi etiam ex nobilitate inferioris ordinis libenter nomen militiæ dederunt, putantes contra Mechelburgicum militem conscribi; Addidit suum militem Clerus Magdeburgicus

gicus: & quia periculum erat, tum ne Bremenses, nec non totius Germaniæ civitates omnes, Cæsari, ejusque decretis passim repudiatis, facta seditione populari, se opponerent; tum ne conscripti milites à diocesi Magdeburgensi stipendium exigerent: in Comitibus Augustanis anno 1550 insisterunt cum Clero ipsi Principes, ut ratio alendi milites haberetur, eligendique hominem, qui summæ rei inter tot accurrentes Duces præesset: ne milites ad hostes dissensione transfirent, vel à diversis Ducibus scripti minus parerent.

*Expensa  
communes  
Imperii.*

Quare Cæsar, & Ordines Imperii Mauritium Saxoniam Electorem, qui jam ante sese huic rei immiscuerat, publico nomine summæ belli præficiunt, ac in bellum decernunt 60000 aureorum mensura; ita tamen, ut quod ex publico arario sumptum fuisset, intra certum tempus reponeretur.

*Instantia  
Cæsaris  
pro obser-  
vantia.*

Cæsar præterea Principibus significavit, brevi Concilium Tridenti resumendum; hortatusque est omnes, & maxime sacros Principes, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, ut ante biennium de emendatione conscriptas formulas strictissime observarent. Quilibet tamen se excusavit apud Cæsarem, rogavitque, ne offenderetur, si minus factum fuisset. Protestantes enim querebantur esse solitudinem in suis Ecclesiis: deinde vix reperiri tales ministros, qui hanc formulam velint docere, vel secundum illam vivere, cum periculo defendendi uxorem, si forte duxissent. Catholici vero, Sacerdotum penuriam, Magistratus negligentiam, multorum etiam Ecclesiasticorum impuram vitam accusabant.

*Excusa-  
tiones va-  
ria.*

Hoc tamen nec represso tumultu, Mauritius duxit in Magdeburgicos, fabricatis aliquot munimentis, quibus civibus egressum, ac commercium prohiberet: sed Magdeburgenses eruptione facta semel ipsius milites percussere, & secunda eruptione turmam equitum, quam ducebat Mechelburgicus, invaserunt, ipsumque Ducem Georgium intercipientes Magdeburgum abduxerunt. Hanc tamen cladem Mauritius alia deinde clade rependit, multis ex civibus cæsis. Verum cum obsidio in longum extraheretur, & magis calamo,

calamo, ac conviciis, quam gladius ageretur; Mauritius cum Brandenburgico Electore certas pacis conditiones Magdeburgicis proponentes ad deditioem hortati sunt: at cives audacissime illas rejicientes superbe deditioem denegarunt; quare Mauritius acrius in eos invectus verbis, factis vero modestiam ipsam referebat; ita ut non parva collusionis species prudentioribus appareret. Argentinenses paulo ante obstinatiores per litteras Cæsarem salutaverant, & clementiam implorantes, cum Decreti formulam deprecarentur, ad Episcopum remissi fuerant; cui cum Sacrificium Missæ in urbe Argentinensi permisissent, ac nonnulla templa restituisent, videbatur sperata pax successura: sed ea ipsa die, cum primum Sacra celebrarentur, tumultus excitatus fuit, quem Catholici in Magistratū, qui populum ad insolentias accendebat, conjiciunt. Magistratus vero sese à tali noxa liberum declarat, & vel cum innato contra Catholicos odio multa ab ipsis illata opprobria in suos dissimulat. Bipontinus Argentinensium vicinus, ægrius tulerat hoc Cæsaris de Religione mandatum, indictamque formulam discerpebat, & sicuti antea, ita nunc quicquam de Religione mutari non permittebat. Faciebant hoc ipsum Lubecenses, Hamburgenses, Bremenses, & Luneburgenses, qui quamvis initio non adeo graviter questi, aliquid cessissent; nihilominus hoc anno ad exemplar Magdeburgensium, antiquam libertatem recuperare studuerunt. Nec deerat qui dubitaret, quin multa Mauritii Saxonix Ducis instinctu fierent. Quomodo enim Magdeburgenses oppugnare, aliosque corrigere poterat, qui nihilominus Cæsaris mandata æstimans, audebat contra præcepta publice prævaricari, & de tam audaci facinore impudenter gloriabatur. Huic ingenio, nihil facienti à Cæsare præscriptam formulam, adscribebatur pacis commercium cum Magdeburgicis per Heideccum, eisdem familiarem, institutum, in quo quamvis Magdeburgenses essent valde liberales, sponderentque supplicem erroris sui deprecationem, perpetuam erga Domum Austriacam observantiam, Camerae reverentiam, Decreto Augustano obedientiam,

*Argenti-  
na resti-  
tuitur  
Missæ.*

*Refracta-  
rii decre-  
torum.*

*Suspecta  
liberalitas  
Magde-  
burg.*

*Suspensus Mauri-  
tius.*

tiam, Cæsaris quocumque tempore præsidii admiffionem, & promptam solutionem quinquaginta millium aureorum; tamen multi de sinceritate promiffionis dubitarunt; nec immerito, quando Mauritius inconfulto Cæsare Hæfficæ ditionis populum in fuam fidem per jusjurandum adegit, quando milites exauctorari quidem iuffit, eos interim permittens rurfus sub Mechelburgico conduci, ne obdueto etiam fuo, quod adhuc retinebant milites, nomine. Verum apertam averfæ fuæ mentis erga Cæsarem fidem fecit, quando cum Rege foedus ferire non erubuit: quod quamvis tecte factum effet; tamen ex importuna interceffione pro Landgravio, ex diuturniore manfione, militis confervatione, & præpofteris ad Cæsarem refponfis, facile colligebatur aliquid minus fideri affectus latere in Principe, propter quod vocatus latebras quæriraret.

*Regis Gal-  
liæ irru-  
ptio.*

Erupit tandem ille affectus omnino hoftilis, quando primo vere anni 1552 Mauritius copias fuas, & Magdeburgenfium (quas aliquando fcripferat Cæsari apud ipfum non fatis ex animo hyemare, ob non foluta ftipendia) eduxit; easque Regis Gallia, Ducis Mechelburgici, nec non Alberti Brandenburgici grassatoris publici copiis univit, & ex inopinato Cæsarem aggreffus eft. Præferebat Mauritius Germania libertatem, cujus Rex Gallia fe fe vindicem venditabat. Rex Gallia uno tempore, quo Mauritius Erfordiam, Einfeldium, Franciam orientalem, & Rheni partes ingrediebatur, paucis admodum renitentibus; cum maximis copiis Tullum, Viridunum, & Metim Imperio fubtraherat, Lotharingiam occupabat, & Argentinam ambiebat. Auguftam venerat Mauritius, & à civibus admiffus, mox Senatam exauctorat, & univerfæ fere Germania exactiones indicit. Ulmam etiam tentaverat, fed illa bono milite munita obfidionem, ac devaftationem agrorum ab Alberto Brandenburgico eo tempore immiffam tulit. Progressus Albertus Norimbergam, agrumque fimiliter depopulatus, pofttea urbem obfedit. auctus deinde copiis, Bambergenfibus, Herbipolenfibus, aliisque Provinciis incendia, devaftationes, ac cædes minitabatur, nifi imperatas fummæ auri fignati prompte perfolverent. Mau-

Mauritius interim Lintzium ad Ferdinandum Regem excurrerat, ut spem pacis injiceret, & gratiam, si qua esset reliqua, aucuparetur: in reditu vero, cum Ferdinandus Rex minus ad votum respondisset, statim Oenopontum, ubi Cæsar tunc morabatur, cum hostili exercitu contendit, superatisque Alpibus, Fiessam, Rutum, & Erenbergam occupavit. Verebantur Patres, qui Tridenti Concilio intererant, ne & Tridentum duceret. hinc postquam Electores sacri, aliique Germaniæ Episcopi recessissent, Italiam reliqui repetierunt. Ipse Imperator Oenoponto discedens, Mauritium veritus, Saxonem liberans, Villacum, inter montana munitum oppidum, petierat, & fratri Ferdinando actionem Passavii indictam reliquerat. Mauritio igitur quamvis nonnulli suaderent, ut Cæsarem prosequeretur, satis se fecisse ratus, quod Saxonem liberasset, & Cæsarem cum Tridentina Synodo fugasset, jam inter victorias de pace sollicitus, Passavium ad indictum diem descendit, ibique cum Ferdinando, multisque aliis utriusque Religionis Principibus congregatis convenit; sed disceptationes in longum extendebantur: neque enim facile erat tot abusibus unico commercio occurrere. Mauritius à sociis pendebat, Ferdinandus à Cæsare absente. Cæsar consultus rem majoris momenti existimabat, quam ut à tam paucis decerneretur. Interim Albertus Brandenburgicus cum Mechelburgico, & Heidecco Mauriti Vicario Francofurtum obsederant, illudque tormentis majoribus oppugnabant. Cives vero, & præsidarii nihilo segnius se defendebant; jamque Mechelburgicum Ducem tormento bellico prostraverant, tantumque metum Alberto incusserant, ut is deserta statione Francofurtensi, Rhenum trajiceret, & Moguntinenses, Spirenses, ac Wormatienses devastare mallet, quam Francofurtensi obsidioni intendere.

*Dissolvitur Concil. Trident.*

*Alberti vastationes.*

Rex Galliæ à Mauritio propter commercia instituta offensus, postquam apud Argentinenses nihil profecisset, rogatus à Principibus Rhenanis Wormatiæ congregatis, pedem referre incipiebat, ut Lutzenburgenses invaderet: inde enim Martinus Rossemius Bel-

*Rex Gallia petit Argentinam.*

*Repetit  
Galliam.*

ga exercitum in Campaniam Gallia provinciam paulo ante duxerat nomine Cæsaris, ut Regem Gallia è Germania revocaret; prævidebat enim Rex Gallia parvam in Germanis constantiam, ac fidem, quæ paulo post in ipsum esset signa productura.

Mauritius enim semel atque iterum tentata pace Lintzii incepta, non desisteat à commercio, Galli fidem habens suspectam, ne universam Germaniam occuparet, & Turcam ad occupandam Vngariam (prout jam fama erat) provocaret.

*Trans a-  
ctio Passa-  
viensis.*

Passavium itaque revertens, tandem in has conditiones utraque pars consensus: Ut confœderati Principes ante 12 Augusti discederent ab armis. Ut nec Cæsari, nec Ferdinando, nec Germaniæ miles dimissus noceret; ad eundem diem Landgravius liberaretur, & interposita cautione de servandis iis quæ Halæ Saxonum pacta fuerant, arci suæ Rheinsfelsianæ relinqueretur. Res Landgravii cum Nassovicis intra biennium deciderentur. Intra sextum mensem de ratione componendæ Religionis dissidia deliberaretur. Interim quilibet suo viveret jure, pacem coleret, nec aliquis Religionis causa ulli periculo subjaceret. Ad Cameram etiam Augustanæ Confessionis professores admitterentur. Ottoni Palatino suæ ditionis possessio relinqueretur; damna illata tempore belli utrinque tollerentur, vel ratio compensationis iniretur. Gallia Regis arma, utpote ad Imperium non pertinentia, privatim Cæsari committerentur. Proscripti, ac rei, etiam illi, qui Gallia Regi militarunt, si intra bimestre se militia abdicaverint, ad veniam reciperentur: eadem pax Albertum Brandenburgicum comprehenderet, si ab armis discederet, & copias dimitteret; sin minus, tam ipsum, quam reliquos hujus pacis violatores hostium loco essent omnes persequunturi.

His ita compositis, Mauritius exercitum suum, prout condixerat, in Vngariam dimisit, cui ut damnum compensaret & in gratiam rediret, ipsemet præesse voluit.

Cæsar etiam, & Ferdinandus Rex privata odia publicis utilitatibus remittere constituerunt. Albertus  
ramen

tamen ab armis discedere noluit; sed pristino more in obvias debacchatus ditiones omnes Rhenanas, maxime tamen sacrorum Principum, igne, ferro, ac sanguine pene ad exterminium fœdavit. Elector Moguntinus profugerat in Alsatiam, Spirensis in Galliam, Wormatiensis latibulum alibi sibi quæsierat, omnesque de Clero patriam prædæ, & latrociniis reliquerant. Albertus vero ulterius progressus, Argentinesibus præsidia sua obtulit, urbisque fidem postulavit; quam ut denegarunt, nihil circa urbem intactum reliquit: deinde Treverensem ditionem adiit pari insolentia grassaturus. Aberat à præcipua urbe Elector cum soldalibus omnibus, Cæsaris vero apud Lutzenburgum Legatus decem cohortes peditum adduxit, ut nomine Imperii urbem Treverensem propugnaret, sed à civibus exclusus recessit; & accedens Albertus cum suis non gravate intromissus fuit, qui tandem etiam hic spoliata urbe, ac ditione, in Lotharingiam Regi Galliæ militaturus contendit: nam intellexerat Cæsarem Oenoponto movisse, & conflato ingenti exercitu Augustam pervenisse, ac recta in illum patriæ hostem ducere. Neque omnino falsa erant quæ dicebantur; Cæsar enim ægerrime ferens totius Germaniæ depopulationes, non poterat omittere, quin pro viribus injuriam ulcisceretur, & graviora mala præpediret. Itaque cum Metim voluisset obsidere, & Alberti Brandenburgici copias in finibus Lotharingiæ reperisset, nondum in Franciam admissas, sed cum Rege ratione præteriti stipendii disceptantes, atque ideo Regi Galliæ suspectas, eidem Alberto Brandenburgico reconciliationis spem injecit; ad quam cum multi proscripti, ac longiorem deprædationem pertæsi anhelarent, non difficile fuit parariorum industria inter Cæsarem, & Albertum pœnitentia correptum, pacem stabilire: eam Cæsar obtulit condonata culpa, vetans ne actio in eum causa belli institueretur, remittens militiam Vngaricam, & confirmans transactiones cum Episcopis factas, ignoscensque Comiti Ottingensi, nec non Alberto Mansfeldico, & eorum filiis, quorum opera Brandenburgicus in devastatione patriæ plurimum usus fuerat.

*Albertus  
continuat  
devastationes.*

*Trevirenses  
spoliantur.*

*Albertus  
reconciliatur  
Cæsari.*

*Prosternit  
copias  
Gallorum*

*Contendit  
cum Her-  
bipolensi,  
& Bam-  
bergensi.*

*Varia Ger-  
mania  
turba.*

Albertus ita reconciliatus, non exiguam cladem primo tempore Gallis intulit, plurimis ex Gallica nobilitate interfectis, Aumalium captivum abduxit, & castra sua Cæsareis castris ante Metim conjunxit, non exiguo commodo Cæsari futurus si constantius perseverasset; suo etenim commodo intentus præceperat Præfectis suis apud Bambergam, & Herbipolim, ut promissam pecuniam exigerent, quod cum Episcopi negassent, & Albertus mandata Cæsaris, ratamque habitam transactionem monstrasset, neque adhuc Episcopi parerent, sed potius è contra litteras cassatorias talis sponsonis Spiræ obtinuisset; Albertus excandescens, cum suis copiis Bambergam contendit, ibique novum militem conscribit, & execrando modo tum dictos Episcopos, tum Norimbergenses exercet. Cæsare adhuc in Gallia impedito, præter hoc Alberti bellum, varia alia eodem tempore in Germania orta sunt. Volradus Mansfeldius Henricum Brunsvicensem pene totis finibus ejecerat; dicebat enim Henricum è custodia liberatum beneficiariis suis, neglecta transactione Passaviensi, fortunas omnes eripuisse. Wolfgangus equitum Ord. Teutonici Magister Elvanguum oppidum, ut præposituram extorqueret ab eligentibus, invasit; sed illum repulit Princeps Wittembergicus, quem Sodales ut sui juris defensores implorarunt. Otingensis senior in filium arma strinxit: & Mauritius ex Vngaria revertens cum Henrico Brunsvicensi, nec non Episcopis Bambergensi, & Herbipolensi foedus contra Albertum iniit, illiusque copias serio adortus est. Albertus contra Norimbergenses, & Episcopos extrema attentat, ac deprædata regione bellum in Saxoniam transfert; Erphordiensis agri vicos diripit; Halberstadiensi Clero pecunias imperat; & Brunsvicensis agros incendiis quamplurimis devastat: ac tandem post varias deprædationes, incendia, urbium expugnationes, patriæque funestissimas calamitates, prælium inter Albertum, & Mauritium commissum fuit, in quo victoriam Mauritio, cui jam illa militabat, vulnus infictum abstulit, tanto majori damno illius, & Saxonix, quod ex hoc vulnere paulo post

post interierit; simulque cum illo duo filii Henrici Brunsvicensis.

Partes Mauriti postea egerunt Ferdinandus Rex Bohemiæ, Wilhelmus Landgravius, & Henricus Brunsvicensis; quisque enim nova militia exercitum suum instauravit. Pro Alberto erat Ericus Brunsvicensis Mauriti fororius, & plures alii Reguli, tandem etiam ipsi ab Episcopis superati. Ita Alberto omnia oppida Franconiæ erepta sunt, & omni ditione sua exutus est. Plasseburgum præcipuum ejus propugnaculum obtinuit Rex Ferdinandus; Brunsvicensis victor per inferiorem Saxoniam, nobiles, & illustres, qui contra ipsum arma portarunt, mulctavit. Idem fecerunt in superiori Germania Episcopi, & Noribergenses: sicque misera Germania, quæ contra Cæsare surrexerat, Cæsare ipso apud Gallos detento, in se ipsam insurrexit, & præcipuæ familiæ, justo Dei judicio, sese invicem dilaniarunt.

*Superatu-  
Alberti*

Inter tot bella valde arduum erat Religioni Catholicae consulere; sed quilibet pro libitu vivens in hæresim ferebatur, & sociorum fortunas fortior invadens, easdem contra fas, & nefas servabat; neque poterat Cæsar in Gallia, Burgundia, & Belgio afflictis oppressisque opem ferre, aut petitam, debitamque justitiam administrare. Sedatis tamen paulatim tot seditionibus ex Mauriti morte, & proscriptione Alberti, ejusque fuga, aliorumque qui totius seditionis capita se invicem consumpserant, Cæsar in annum 1555 Comititia Augustæ indixit, quibus Ferdinandus Cæsaris nomine præsedit; in quibus primum licuit de iis, quæ tumultuarie acta fuerant Passavii, explicatius sententiam dicere. In his ergo Comititiis primum pax Confessioni Augustanæ data fuit, ita ut Ordines Imperii se obligarent, quod propter Augustanæ Confessionis doctrinam neminem quacunque ratione vellent violare, nec ad Religionem suam deserendam cogere, spondentes, fore, ut bona, facultates, vectigalia, jura sua quælibet, pacate possent administrare, si modo vel Augustanæ, vel antiquæ Catholicae forent Confessionis. Itaque Calvinistæ, Anabaptistæ, Zwingliani, & quicumque alii hac pace non comprehensi sunt. Si quis

*Pax Re-  
ligionis  
confirma-  
ta.*

*Pacis con-  
ditiones.*

*Exclu-  
duntur se-  
ctæ alia.*

autem Archiepiscopus, Episcopus, aut alius Ordinis Ecclesiastici, à Religione veteri deficeret, hunc jussurunt continuo à suo Episcopatu, Præfectura, beneficio, & simul omnibus fructibus, quos inde percepisset, recedere; sine tamen infamia sui nominis; & Collegium, aut quemcunque ad quem de jure, vel consuetudine pertineret, alium in ejus locum eligere, qui esset veteris Religionis. Insuper additum fuit in favorem quorundam Ordinum Imperii, qui sibi bona quædam Ecclesiastica, Collegia monachorum, & id genus alia Sacra, non tamen Ordinum, sumperant, eaque ministeriis Ecclesiæ, scholis, & aliis bonis usibus accommodarant, ut hoc nomine non interPELLARENTUR; nec propterea in jus vocarentur; si tamen ea non pertinerent ad Ordines Imperii, vel ad alios Imperio plane subjectos, & quorum possessionem tempore transactionis Passaviensis, & post etiam non habuerint, quæ omnino in pace comprehendi, & in loco suo debere manere decretum est. Ita ut non liceret iudicibus propter hæc ab illis dudum usurpata, & ante transactionem Passaviensem alienata bona, jure quicquam adversus illos experiri, seu aliquid sinistri decernere. Abrogata præterea fuit jurisdictio sacra adversus Augustanæ Confessionis Religionem. E contra Ordini Ecclesiastico suæ facultates, vectigalia, & jura integra manere debere statutum fuit, modo nihil juris politici decederet iis, in quorum ditione essent, quod ante disfidium habuerant. Liberum esset cuilibet, non habitatione Religionis, ex ipsis bonis necessaria Ecclesiæ ministeria, parochias, scholas, eleemosynas, loca hospitalium, pauperum, & afflictorum, sicut olim constituta fuerant, ita & tunc constituere. Quod si propter hanc alimoniã, ejusque modum lis aliqua oriretur, jusserunt Ordines, ut de consensu partiũ arbitri deligerentur, qui facta notione intra semestre controversiam decernerent.

*Conditio-  
nes ob-  
sunt ha-  
reticis.*

Ex his decretis postea gravissimæ ortæ sunt lites, nam iis censebantur plus Confessionis Augustanæ, quam Catholici gravati: Catholici enim de præteritis desperantes, nihil amplius contendebant; sed Confessionis Augustanæ postea nihil non moverunt, ut talia decre-

decreta ipsi noxia abrogarentur, quo possent, sicut antea, ita & deinceps bona monasteriorum, sacrarumque virginum impune invadere, detinere, vel mutata Religione, dignitatibus, officiis, ac proventibus gaudere: quæ cum non concederentur, dicebant Protestantes, se gravari, contra Cæsarem blaterabant, & in Comitibus vix aliquid contribuere volebant.

Imperiales imitati sunt mox Austriaci, Turcis proximi, cum enim Rex Ferdinandus Comitibus Provincialibus indixisset Viennæ, & subsidium contra Turcas imperasset, illi se imperata facturos ajebant, si modo ipsis permitteretur Evangelium, seu liberum Religionis exercitium; quod tamen tunc temporis non obtinuerunt; nam Ferdinandus potius subsidio carere maluit, quam Religionem in hæreditariis Provinciis mutari.

Minus constantes fuerunt Otto Henricus Elector Palatinus, & Carolus Marchio Badensis; qui anno uno post edictum pacis, è suis ditionibus veterem Religionem profigarunt, & novam introduxerunt; unde paulo post contra pacis edictum Ecclesiasticos omnes redditibus, possessionibus, ac beneficiis in suis ditionibus spoliarunt, eaque in proprios usus, aut in ministerium suarum Ecclesiarum, ac scholarum novæ doctrinæ applicarunt. Aliud deinde incommodum hinc apud Catholicos ortum est, quod omnes sectarii, nonnunquam duodecim nonnunquam viginti, & quidem omnes varii, sub Confessione Augustana voluerunt cõprehendi, ut illius pace fruerentur. nec tamen de levibus rebus, sed de gravissimis mysteriis fidei diffidebant. Hinc diversis in locis Lutherani conventus agebant, ut aliquam certam doctrinæ formulam invenirent, Norimbergæ, Lipsiæ, Wormatiæ, Luneburgi, Heidelbergæ, Namburgi, & alibi; sed pacem invenire non potuerunt. Turbabant alios Melanchthonici, Osandrini, Buceriani, Zwingliani, Calvinistæ, Heshusiani, Brentiani, Majoristæ, Adiaphoristæ, Sacramentarii, Suenckfeldiani, Picarditæ, Anabaptistæ, Vbiquitarii, & alii, qui omnes in oppugnatione Romanæ Ecclesiæ convenientes, inter se quam plurimum diffidebant.

Hæ tam variæ hæreses diversas orbis partes occupant:

*Austriacorum potestatio.*

*Mutatur Religio in Palatina.*

*Diversitas Religionum.*

*Mutan-  
tur ditio-  
nes in Re-  
ligione.*

parunt: Calvinistæ Galliam, & Belgium; Lutherani duplices Germaniam, Picarditæ Bohemiam, Anabaptistæ Moraviam, Osiandrini Livoniam, Zwingliani Helvetiam; & alii alias orbis partes, non uno tempore infecerunt. Infestus fuit annus 1560 Galliæ, ob Calvinistas tumultuantes. Belgium anno 1566 desolarunt. Anno 1568 in Frisiam penetrarunt, quo anno in Germania fiebat Synodus Lutherana Altenburgi, ubi Wirtenbergenses, Ienenses, & Lipsienses certabant erroribus, ita ut nullus alteri cedere cogitaret. Mutatur postea Religio Ultrajecti, Monasterii, Mindæ, Bremæ, Magdeburgi, ac postremo Halberstadii. In Palatinatu ex Lutheranis fiunt Calvinistæ, in Saxonia itidem, sed postea revertuntur ad Lutheranismum; idem facit Brandenburgicus, qui à Lutheranismò decidit in Calvinismum. Hæc tamen omnia sine magno strepitu fiebant, ad solum nutum Principum, quibus subditi in rebus Religionis discebant parere. Major fuit strepitus anno 1581 & sequentibus, Aquisgrani, ubi Calvinistæ ex Belgio proximo descendentes conati sunt Catholicos pellere. jamque secundo, & tertio moniti summa impudentia Magistratum loco turbaverunt, & hæreticos subfituerunt, quorum opera publicum permetteretur exercitium hæreseos, propter quod aliquot templa invaserunt. Quare Cæsar mandare debuit, ut Consules, Scabini, totusq; Senatus unam, & solam Catholicam Religionem profiterentur, neq; ad Magistratum, vel Reip. officia alios, quam qui starent pro eadem religione admitterent.

*Tumultus  
Aquensis*

*Tumultus  
Colonienfis*

Magis Germaniam turbavit anno 1582 tumultus Colonienfis Electoris, Gerardi Truchsesii, nonnullorumque illius Ecclesiæ Canonicorum: qui posthabito juramento Religionem Catholicam abjurare voluerunt, & contra Imperii pacem dignitate Electorali gaudere, redditusque totius Episcopatus in familiam transferre, aut saltem dum viverent una cum uxore illos possidere: cui causæ uti communi, ac proficiuæ Protestantibus, faverunt Electores saculares omnes; qui non diffidebant, si hoc admitteretur, quin paulatim alios Electores in suam pertraherent sententiam; ac tandem totum Imperium, una cum Imperatore, sectario malo

malo inficerent, leges omnes abrogarent, Catholicorum bona omnia possiderent, atque Catholicam Religionem extirparent. Eo collimarunt longis apud Cæsarem precationibus pro apostatante Truchsesio, deinde armis causam illius studuerunt propugnare. Sed excommunicato Truchsesio, sodales Collegii Colonien-<sup>Servan-  
tur Colo-  
nienses.</sup>sis ad aliam electionem processerunt, dignitatem deferentes Ernesto Bavariæ Duci: qui tandem fratris sui copiis, maxime tamen liberalibus subsidiis Regis Hispaniæ, dignitatem obtinuit, & Fidem Catholicam in illa dicecesi servavit, ac instauravit.

Similis fere tragœdia anno 1584 exercuit Argentoratenſe Collegium, propter Canonicos aliquot sacris prohibitos, qui supra Pontificis auctoritate, & Cæsaris mandatis in Collegio voluerunt locum habere, & sententias contra eos latas ob rebellionis crimen, & participationis cum Truchsesio, impugnare. Quare vi adhibita redditus, & proventus Capituli vendiderunt, & Magistratus civilis Argentinensis opera, qui plus ipsis, quam Catholicis videbatur favere, ut sic paulatim totum Capitulum inficeretur, ausi sunt suam violentiam defendere, aut saltem, Senatu non impediente, majores violentias excitare. Cæsar itaque mandavit Senatu, ut excommunicationis sententiam exequeretur; sed Senatus magis inclinans in excommunicatos, facere quod jubebatur, recusavit; imo contrario effectu, præſidiũ ædibus sacris ad eorum tutelam imposuit.

Longe tamen major fuit tumultus de Episcopatu Argentinensi anno 1592, inter Carolum Lotharingum Cardinalem, & Ioannem Georgium Brandeburgicum, cui in occulto favere Regem Galliarum vulgabatur. nam quilibet illorum à parte Capituli fuerat electus. Qui majorum Religioni addicti erant, cum Argentinensis civitas ipsis esset suspecta, vellentque Catholicum Episcopum eligere, Tabernas Alſatiæ alios evocarunt, ut ibidem electioni faciendæ adessent. Alii Canonici Protestantes Argentinæ electionem volebant fieri; qui à Magistratu fovebantur, ut suæ sectæ aliquem eligerent: sociis autem sodalibus constituta die non comparentibus, elegerunt Ioannem Georgium Brande-

Tumultus  
Argenti-  
nensis du-  
plex.

Duo eli-  
guntur  
Episcopi.

Brande-

Brandenburgicum, qui mox electionem ratam habens ad omnia dicecesi subjecta loca, Praefectos, ac Magistratus scripsit, ut sibi tanquam Episcopo legitimo obedirent. Senatus tria signa peditum, & sexcentos equites conscripsit, quibus copiis, & aliquot tormentis bellicis Kokerspergam, & Dachsteinium occupavit, ipso Ioan. Georgio potius consentiente, quam non repugnante. Quo cognito, qui Tabernis erant, Carolum Lotharingum Cardinalem elegerunt. Is, ut electionem ratam habuit, exercitum decem millium collegit, & Bensfeldium occupavit, suumque jus longo bello prosequutus est, & tandem non nisi Caesare per feciales aliquoties mandante, arma deposita sunt; parario Wittenbergensi Duce: postea inita fuit concordia, ut in 15 annos essent induciae, quilibet partem Episcopatus possideret. Sed haec postea divisio Episcopatus magis pacem turbavit.

*Occasiones  
turbarum  
in Ger-  
mania.*

Post has periculosas lites cum Protestantibus non admitterentur ad Episcopatus pari jure cum Catholicis, & quia ab ipsis reposcebantur bona Ecclesiastica per Senatum Spirensis, magna inter utriusque Religionis professores orta sunt controversiae; quas ne deciderent Spirenses, omni conatu Protestantibus praepediebant, ac decisas ad executionem devenire non permittebant. Quare in illo dicasterio volebant paritatem suffragiorum, & suae Religionis Praesidem; in Comitibus postulabant pro suae Religionis Episcopis, quamvis non essent in sacris, sessionem; praeter haec Nuntios Summi Pontificis dimitti, suae Religionis professis coemeteria concedi, nullibi ob Religionem ullos excludi. Tandem Calendarium novum introduci, Ordinum Mendicantium, & Carthusianorum patrocinium suscipi, a Caesare una cum Camera Spirensi iustitiae administrationem exerceri, vel in pari, vel in superiori gradu, gravissime querebantur.

Haec cum aliquoties in Comitibus generalibus fuissent proposita, neque Protestantibus satisfaceret, primum subsidia denegare coeperunt; deinde contraria consilia adhibere non destiterunt: insuper executionem sententiae de bonis restituendis impedire, ac tandem

dem vim contra Catholicos adhibendam esse concluderunt : nam si omnia beneficia, monasteria, & redditus una cum fructibus perceptis restituere debuissent, ut ipsi fatebantur, futurum prævidebant, ut plerique illorum deberent precario vivere, & sua bona Catholicis cedere. Quare decreverunt Protestantes anno 1599, Fridbergæ, (quod alias Francofurti conceptum fuerat) contra Papatum magis ac magis excrecentem, ad conservationem pacis publicæ, & Religionis, sibi invicem adherere, unum veluti virum agere, & unius causam omnes suscipere. Hæc cum aliquoties Hailbronnæ, Fridbergæ, Heidelbergæ, & Spiræ Protestantes inter se deliberassent, tandem anno 1603, Elector Palatinus, Administrator Argentinensis, Hassiæ Landgravius Mauritius, Aspacensis, & Badensis novum fœdus inierunt Heidelbergæ; quo sibi invicem pollicebantur tales processus Aulicos repellere, & unius causam, si oppeteretur, in se suscipere, ita ut si aliquis executionem processuum Aulicorum, aut mutationem Religionis attentaret, huic una omnes se opponere deberent. Immo actum fuit de Hollandorum, aliorumque Principum subsidio implorando; & paulo post in hunc finem Parisios Mauritius Hassiæ transmissus, ut Regis Galliæ subsidium imploraret, & Patrocinium Principum Germaniæ Gallis deferret. Rex, qui antecessorum suorum exemplo Germanis diffidere didicerat, accuratorem designationem singulorum confœderatorum, modum, viam, & continuationis inedia prolixiora sibi indicari petiit, quibus opus tantum aggredi decrevissent, cum non leve videretur excutere jugum supremi dicasterii, quale erat Cæsareum, à quo orbis Germanicus, & Imperium Romanum dependeret.

Ad excutiendum hoc jugum plurimum conducebat Protestantibus, si Cæsar gravioribus bellis Turcarum, aut seditiosorum implicaretur; nam tunc teneretur vel subsidia ab hæreticis implorare, priusquam aliquid ipsis deferre; vel saltem dum contineretur tantis bellis, non auderet rigidis istis executionibus insistere. Hinc non pauci Transylvanos sub Bathorio promoverunt, & ex Germaniæ Principibus Botscatum insti-

*Fœderis  
correspondentium  
initia.*

*Implorantur  
auxilia  
externa.*

*Procurantur Cæsari  
bella ab  
ipsis Germanis.*

*Impropere-  
ratur ju-  
stitia Do-  
naverta-  
na.*

*Comitia  
Ratisbon.  
an. 1608  
turbata.*

*Grava-  
mina Pro-  
testantiū.*

instigaverunt, eique sponderunt parum, aut nihil subsidii ex Imperio Cæsari fore concedendum. Summo gaudio Protestantes intellexerunt Rodolphum, ac Matthiam, cæterosque Austriacos inter se dissidere, & sicut jam pridem, sic novissime sub id temporis, tum Austriacos suæ Religionis Proceres, tum Moravos, ac Vngaros in conceptis seditionibus foverunt, non alio fine, quam ut in Imperio liberi evaderent, & tanto liberius possessis fortunis gauderent, aut alios à suis fortunis deturbarent. Hinc etiam contentiones fratrum fatagerunt alere; atque minima oblata causa Cæsarem calumniari, vel peractæ justitiæ sese immiscere. Exemplum hujus apparuit in expeditione Donavertana, quam Cæsar Bavariæ Duci commiserat ob turbatam pacem Religionis, ac nonnunquam monitos cives, qui tamen obdurati persistebant, & Cæsaris, Bavariæque Ducis Delegatos vilipendebant. Hos enim ut Bavariæ Dux punivisset, statim Protestantes accurrerunt, & causam licet iniquam etiam contra Cæsarem suscipere cogitarunt. monuerat quidem illos Cæsar per Comitem Hogenzolarum, ut ab impetu, & iniquo patrocínio abstinerent; volueratque, ut si quid actionis haberent, illud in proximis Comitibus Ratisbonensibus jure experirentur: sed in iisdem Comitibus illud eo impetu fecerunt; ut non amplius pacis commercia, sed minæ, scommata, impropria, & arma prævaluisse viderentur. Illa enim Comitia turbatissima fuerunt, in quibus nihil quiete Protestantes respondere voluerunt, nisi sæpius petita gravamina evacuarentur; Donaverta in integrum restitueretur; alia forma judicii institueretur; nisi Aulicæ sententiæ proscriberentur; nisi indifferenter Præsides, & pares numero Assessores cujuscunque Religionis concederentur; ordinariæ visitationes intermitterentur; Ecclesiasticis, Abbatibus, Prioribus, Monachis processus denegarentur; nec Catholicis Episcopis sessiones, aliaque privilegia concederentur, sepulchra apud Catholicos non Catholicis concederentur; Romano Pontifici jus in Imperio denegaretur; forma juramenti in feudorum investitura mutaretur; & de majori votorum numero in conclusionibus ratio non haberetur. His

His non obtentis non puduit Protestantes ab inceptis Comitibus recedere, ac Aschusii novum Conven- tum sui Ordinis celebrare, ibique foedus contra Cæsarem, & Catholicos omnes percutere: ac statim pecunias, arma, Duces, ac factionis suæ Capita ordinare. Ibi Anhaltinus in Vicarium foederis; Palatinus in Præfectum vindicandæ libidinis fuit electus; ordinati sunt focii, distributæ curæ, imperata pecunia, & discussa Imperii negotia, erecto tribunali, in quo foret Cæsaris correctio, & fociorum defensio. Catholici è contra Principes Ordinesque per Germaniam videntes utramque pacem vacillare; Leges, & Constitutiones Imperii in dubium vocari; judicia cameralia, sententiasque diffinitivas variis exceptionibus, revisionibusque, ut vocant, eludi; Consilium Imperii Aulicum, ipsumquemet Imperatorem angustis circumscribi finibus; Comitia, Conventusque Principum impediri, aut irritò conatu dissipari; nequaquam dormiendum arbitrati, arctius inter se foedus percusserunt defendendi dumtaxat sui causa, & ut salva Cæsaris, & Imperii auctoritate, vim injustam, si inferretur, à se depellerent, tranquillitatemque publicam stabilirent. quo quidem foedere (quod vulgo Ligam Catholicam appellarunt) adversæ partis machinationes aliquo modo eo quidem tempore repressæ fuerunt. Alius deinde Conventus à Protestantibus fuit institutus, in quo causa jam periclitantium Austriacorum, quos Matthias Rex ad Fidem Catholicam volebat obligare, fuit suscepta; & ordinati sunt, qui in Austriam proficiscerentur, rebelles consolarentur, rebusque illorum consulerent. Postea Anhaltinus Pragam ad Rudolphum Cæsarem mittitur, ut diceret, quod si processus Aulici continuarentur, ægre ferre non deberet, aliam Protestantium administrationem contra hujusmodi informes processus, & à prædicto Reginine illata gravamina. Cum vero Imperator gravissimis verbis respondisset, se non permissurum, ut ad alios jurisdictio Cæsaris derivaretur; idem Anhaltinus, cum ei adjuncto Camerario, longe altius intonuit, se non posse non declarare, Ordines Imperii, quando ita non emendarentur, aliud statuisse;

*Fœdus so-  
lenne Pro-  
testan-  
tium.*

*Origo ligæ  
Catholicæ.*

*Mina  
Protestan-  
tium anno  
1609 in  
aula Cæsaris.*

*Responsio  
Cæsaris.*

statuisse; scilicet ratione gravaminum toties depositorum ipsos sibi esse prospecturos, & si, prout hucusque contigit, suæ Majestatis Consilium Aulicum de cætero voluerit potestate sua abuti, sese invicem consiliis, & armis adjuturos. Idem fere ex Hala Swevorum anno 1610, ubi Protestantes tunc Conventum indixerant, ut de causa Iuliacensi suscipienda deliberarent, suumque patrocinium Principibus suæ Religionis contra Cæsarem, ejusque Delegatum præberent, Cæsari litteris fuit renunciatum: nimirum, Protestantes Principes apud posteritatem excusandos esse, quod cum multoties frustra preces admovissent, tandem necessitate adacti arma sumpserint, ut ipsi sibi prospicerent, & opus ita administrarent, prout tenebantur, ut sibi, ac patriæ ob injustam suæ Majestatis administrationem labescenti, consulere. Ista tam asperè inculcata summam inter Catholicos, & Protestantes diffidentiam causerunt; imo ex ipsis Protestantibus nonnulli mitioris ingenii longe aliter ab aliis senserunt, judicantes præpostere ista moveri ob res levioris momenti, & singulares quorundam affectus. Sic enim sentiebant Duces, & Electores Saxonici, qui proinde viam non ita asperam ad remedia quærebant, sed patientia, & precibus agendum esse arbitrabantur; prævidentes, si vi ageretur, omnem Rempublicam posse pessumdari. Verum cum hæc tam salutaria consilia ingererentur, statim inter Protestantes divisio facta est, & mitiores simplici nomine Protestantes, alii vero Correspondentes dicti sunt; quo etiam nomine postea gloriati, sua negotia tractarunt. Efferatioribus evaserunt Correspondentes in causa Iuliacensi, in qua nec Cæsari, nec ejus Delegato Leopoldo aliquid detulerunt, sed suæ Religionis Principes, præter juris ordinem, ad possessionem admitti postularunt; imo Cæsaris Delegatum ejecerunt. Causa feudi illa erat, & feudi quidem controversi: Moriente enim Duce Iuliacensi, Clivenfi, & Montenfi, ac domino Ravenspergenfi, nec non Comite Marchiæ, Guilielmo, sine mascula prole, feuda indubie ad sceminas devolvebantur, juxta investituram Caroli V, anno 1543 concessam, quæ in speciali nominabat,

*Saxonia  
Duces  
mitiores.*

*Causa Iuliacensis.*

bat, deficientibus masculis, filias Mariæ conjugis, quas omnino voluit succedere; aut si earum nulla superstes esset, & tamen ex una, vel altera legitimi hæredes superessent, ut tum ad earum relictos hæredes masculos, qui tum viverent, devolverentur, & tanquam feuda iis concederentur. Ex his verbis obscuris nata est lis inter Principes Brandenburgicum, & Neoburgicum, quis eorum deberet præferri. Uterque enim erat filius, ex filia Guilielmi Ducis, & Mariæ conjugis; Brandenburgicus è primogenita, defuncta tamen; Neoburgicus è secundogenita, sed adhuc superstite, cui verba textus magis favere videbantur: erant adhuc alii remotiores ex sororibus Guilielmi Ducis nepotes, inter quos recensebatur Dux Niversius, Bipontinus, & Burgoviæ Marchio, qui tertiam ex filiabus habuerat, de quibus tamen minor erat difficultas: maxima tamen erat cum Saxoniam Electore, cui olim propter expensas factas in bello Ungarico, & Flandrico, Cæsares Fredericus, & Maximilianus Ducatum Iuliacensem cum attinentiis, si forte vacaret per defectum lineæ masculinæ, donaverant; quiq; in Caroli V investitura, & sæpe ante questus fuerat, eam extendi non potuisse ad filias; imo neque ad ipsum Guilielmum in præjudicium juris acquisiti. Quæ omnia cum controversi essent juris, ad Imperatorem spectabat feudorum possessionem tandiu detinere, donec examinata causa cognosceretur, quisnam deberet feudis investiri. Verum hoc jus Cæsareum inverterunt Principes ad feudum aspirantes, Brandenburgicus, & Neoburgicus, dum quilibet sibi partem defumere, & sese ipsum intrudere satagit; licet prævaricantes, fulti tamen subsidio Protestantium, seu fœderatorum Correspondentium, Halæ Snavorum in publico Conventu stipulata manu promisso, ausi sunt Cæsaris patruelem Leopoldum aggredi, illumque ex parte dittonis, atque ex ipsa arce Iuliacensi, nomine Cæsaris retenta, ejicere. Imo quia Leopoldus in Episcopatu Argentinensi militem colligebat, ac lustrabat; & ut moris est, milites Moltisheimienses, atque Tabernarum excurrerant in Vanzenaviam, & ad Rhenum; Electoris Palatini, Marchionis Durlacensis, & Principis

*Clausula investitura Cæsarea.*

*Electoris Saxoniam jura.*

*Jus Cæsareum defendere feuda.*

*Principes  
corre-  
spond.in-  
vadunt  
Leopoldi  
militem.*

*Fœdera  
externa.*

*Hollandi  
concedunt  
militem.*

Wittenbergici copiam, superato Rheno, Offendorfium versus contenderunt, & Vanzenaviam ingressi arcis Praefectum, quod deditionem facere detrectaret, custodiae manciparunt. Inde Dachosteinium versus, & Moltisheimium excurrentes, excubitores quosdam male mulctarunt. Interea in Iuliacensi ditione Leopoldus arcem Bredenbandanam, Calcofium, & alia loca invaserat, & è contra Principes Brandenburgicus, & Neoburgicus Duram, spretis Caesareis mandatis, per Anhaltinum, & Solmensem expugnarunt, nullaque videbatur amplius spes fore pacis, aliquoties Coloniae, & alibi frustra tentatae. Iam majoris momenti Principes, & Reges implorati, sese incipiebant causam tam periculosam ingerere. Rex Daniae transmissis suis Legatis Dusseldorpium, Principibus Protestantibus, tanquam suis agnatis, & ejusdem cum illo Religionis, suam operam obtulit. Hollandi proximi, sponte sua concipientes Regionibus suis egregium vallum aliquando ex Iuliacensi, & Clivenfi Ducatu praeparandum, frequentissimum militem, arma, instrumenta, tormenta, ceterumque belli apparatus liberaliter subministrarunt. Rex Galliae invitatus à variis, tandem auxiliares suas copias Principibus Protestantibus, in quorum foedus Halae admissus fuerat, liberaliter transmisit, & ad majora se accinxit. Anhaltinus Princeps ex Gallia redux per Germaniam in Hollandiam appulerat, ibique foedus inter Regem Galliae, Principes Correspondentes Germaniae, & Ordines Hollandiae ad exturbandum Leopoldum firmaverat. quare collecta majori parte exercitus, ex Hollandia in Iuliacensem ditionem irrupit, & Leopoldi militem etiam extra ditionem Iuliacensem in Coloniensi, Leodiensi, imo & in Brabantina regione sequutus undique submovit, ut non ita pridem fecerat Reckemii prope Trajectum ad Mosam, ubi incenso virginum monasterio, combustisque quinquaginta circiter militibus, quatuor turmas equitum, & unam cohortem peditum oppresserat, aliosque persequutus fuerat.

In Germania vero Marchio Durlacensis, Marchiones duo Anspacenses, Ioannes Fredericus Dux Wittenbergicus, Dux Bipontinus, duo Comites Solmenses, aliquot

aliquot Comites Rheni sub Palatino Electore infirmum exercitum congregaverant, ut sub specie repellendi militem Leopoldicum, qui in Episcopatu Argentinensi colligebatur, non solum illum militem submoverent, sed in Episcopatum Spirenses, Wormatiensem, Argentinensem, Moguntinum, universumque Clerum injurii, ulterius de eorundem exterminio deliberarent; nec erat, qui tot, tantisque insolentis sese opponeret. Hispani etenim altum stertentes, & undequaque suum Belgium defendentes, rebus Imperii sese immittere volebant. Casar Rodolphus inter parietes Pragensis Aulæ latitans, solis diplomatibus agebat. Matthias Rex Ungariæ fratri, & patrueli offensus, cunctisque diffidens, & in reformanda Austria satis occupatus, dissimulabat. Ferdinandus Archidux longe distitit, & impotens, vix subsidium fratri Leopoldo inter tot hostes periclitanti conferre valebat. Principes Electores sacri multitudinem hostium consternati, exceptis paucis copiis Duci Baviaræ commissis, non nisi modestissimis commerciis, vim deprecabantur. Omnes simul imminentem cladem, præsentemque ruinam trepidantes expectabant. Maxime vero cum anno 1610 tantum exercitum, ad sexaginta millium quæ equitum, quæ peditum, in Gallia sub rege Henrico IV collectum esse, tantoque apparatu instructum constabat. Iam non de una ditioe Iuliacensi, Clivensi, ac Montensi, sed de universo Belgio, Italia, Germania, & de Romano Imperio agi videbatur. Verum hæc omnia cadente Henrico per manum parricidæ, ceciderunt; magnoque metu solum fuit Imperium paulo ante desperatum. Non tamen adeo conciderunt Hollandorum, & Principum Protestantium animi, quin Iuliacum obsidere, & oppugnare, atque tertio mense expugnare ausi fuerint. hinc res Catholicorum in deterius versa est. In superiore Germania correspondentes Principes cum Catholicis Electoribus, & Baviaræ Duce, qui Catholici foederis Præfectum agebat, conciliati sunt, spontes utrimque se pacem culturos; nec mutuam ditionem infesturos, excepta re Iuliacensi, quæ cuilibet parti libera maneret, ut servatis Imperii constitutionibus,

*Novus  
tumultus  
correspon-  
tium ad  
Rhenum.*

*Exiguus  
apparatus  
defensivus  
Catholico-  
rum.*

*Casus Re-  
gis Gallia*

*Pax inter  
Catholi-  
cos, &  
protestan-  
tes Mo-  
nachii.*

*Petita Ci-  
vium.*

bus, in quam vellet partem inclinaret. In Inferiori Germania Aquisgranenses cives excitato tumultu Senatuum suum submoverant: ob hereticæ Religionis exercitium severius ab illis castigatum, illud deinde publice permitti, Iesuitas à civitate exterminari, & tam Protestantes, quam Catholicos in Senatum cooperari, exules aliquando propter Religionem revocari postularunt. Portas civitatis occupaverunt, & ad Iesuitarum Collegium declinantes, iis petulanter insultarunt, in illos suas bombardas explosarunt, sacram suppellectilem distraxerunt, & in penum, culinam, reliquasque officinas violenter irruperunt. Præter hæc ad Principes Brandenburgicum, & Neoburgicum, nec non ad Ordines Hollandiæ miserunt, ut se suaque commendarent.

*Halber-  
stadiensia  
Comitia.*

Halberstadii hoc tempore congregata fuere Comitia illius districtus tum ratione Iuliacensium ditionum, tum ratione Brunsvicensium Ducis & urbis, nec non ratione ipsius Episcopatus Halberstadiensis, in quo, mutata Religione ante annos 16, Canonici ad exclusionem aliorum suorum sodalium Catholicorum, fuerant nisi variare juramentum eorum, qui deinceps recipi debebant; ut tali juramento excluderent Catholicos, quos sciebant non posse publice detestari auctoritatem Pontificis, & Fidei Catholicæ Romanæ, profitendo Lutheranam, quæ tamen omnino ab illis exigebatur, ipso Episcopo Pragæ existente aliquoties has novitates improbant.

*Conven-  
tus Ducum  
Saxonie.*

Similem inter se Conventum celebrarunt Saxonici Duces, Christianus Elector, Ioannes Georgius, & Augustus fratres, Fredericus Guilielmus, & Ioannes Lineæ Vinariensis, similiter Ioannes Casimirus, Ioannes Ernestus fratres Coburgici, ut turbis Imperii, & familiæ circa ditionem Iuliacensem summopere vexatæ consulerent, ubi cum de Brandenburgici actione ageretur, haud difficile visum est cum Brandenburgico hac in re convenire; sed mox Saxonie Elector Christianus vita decessit, & Ioanni Georgio fratri locum reliquit.

*Protestan-  
tes in  
Austria.*

Protestantes per Austriam à Matthia Vngariæ Rege liberum Religionis exercitium, olim à Maximiliano II, cer-

II, certis conditionibus solis proceribus concessum, hoc anno importune pro quarto, seu plebejo statu expetierunt; quod cum negatum fuisset, implorarunt illi operam, & auxilia Vngarorum, Moravorum, aliarumque provinciarum, quibus hoc aliquando liberalius fuerat indultum; sed aliud nihil impetrarunt, quam velle Regem omnes omnino civitates, & vicos omnes quatuor istis statibus adnumerari, & pro quarto statu haberi. Interim autem mandare, ut neque Catholici ab Augustanae Confessionis addictis, neque hi ab illis ullo modo turbarentur, sed pax, & concordia servaretur; quo decreto Religio Catholica magis stabilita fuit, & tantum Lutherana secta tolerata, quæ hæcenus in ædibus nobilium invaluerat.

Bohemia jam undequaque turbata, dissentientibus Rodulpho, & Matthia, à quibus literæ illæ pessimæ, quas vocarunt Majestatis, Protestantibus concessæ fuerunt, ingentibus etiam turbis confictabatur per Passaviensem militem à Leopoldo introductum in ipsam urbem Pragensem non sine strepitu, & commotione civium seditiosissimorum, qui tam in veteri, quam in nova urbe concitata plebecula, proletariis infimæ conditionis hominibus, in aliquot Religiosorum monasteria involarunt, quatuordecim circiter ex Franciscanis strictioris observantiæ monasterii S. Mariæ ad Nives crudeliter mactarunt, duas Abbatias, Collegium Dominicanum unum, monialium alterum abreptis omnibus pessime mulctarunt, quibus malis Matthias evocatus mederi curavit, & deferente stationem Leopoldo, ab Ordinibus, & Cæsare Coronam Regni Bohemici obtinuit, fratrem Rodulphum in ordinem redegit, atque Ordinibus Regni abunde providit. Quod cum idem statuisset Imperio facere, diemque ad componendos tumultus Norimbergæ indictum per suos Delegatos frequentare decrevisset; Correspondentes Principes, antequam eo venissent, prius Rotenburgi ad Tuberam convenerunt, ubi de gravaminibus questi, Donavertæ restitutionem, Principum Protestantium in ditione Iuliacensi possessionem, aliasque immunitates postularunt. Legationes ad Helvetios,

*Bohemia  
rursus  
turbata.*

*Dies in-  
dictus No-  
rimbergæ  
an. 1611.*

tios, & ad alios extra Germaniam instituerunt; gravissimamque exactionem ad constituendum ærarium sibi invicem imposuerunt. Ad Conventum deinde Norimbergensem venientes nihil non moverunt, ut conceptam designationem turbarent, cum Rodulpho nonnulli, cum Matthia alii seditiose colludentes, & utriusque Imperium rejicere summo conatu studentes. Moguntinensem Electorem tunc offenderat Bavaria Dux recenti detentione, invasione, & apprehensione Wolphgangi Theodorici Archiepiscopi Salisburgensis; quæ quamvis legitima auctoritate fuisset facta, nihilominus præcipuis Ecclesiasticis Germaniæ non valde placuisse dicebatur, multique non infimi nominis moderationem quandam desiderassent.

*Obitus  
Rodulphi  
an. 1612.*

Accessit his obitus Imperatoris Rodulphi; quando Vicariatus Palatino obvenit, & passim molestissimis sententiis Catholici Aquisgrani, Bibraci, & alibi infestabantur, querebanturque à Vicario ansam datam esse suam dignitatem prorogandi. Sed Electores Francofurtum more consueto evocati, in Matthiam Regem Bohemiæ, & Vngariæ coronatum opinato citius conspirarunt. Is sopito tumultu Francofurtensium civium contra Senatum, & Iudæos, data insuper sententia pro Senatu Coloniensi, contra Mulheimienses è civitate Coloniensi plerumque exules, ut inceptum emporium non procul ab urbe, utpote in civium perniciem cogitatum, demolirentur; Comitia Imperii Ratisbonam indixit, in quibus tamen gravaminibus Protestantium satisfacere studuit, ut instauratis visitationibus Camerae Imperialis, justitia promoveretur; Assessorum Camerae numerus, & Stipendia auferentur, sublata Calendarii differentia, conformitas constitueretur; controversiæque omnes componerentur. Ad hoc requirebatur prius Electorum, atque aliorum Principum consensus, justa aliqua collatio ad infringendos Turcas, Vallachiam, Transylvaniam, Moldaviam, & Vngariam infestantes, pacemque alias pactam turbantes. Insuper in Imperio requirebatur justa rei monetæ constitutio, totius etiam Imperialis Albi completio. Quæ omnia cum maxime urgerentur, & Cor-

*Comitia  
Ratisbo-  
nensium.*

*Gravamina  
Protestan-  
tium.*

respon-

respondentes Principes sese difficiliores præberent, urgerentque mutationem Bullæ Aureæ, abrogationem pluralitatum votorum, abolitionem gravaminum, & justitiæ opus commutatum, nihil aliud agi potuit, quam ut abrogatis prolixis scriptis, ad consultationem condescenderent; in qua cum rursus Protestantes difficillimos se præberent, nihil aliud sibi in mandatis esse dixerunt ab iis, qui tantæ rei caput erant, quam ut non obtentis petitis, infecta re, ad quam venerant, abscederent. Quo auditu excandescentes etiam Catholici sua gravamina obtulerunt longe majora, & plura quam unquam Correspondentes obtulissent; monstrarunt tamen nihil se omisisse, quin communi consulerent. non enim, ajebant, nos præpedivit sectarum varietas sub nomine Confessionis Augustanæ, quotidie irrumpens; non Ecclesiasticorum persecutio, non fortunarum detentio, nec cœnobiorum, aut templorum everfio, vel calumniandi licentia, vel famosi libelli, vel justitiæ inhibitio, aliaque quam plura incommoda nullo jure exantlata, quin semper in Comitibus ea agenda satageremus, quæ communi bono totius Imperii possent occurrere. exponebant insuper damna perpessa in ditione Hirsfeldensi, Spirensi, Wormatiensi anno 1609. Oppugnatio oppidi Prussellensis, quod tamen expugnatum ac fere in cineres redactum fuerat, militum in Episcopatu Argentinensi traductio, Cæsareihimienfis monasterii detentio, insidiarum deinde quotidiana multiplicatio facta Archiepiscopatu Coloniensi, Herbipolensi, Augustano, Ratisbonensi, Monasteriensi, Domui item Teutonicæ, Bibracensi, & aliis.

*Gravamina Catholicorum.*

Inter has disceptationes ex inferiori Vngaria tristis nuntius advenit de irruptione Turcarum, de Bethlemi Gaboris infido erga Bathorium obsequio, de illius ad Turcarum patrocinium perfugio, & de oppidi Lippenfis, Genensis, aliorumque proditio, neque tamen à Correspondentibus Protestantibus aliquid concessum fuit. Catholici tantum mitiores, non ferentes ultimam patriæ calamitatem, contributionem in 30 menses consenserunt, rogaveruntque Cæsarem, ut pro jure suo

*Gaboris defectio an. 1613.*

æqualitas constitueretur, quod à majori parte sancitum fuit; quamvis aliqui è Protestantibus recalcitrarent.

*Contra-  
versia in-  
ter Prin-  
cipes Iu-  
liac.*

Paulo post hæc irrita Comitata, in regione Iuliacensi inter Principes possidentes Neoburgicum, & Brandenburgicum controversia, & diffidentia exorta est, cui putativa Ecclesiastica Iurisdictio maxime causam dedit. Cū enim in pagis, & oppidis passim morarentur Pastores, Decani, & Canonici, Brandenburgicus Calvinistas, Neoburgicus vero Lutheranos substituere tentavit; idque non raro cum strepitu armorum, inter quæ unus, atque alter è Præfectis, ac nobilibus Neoburgici periit. Inter hæc filius Electoris Brandenburgici, Georgius Guilielmus, in locum Ernesti Brandenburgici administratoris defuncti substitutus fuit. Sed Neoburgici talem substitutionem admittere noluerunt, nisi in integrum restitueretur ditio Moniciensis cum fructibus inde perceptis, & nisi inter alia, gravaminibus omnibus, maxime Ecclesiasticis, abrogatis, Brandenburgici desisterent à seditione plebis, quam Neoburgici dicebāt passim instillato Calvinismo ad partes Brandenburgici cum exclusione alterius partis traduci. Quæ disceptationes tantam diffidentiam excitarunt, ut Neoburgicus clam ad Catholicorum Religionem diceretur transisse, eoque nomine magis & magis apud incolas jam ad Calvinismum properantes fieret exosus.

*Matri-  
monium  
Neobur-  
gici su-  
spectum.*

Auxit hujus mutationis famam matrimonium Neoburgici Ducis non ita post cum Magdalena Maximiliani Bavaricæ Ducis sorore institutum, nam quilibet, vel parum in Germania versatus, inde conjicere poterat, Neoburgicum Ducem Catholicæ Religionis nomen dedisse, aut mox daturum; quod tamen in sponsalitiis tam in Ecclesia, quam in mensa maxima dexterritate dissimulatum fuit. Exinde uterque Princeps firmum sibi satellitium comparavit, & si oppeteretur socios armatos esse iussit Neoburgicus, Bavaricos, Cæsareos, & Austriacos; secreto tamen imploravit, & de cætero magis Cæsari destructionem Mulhemiensem, promptamque partitionem in Iuliacensi ditioe dimittenda præcipienti obediens fuit. è contra Brandenburgicus ad Hollandos accessit, quorum fultus patrocini-  
Mulhe-

*Brandeburgicus  
Hollandis  
aocedit.*

Mulhemienſes architectos, & cives ædificationi accinctos, ad continuandũ, & perficiendum opus inceptum, contra Cæſaris præſcriptum hortatus eſt. Deinde apertiori Marte Duſſeldorpium, ubi tunc erat conjux Neoburgici, qui Leodium profectus fuerat, in tempeſta nocte, Suigelio Duce, & Hollandorum militum ſubſidiis fruſtra tentavit. quod ubi Neoburgico innotuit, laudatis Duſſeldorpienſibus civibus ob egregiam operam in repellendis hoſtibus præſtitam, ſtatim omnes urbes, & oppida admonuit, ut hoc exemplo ediſcerent, clandestinas hoſtium æmulorum ſtrophas fugere, ne damnum aliquod futuro poſſeſſori propediem nominando oriretur.

Hollandi, in Germania feriantibus armis Hiſpanicis, ut magis ac magis res ſuas ſtabilirent, cum nonnullis Civitatibus inferioris Saxonix foedus inire ſatagerunt, atque in primis cum Magdeburgenſibus convenerunt, qui ut ſe Pſeudoarchiepiscopus ſuus tueretur, illorum ſocietatem ambierunt; quod foedus ſenſim ad Brunſvicenſes, Bremenſes, Hamburgenſes, ac Lubecenſes extenſum fuit; maximeque ſollicitos reddidit Saxonix Electorem, vicinum Brunſvicenſem Ducem, Daniæ Regem illarum civitatum æmulum, & Cæſarem ipſum, cujus auctoritas tam forti foedere à Germania ſaltem Septentrionali proſcribi videbatur. Quare tam Saxonix Elector, quam alii ipſos Magdeburgenſes à tam periculoſo foedere dehortabantur, rogabantque, ut ad obedientiam Pſeudoarchiepiscopo præſtandam, ſi modo æquitati petitiones illius correſponderent, reverterentur.

Auxit periculum, quod circa idem tempus Elector Brandenburgicus, ut Hollandis magis placeret, ditionem ſuam hæcenus Lutheranam ad Calvinifmum cogeret; aſſumptis etenim ex Hollandia miniſtris, imagines ex templis proſcriptæ ſunt. Iamque erant altaria Catholico more reſidua ſolo æquanda; eorumque loco menſa lignea ſolo panno nigro ſtrata collocanda; Hoſtiarum loco panis in fruſtula conciſus uſurpandus; Palla ſacra omittenda; candelæ non accendendæ; nulla amplius reverentia in uſu Cœnæ faciendæ; Signa Crucis in Cœna

*Reformatio ditionis Brandenburgicæ*

omittenda; Confessio auricularis abroganda; prolato nomine Iesus non amplius genu flectendum, aut caput inclinandum, & denudandum: aegrotis non deferendum Sacramentum: Baptisteria lapidea ejicienda mal-luviis substitutis: Decalogus, & Catechismus debebat corrigi; Sacra Trinitas non amplius depingi, & plura his similia Atheismum sapientia: qua falsa Religionis imagine sibi persuadent Calvinistæ superstitiones aboleri.

*Neoburgi-  
cus fit Ca-  
tholicus.*

Neoburgicus Dux, quasi se his è diametro oppone-  
ret, tandem post longas dissimulationes Catholicam  
Religionem Dusseldorpii publice complexus est, ma-  
gnaque pompa, musicisque concentibus celebrato Sa-  
cro, Eucharistiæ Sacramentum una cum conjugè sus-  
cepit; ac non ita post, mortuo parente Philippo Ludo-  
vico, ditionem suam Neoburgicam ad Catholicam  
Religionem reduxit. In Iuliacensibus vero Regioni-  
bus, tam ipse, quam Brandeburgicus, de non turbandis  
in Religione subditis, plura decreta promulgarunt;  
qui etiam non semel ad sedandos exortos diffidentiae  
rumores, sed frustra, convenerunt. Hollandis autem in  
dies magis ac magis invalescentibus in imperio, quo-  
rum opera nunc Aquisgranenses, nunc Mulhemien-  
ses, Iuliacenses, Brandeburgici, alique Cæsaris obedi-  
entiam dediscebant, visum fuit Cæsari, Alberti Archidu-  
cis auxilium implorare, ut sua exsequeretur mandata  
dudum hinc atque illinc contempta. Itaque Marchioni  
Spinolæ exercitus 25000 militum fuit commissus cum  
debito belli apparatu, ac impedimentis necessariis: qui-  
bus copiis Trajectum ad Mosam descendit; ibique lu-  
strato milite, per pontem turmatim, ac singulatim ple-  
nis ordinibus transeunte, ad secundum lapidem extra  
urbem Trajectensem, universus exercitus in aciem  
constitutus, Imperium ingressus est, rectaque ipso ve-  
spere ad urbem Aquisgranensem se applicuit, quæ tan-  
to milite consternata, erectis prius tormentis bellicis,  
demisso deinde milite praesidiario, Marchionis Spino-  
læ arbitrio se dedit. Inde exercitus Marcoduram, Ber-  
chemium, Castretum, ac tandem Rinbergam, occupa-  
ris obviis civitatibus, deductus fuit, relicto Iuliaco,  
quod

quod omnino Hollandi obsidendum putaverant. Rinbergæ compaginato è navibus ponte, Spinola exercitum transmisit, & Wesaliam post aliquot tormentorum ictus, certas conditiones de Religione pactus occupavit. inde ibi relicto insigni præsidio progrediens, Mulhemienfes, solo æquata munitione, parere docuit. Interim Mauritius Hollandorum Generalis Præfectus cum suo exercitu ad arcem Schenckii excubabat, ut Marchionis Spinolæ progressus intueretur; cumque jam Wesaliam occupatam vidisset, præmissis aliquot è suis turmis equitum Embricum sibi dari postulavit; post Rhesam exercitum admovens illam absque gravi strepitu interceptit, ut æquali fere portione ditones Juliacenses, ac Clivenses viderentur inter Hollandos, ac Regios divisa.

Xanctis deinde Brandeburgici, Neoburgici, cum Delegatis Regis Hispaniæ, Ordinum Belgii Batavici, Electoris Colonienfis, ac Regis Galliæ convenerunt, ut via aliqua reperiretur, qua dimissis Regiis, & Hollandis, regiones illæ Principibus præfatis relinquerentur sine proprio, aut sociorum, adjacentiumque Principum periculo; sed illa post longissima commercia inveniri non potuit. Profuit interim quam maxime Germaniæ, Religionique Catholicæ, quod Hispanorum exercitus eo devenerit: nam Essenium Collegium jam tunc ab Hasso impetebatur; Paterbornensem dicecesim idem Hassus cum Nassovicis devorabat, Francofurtum Cæsari non parebat, perieratque in universo Imperio omnis disciplina, atque obedientia, quam quidem Hispanus idem exercitus stabilivit.

Facilius etiam poterat Cæsar Matthias, relicto hoc exercitu in inferiori Germania, Austriam, & Vngariam suam periclitantem servare. Turca enim, ejusque cliens Bethlemus, per eos dies ad bellum Austriacis Principibus inferendum parati, omnem movebant lapidem, ut pax alias inita per viginti annos vix decem elapsis corrumperetur. Quapropter novam explicationem articulorum, novas exactiones, & miras technas Christianis construebant, cogebantque Augustissimum Matthiam ad innovationem, explicationem, & exten-

*Frustrus  
exercitus  
Hispanicus  
an. 1615.*

*Periculum  
pacis  
Turcica.*

extensionem articulorum, quos alias magno labore, & sumptibus impetrarant.

*Pacta familiae Austriacae.*

Bella interim ex Germania in Italiam, ac postea in Galliam translata sunt, & domus Austriaca familiae suae rebus jacentibus, posteritati, paci, ac Religioni consuluit. Maximilianus enim percepta mente Imperatoris Matthiae, caeterorumque de familia Austriaca Archiducum, iter in Belgium instituit, ut de his rebus cum Alberto conferret. nam destituti haeredibus fratres omnes, onus familiae in Ferdinandum patrualem cogitarant rejicere; illumque ad Regna Bohemiae, & Ungariae, & ad altiora promovere. Compositis ergo rebus inter Austriacos, Pragam plures Principes evocati sunt; sed tractatus non adeo facilis extitit: nam Correspondentes Principes minus addicti hujusmodi successioni, tum in Bohemia, tum in Imperio, tum extra Imperium hostes familiae Austriacae adinveniant ipsimet, quo suas imposterum firmarent machinationes; cum Hollandis arctissimum foedus, dudum ante praeparatum, pacti erant, addicta summa trecentorum millium aureorum singulis annis pendenda Hollandis, ut de Batavia quatuor mille bene instructos pedites, & mille equites cataphractos ad nutum haberent. Mansfeldio deinde stipendia opulenta assignarunt, & militem alium in occulto praepararunt. Constat deinde, quod in animo clauserant Protestantes, tum ex variis Conventibus, tum ex litteris Palatini, quibus non semel Reges Galliae, atque Angliae ad ineunda foedera contra Caesarem sollicitaverat. Hinc illud cujusdam Consilarii Heidelbergensis judicium ad amicum an. 1614: Dominus absque dubio adhuc probe in memoria habet, quid ego apud Principum, ac Superiorum nostrorum per aliquot annos celebratos Conventus Correspondentiales publice monuerim, quod nimis arctum hoc, atque intrinsecum cum Hollandis foedus non videretur valde proficuum (& si non omittendum, aut omnino dissolvendum) ad Papistas confringendos.

*Finis foederis, extirpationis Catholicorum.*

Non poterat sibi bonus vir persuadere, Hollandorum foedus ad extirpandos Papistas necessarium fore; perutile tamen, ut contra praepotentes adversarios opera  
Hol-

Hollandorum uteretur, sine quibus vix aliquid tentari poterat. postea tamen re melius perpenſa, timidi hoc animi eſſe repertum eſt; nam ſi res bene aggredere- tur, cognovit poſſe ſine Batavorum ope Papiſtas extirpari. Extirpationem ergo Catholicorum ille approbabat, primarios Archiepiſcopatus, Episcopatus, Prælaturas, & reliqua Catholicorum ad Rhenum, Mœnum, Moſellam, & Danubium bona ſumme venabatur. Sed hoc per Hollandos fieri diſplicebat. Hinc alius D. Wake- rus dolebat de ſtatu Imperii, quod tam miſere ſe haberet, unicamque cauſam Hollandis adſcribebat; qui tam audacter contra Cæſaream Majestatem, & Roma- num Imperium inſurgere, Friſiam Orientalem occu- pare, cum Bremeniſibus, Brunſvicenſibus, Magdebur- genſibus, ſœdera inire, Iuliacum auferre, & integrum Imperium ludificari præſumebant. Querebatur ipſe Imperator Matthias in Comitibus Pragæ habitis coram Imperii Statibus de arrogantia, & continuis Hollan- dorum in Imperium excuſionibus in Archiepiſcopa- tum Colonienſem, Monasterienſem, Padebornenſem, Hildeshemiſem; item in Ducatum Iuliacenſem, Clivenſem, Bergenſem, Montenſem, & de portu Em- dano occupato, inſuper quantum ſupercilia erexiſſent, occupatis præcipuis paſſibus ad Rhenum, Moſam, A- meſim, Veſurgim, Albin, & Oderam, ut jam præſume- rent, Brunſvicenſibus ſuccurrere, Iuliacum invadere, ipſumque Sultanum ad bellum Germaniæ inferendum urgere.

*Querela  
Cæſaris de  
Hollandis  
an. 1616.*

Cum talibus ergo, quod probus quiſque & multi etiam hoſtes improbabant, Principes Correfpondentes ſœdus inierant, ut res Auſtriacorum Principum turba- rent. Hi vero in Ferdinandum Grezio evocatum onus familiæ rejecerant, eique Bohemiam ceſſerant, quod ipſe Rex Hiſpaniarum poſt filios Maximiliani Cæſa- ris Rodolphum, Matthiam, & Albertum ex eorundem ſore filius, & proximus hæres pro Ferdinando tan- tum, ejuſque prole maſcula approbaverat, jamque diem coronationi designatum Bohemico Regi indixerant; cum ecce ſe offert, quaſi hujus designationis contra- rium, bellum Venetorum, qui occasione Segnenſium prædas

*Pacta fa-  
milie  
Auſtria-  
ca.*

prædas maris instituentium, in Forijulium irruerant, non alio fine ( prout fama erat, cui tamen me non subscribo ) quam ut Ferdinandum à corona Bohemiæ excluderent. faverunt non parum causæ Venetorum contra Cæsarem, ejusque patrualem Ferdinandum, non solum Hollandi, sed & Principes Protestantes, qui ut omnia turbarent, frequenter Conventus instituerunt, & hoc ipso anno, quo bellum Venetum ardebat, & quo Sabaudicum incendebatur, Mansfeldium cum bis mille militibus miserunt, qui contra Regem Hispaniæ, & Ferdinandum pugnaret. Hailbronnæ decreta sunt alia subsidia, & novum in Germania bellum, quo Catholici una cum Cæsare detinerentur, clam adornabatur. Nam cum feliciter transacta fuisset Bohemica coronatio; Cæsar cum Rege designato, & Archiduce Maximiliano in Saxoniam profecti, de Romana Corona eidem Ferdinando imponenda deliberarunt, & non ita post Conventum Electorum præparatorium indixerunt; Verum Palatinus Elector cum suis asseclis omnem lapidem movit, ut illa præpedirentur; importune hoc apud Electorem Brandenburgicum egit, Moguntinum ad hoc conatus est inducere: ipsemet adulta hyeme per trahas Monachium devenit, & cum Duce Baviariæ simulata amicitia, familiæ Baviariæ splendorem, jura, & pristinas fortunas memorans, illum magno verborum circuitu, suo, suorumque sociorum inimicorum Domus Austriacæ suffragiis, & auxiliis ad Regiam Germaniæ Coronam evehere promisit, non ut Bavarum sibi magis proficuum promoveret, sed ut Domum Austriacam vexaret, eique æmulam inveniret, ut cum utramque simul committeret, ambas odiis, bellisque consumeret. Doluit postea Palatinus has tam artificiosas honoris ansas non arripuisse Bavarum, constanter hujusmodi dignitatem dolose oblatam repudiantem. Quare aliunde sperans ignem accendendum ( dum de promotione Mauritiæ Nassovici, vel Regis Daniæ, eo quod non essent Catholici, desperasset ) ad Sabaudici Ducem respexit, & illi vanam ambitionem Regiæ, nec non Cæsareæ dignitatis injecit.

*Impediuntur comitia Electoralia.*

*Submo- netur Elector Bavarica.*

*Comitia Vigarica indicta.*

Differebantur interim Comitia Imperialia, singulari

lari Protestantium calliditate, qui nunc has, nunc illas excusationis ansas præbebant, ita ut Austriaci Principes, ne feriarentur, Comitata, Vngarica præmittenda duxerint; in quibus rursus Correspondentes Principes speraverunt, vel ob nationis genium, vel ob gentium præensam immunitatem, turbas excitare, quæ Ferdinandum Regem deicerent, ejusque propitiam fortunam everterent. Hoc non uno loco, neque apud unum in Vngaria per Correspondentes præparatum extitit, prout in Bohemia jam pridem inter proceres actum fuerat, ut jugum Austriacum excuterent, & sibi libertatem pararent. Hoc multoties suggererat Christianus Princeps Anhaltinus, Ambergam Bohemici Regni proceres, ad seditionem Calvinisticè instruens, invitans, & conducens. In Germania similis ansa quæsitæ fuit, qua occuparentur circa Rheni partes Electores sacri, quo minus incendio alibi etiam excitato possent occurrere, & sic deliberatum est apud Correspondentes, primum de Brisaco Leopoldi propugnaculo invadendo Hollandorum auxilia requirentes. Deinde quomodo Spirensis Episcopi inceptum opus apud Vdenheimium posset præpediri: suggestumque fuit, non unam viam Legationis, vel commercii, admonitionisque, sed vim etiam adhibendam esse: timebatur tamen Cæsar, Moguntinus Elector, aliq; tam sacri, quam sæculares Principes. quare rursus expeditione coram nobilitate Rhænana petraçtata, & postea Principibus relata, visum fuit per certos Canonicos Heidelbergam, qui vim deprecarentur, & de damno caverent, convenire. quapropter ordinati fuerunt operis visitatores, certiq; fines præscripti.

*Bohemæ  
subornatur.*

Interim in Bohemia, ubi jam dudum certabatur odiis, & studiis promovendarum sectarum, etiam per concessionem Regis aliam factam, qua solum concessum fuerat sectariis exercitium liberum in propriis fundis Dominorum non Catholicorū, aut in Regis bonis, nonnulli inquietiores præsumpserunt erigere fana, & sectario more prædicare etiam in locis Catholicorum, & quidem Ecclesiasticorum, quæ Cameralia vocabant vitiato nomine; nō quod Regis essent bona Ecclesiastica, sed quod sub protectione Regis manerēt, & in favorabilibus

*Origo Bohemica  
rebellionis*

*Reorum  
liberatio  
intentatur.*

libus ejusdem generis privilegiis gauderent ; quæ tamen ad odiosa extendi non poterant, nisi ab immunitatis Ecclesiasticæ violatoribus ; quapropter Clostergrabii, ( qui locus ad Archiepiscopum spectabat ) sibi templum extruentes, invito Archiepiscopo ibidem convenerunt; sed cum per Cæsaris Matthiæ sententiam causa cecidissent, Archiepiscopus, collectis operariis, templum solo æquavit, totumque exercitium interdixit. Simile fanum construxerunt sectarii sub ditione Abbatis Braunoviensis, eo invito inconsultoque; ac nova quotidie decreta sanciente, quibus jubebantur ab opere abstinere, fanum claudere, & claves Senatui Regio Pragensi deferre. quod cum pluries illis imperatum fuisset, nec tamen obedissent, sed contra legem, contra Senatum Regium, & manifesta mandata progressi essent, tandem aliquot cives Branovienses Pragmam conducti in carcerem missi sunt, tum ratione delicti, tum contemptus Regii Tribunalis. ut autem isti liberarentur, ejusdem sectæ socii proceres, & defensores nullis precibus, sumptibus, minis, & amicitiiis perpercerunt, nihilque omiserunt, ut pariter Theobaldus Hochkuis, ejusdem Religionis, & multorum arcanorum conscius ( quippe qui præcipuis Bohemiæ proceribus fuerat à secretis ) dimitteretur, ne conspirationes multorum cum Principibus Correspondentibus Germaniæ detegerentur. Hinc defensoribus Religionis instituentibus commercia solito frequentiora, in quibus de reorum liberatione agebatur, eadem à Cæsare, jam aliquid de conspiratione sentiente, Viennæ, ubi tunc erat, serio interdicta sunt; mandatumque est Rectoribus Regni, ut in tales conventicularios, tanquam in seditiosos animadverterent. quare nonnulli à conventiculis abstinerunt; at alii indicto solemnibus Conventibus è suggestu per concionatores, qui etiam preces populi ad stabiliendam rem suæ sectæ exigebant, quasi pulsato classico, plebem ad defendendam eorum falsam Religionem accenderunt, ut longe majori numero contra præceptum Regis convenirent, & de defensione agerent; non tam ratione, quæ à seditiosis exulabat, quam furore; quo inflati Bohemorum proceres, dissimulantes ad

ad biduum concepta consilia, paucissimis communi-  
cata, una cum Comite Turnio, totius Conjurati-  
onis facile principe, 25 Maji curiam Regiam armati con-  
scenderunt; & hora Concilii Conclave Regium, ubi  
Consilarii ad res Regni tractandas confidebant, tu-  
multuarie ingressi, cum Regiis Regni Legatis varie de  
Religionis suæ privilegiis violatis disceptarunt. seposi-  
ta deinde omni reverentia, nonnulla Decreta expo-  
suerunt; ac tandem in tres Consiliarios, Baronem Sla-  
vatam, Baronem Smifanskium, & Secretarium Phi-  
lippum violentas manus injecerunt, eosque è fenestris  
ejusdem loci sacrosancti in profundissimum vallum  
chlamydatos, & gladiatos deturbarunt. Et quia singulari  
fane miraculo incolumes evaserant, aliquot bombardarum  
ictus in procumbentes exploferunt. Ceteros  
duos (quinque enim illa die tantum confederant cum  
Secretario) domum abducentes, Magistratu privatos  
custodiri præceperunt. Rationem tam temerarii faci-  
noris, sedata plebe, prima die, biduo post prælo edide-  
runt, factumque apud Cæsarem non tam excusarunt,  
quam quod merito illud egerint, defenderunt. Pro-  
scripsere PP. è Societate Iesu à toto Regno sub gra-  
vissimis pœnis, ob multas, & eminentias causas, quibus  
postea ab ipsis optime, & summa modestia, & pruden-  
tia, ut assolent, fuit responsum. Ne autem castigaren-  
tur, statim Regni administrationem invadentes novum  
Magistratum instituerunt, triginta Directores è toto  
Regno selegerunt, illisque Regium Palatium tradide-  
runt: conscripsere deinde milites, socios monuerunt,  
atque è toto regno, vix duobus oppidis exceptis, Re-  
gem ejecerunt.

Cæsar pacata consilia sequens, à principio seditio-  
nem componere cogitans, pluribus litteris egit, ut Re-  
gni proceres, juramenti sui memores, solitum obse-  
quium Regi suo inuncto, consecrato, & confirmato  
deferrent; sciensque non omnes tanti sceleris reos esse,  
solummodo paucos illos supra commemoratos ad  
exemplum cæterorum punire statuerat; sed inanes fue-  
runt apud furentes subditos Cæsaris monita, & huma-  
nitatis officia, immo cum rursus illis obtulisset privile-  
giorum

*Tumultus  
Bohemus  
per eje-  
ctionem è  
fenestris.*

*Pacata  
consilia  
Cæsaris  
Clemen-  
tiss.*

*Liberalis  
Cæsaris  
oblatio ad  
sedandos  
animos.*

giorum confirmationem, eorumque integram observantiam, litterarum Majestatis ( quas violatas querebantur ) innovationem, Religionis exercitium illis literis promissum, pluraque immunitatem, ac indulgentiam clementissimi Principis, summamque animi moderationem exprimentia; magis animum induraverunt.

Intercessere deinde Principes, Saxoniae Elector, Bavariae Dux, Ferdinandus Austriacus, Bohemiae Rex designatus, & alii, qui reis pacem, & immunitatem pro Cæsare sponderunt; sed nec ista profuerunt. quare tandem arma, sed quidem eminus, ostensa sunt; nam in limine Regni Comes de Tampier consistere jussus fuit, praemissusque Cæsaris Fiduciarius, & plenipotens Commissarius D. Kainius, ut volentes conciliaret, clementiam deferret, ac durioribus arma demonstraret. verum, quia cum surdis loquebatur, vix non fannis, & sibilis exceptus fuit.

*Vdenheimium  
destruitur.*

Inter hæc commercia primi mensis, Principes Protestantes Germaniae observantes Cæsarem à seditione domi nata præpediri, nec facile posse Imperii malis subvenire; ut turbatis rebus, fortunæ suæ consulere; in jam dudum præparatam violentiam erupere circa arcem Vdenheimiensem, ab Episcopo Spirensi in loco suæ residentiae erectam, & adhuc controversam. Illam enim Princeps Palatinus Elector, Dux Wittembergicus, Marchio Badensis, & Princeps Christianus Anhaltinus, assumptis aliquot militum turmis, & operibus quamplurimis invadentes, aliquot horarum spatio demoliti sunt, unaque hora ad centum millia florenorum damni Episcopo intulerunt. Gliscentes deinde Bohemorum seditiones, ut laude dignissimas approbarunt, & novas ipsi Cæsari, suis tamen rebus commodas, præpararunt. Quæ ut feliciter succederent, Bohemos in sua Rebellionem favendos censentes, militem statim conscripserunt, & externorum operam ad res inauditas pertinaciter incipiendas temerarie implorarunt.

*Conveniunt  
Correspondentes.*

*Sabaudia Ducis  
copias*

Per hæc tempora Sabaudia Ducis, pace inita cum Rege Hispania, copias dimittere cogitans, alias mu-  
tuo

tuo datam legionem duorum millium non requisitus sub ductu Comitis de Mansfelt in Germania suis expensis alendam promisit, ( si vera sunt, quæ typis divulgata leguntur in Cancellaria Anhaltina) rogavitque, ut Palatinus illis copiis uteretur, ubicumque luberet, modo hoc soli Christiano Principi de Anhalt, Electori Palatino, & Brandenburgico innotesceret.

Petierant hi triumviri paulo ante ab eodem Sabauda exercitum quindecim millium per Legatum, & fiducia literas: & quia illo tempore cum supradicta legio duorum millium dimissa esset, nondum Legatus in Sabaudiam devenerat, optime sperabant, sese petitas copias consecuturos, ut mare Adriaticum cum Oceano jungerent; ut Bohemicum negotium, aliaque ab eo dependentia foverent; ut Vicariatum Imperii, si interregnum fuisset, substituerent, & ut gravamina toties inculcata, prætermissa deinceps, transactione mutua, solis armis expedirent. In hunc finem antequam à Sabaudia literas recepissent, jam Mansfeldius quatuor mille pedites sub signis habebat, & Ioachimus Ernestus Marchio Brandenburgicus in ditione sua bis mille pedites; suadebatque, ut Palatinus illorum opera in expeditione Bohemica uteretur; ut Bohemorum animos, quibus hujusmodi auxilia forent omnino necessaria, sibi conciliaret. Initus postea fuit ab his Triumviris Conventus; in quo de notabili summa pecuniæ, de Palatino ad coronam Bohemiæ promovendo, de Catholicis Episcopatibus servata partium æqualitate distribuendis, de munere regendi summo jure exercitus Electori Palatino deferendo, de duobus Legatis substituendis, quorum alter circa Rhenum, alter vero in Franconia imperaret; ac tandem de armilustrio in Dicecesi Herbipolensi instituendo deliberatum est. Hæc tamen omnia non solum Sabaudia Ducem, quippe qui ad opprimendos Catholicos non consentiret; sed etiam sui foederis socios reliquos, ut Ducem Wirtembergicum, Bipontinum, Culebacensem, civitates Imperiales, aliosque latebant; nec Bohemis quidem, nisi paucissimis, quænam essent Mansfeldii consilia innotuerat. Notarunt tamen postea Triumviri ad proposi-

*Scopus  
correspondentium.*

*Conventus  
Triumvirorum,  
eorumque  
consilia.*

*Arcana  
consilia  
paucis  
revelata.*

tas metas invasionis Catholicorum Brisacensis oppidi, & conjunctionis Adriatici maris cum Oceano pertingi non posse sine Marchione Badensi, cujus ditioes Allatiam, necessario invadendam, contingunt. Quare etiam ipsum admoneri oportuit, quo consilii particeps opportunam sibi ditioem invaderet. Iam tunc in eodem Concilio servabatur pro Frederico Palatino corona Bohemica, ad quam ( ut mentiebantur Triumviri ) Palatinus quidem pro innata sua modestia non aspirabat; sed Status Bohemici, utpote novarum rerum cupidi, quam maxime in ejusmodi mutationem inclinabant, gaudentes contra Ferdinandum has turbas excitari, audebantque Correspondentes Principes, saltem arcanorum conscii, Sabaudia Duci polliceri dignitatem Imperialem, si Palatinus Elector, illius auxilio, coronam Bohemiae assequeretur, cum nihil foret dubitandum, quia ille duorum votorum in Collegio Electorali potens, Brandenburgici etiam voti securus, facile etiam Treverensem Electorem in suam partem inducturus, tanto beneficio debita gratitudine responderet.

*Promissa  
Duci Sa-  
bandia.*

*Correspon-  
dentes  
mittunt  
auxilia  
Bohemis.*

Horum omnium, ut fieret aliquod reapse initium, sine quo Bohemici adhuc benevolentiae commerciis detenti, forte paruisent Caesari: statutum fuit per eosdem Triumviros, ut legio quatuor millium Mansfeldicorum quantocius compleretur, atque in Bohemiam sub ipso Mansfeldio, Bohemos dirigente, ac promovente seditionem, transmitteretur, ne suppetiarum tarditas formidinem, ac trepidationem incuteret. Nam paulo ante, quam has copias recepissent Bohemi, Ordines Regni Caesari subscriperant, satis demisse rogantes, ut interpositionem S. R. Imperii Electorum Moguntini, Saxonis, ac Palatini admitteret. Si enim, inquiebant, per hanc Electorum interpositionem de gravaminum suorum levamine certi esse possent, se suas copias dimissuros, regni incolas ab armis revocatu-  
 rum,

rum, nec non etiam Bavariæ Ducis admisisset, & pro tractatu instituendo urbem Pilsnensem designasset, immo spondisset, se militem suum revocaturum, aut mandaturum, ut suis sumptibus viveret, nullumque damnum inferri, si modo à regimine, & ab armis absterent: hoc tamen postea Bohemi, jam adveniente milite superbientes, respuerunt; dixeruntque interpositionem non fore liberam, & arbitrariam, nec civitatem Pilsnensem Conventui Electorum designatam esse idoneam simili interpositioni; aliasque executiones prætulere, è quibus constat, nullo modo velle reconciliationi studere. quare paulo post Pilsnensem civitatem obsederunt; & ne in Bavariæ indignationem inciderent, prolixis technis, ac dolis, sese excusarunt.

Addita subsidia, ut Correspondentes Germaniæ promoverent, vel potius, ut Cæsarem reprehenderent, quod præter verbum datum Evangelici Ordines atrocius injuriis in Bohemia turbarentur, Conventum Rotemburgi ad Tuberam instituerunt, ex quo Cæsarem monuerunt, ut turbas Bohemicas quam citissime componeret, lenitatem severitati anteponeret, duras condiciones remitteret. Imo ausi sunt rogare Cæsarem, ut Duces, & copias suas militares Regno Bohemiæ excedere juberet, ne non solum illi, qui provincias hæreditarias possident, sed etiam alii, qui in Imperio Evangelicæ Religionis addicti sunt, ansam suspicandi haberent, illum velle una cum litteris Majestatis Bohemiæ, etiam pacem Religionis Imperii corrumpere, & Evangelicos exterminare; quod, ut dicebant, non sine diffidentia foret, & magnum in Germania aditum Turcarum potentia pararet. Hæc quidem à communi Conventu Correspondentium scripta fuere. Triumviri tamen sciebant quam dolose cum Cæsare agerent, qui paulo ante ad turbanda omnia, Mansfeldium ad Bohemorum subsidia dimiserant, & nunc perquirebant, quid respondere possent iis, qui forte in cognitionem venissent, Mansfeldicas copias vel à Correspondentibus, vel à Sabaudia Duce subministratas. verebantur enim, ne multi rei veritate attoniti offenderentur.

*Conventus  
Correspondentium  
Rotemburgi.*

*Cæsaris  
prima co-  
pia in Bo-  
hemos.*

Comes interim de Tampier suas copias duxit contra obstinatos Bohemos, quæ militari prudentia oppidulum Gomviziium occuparunt; & Pilgrami, ac sylvis hærentes, non facile sese aperto campo, aut populosis pagis credebant; nam præterquam, quod vicini passim essent hæretici, magna accessio Bohemicis castris facta fuerat per Hoenlojum, ex parte Brunsvicensium copias ducentem; ita ut tunc in Bohemorum castris triginta millia tum equitum, tum peditum numerarentur; quibus jam nec Bucquojus, nec Tampierius, sufficiebant. Ex alia parte Mansfeldius Pilsnam cum sua legione, milite Bohemo, & evocatis vicinis, seu milite patrio obsidebat, non sine sollicitudine Catholicorum, exiguas, aut omnino nullas copias habentium. Silesii etiam militem conscripserant, eumque domi suæ retinebant, nullo modo Regi, aut Cæsari proficuum; immo armati voluerunt cum Cæsare contendere, Bohemos commendare, excusare, & pro ipsis plenissimam libertatem impetrare; illaque non impetrata, causam Bohemorum suscipere; insuper & eidem Cæsari certas leges præscribere. Quæ cum Saxonix Elector non parum castigasset per Iacobum à Grunthall, nihilominus aliud impetrare non potuit ab ipsis, quam quod nihil vellent moliri, & eventum spectare Pilsnensis obsidionis. Qua postea feliciter pro Mansfeldio absoluta, concitatis illi passibus sese Bohemis conjunxerunt.

*Quevela  
Ducis Sa-  
xonix &  
Bavaria.*

Per eundem Legatum Saxonix Elector questus fuerat apud Bohemos de Pilsna obsessa, quam obsidionem magis ad exacerbandos animos, quam ad componendos facere judicabat. Quod idem Dux Bavariæ prolixa Epistola ad Ordines Bohemix notaverat, rogans, ut civitatem illam desererent, illaque deserta, sibi in viam ad reconciliationem aperirent. Sed hætantorum Principum monitiones nihil ponderis habere apud eos, qui Catholicos Pilsnenses agre ferebant, multumque de illis querebantur, ut probe Catholicos, & Cæsari devotos expugnarent. Fecerunt hoc quidem; manseruntque in universa tantum Bohemia Cæsari devota oppida Budtwitzium, & Crumloviam, quæ non sine difficultate servata sunt ab armis hostium;

rium; Budtwtizium enim aliquoties hostes tentarunt; & in vicinia tales velitationes commiserunt, ut prælia magna referre viderentur, ipsis hostibus tamen plerumque triumphantibus.

Bohemia jam tota fere seditiosa, utraque Austria se-  
*Austria*  
*rebellio.*  
 se movere cœpit; indixerat enim Viennæ Cæsar diem  
 Statibus Austriæ, ut consulerent, quomodo perturbatis  
 rebus Provinciæ posset mederi, & quid ab iis subsidii  
 sibi posset, aut deberet promittere. Verum nec ipsi re-  
 spondere voluerunt, nisi sublatis suis, ut inquietant,  
 gravaminibus. Deinde secundo moniti variis protesta-  
 tionibus sese excusarunt; ac tertio tandem cum Bohe-  
 mi in Austriam irrupissent, varie cum Catholicis Or-  
 dinibus Ordines Evangelici disceptarunt; An Archidux  
 bellum movere possit sine Ordinum consensu; An  
 Catholici adhuc Evangelicos in concessa Religione  
 velint turbare; & inter has quæstiones potius Cæsa-  
 rem, ejusque Consiliarios condemnarunt, quod postpo-  
 sitis intercessoribus Bohemis, præpostere pacem dene-  
 garit; atque ita se nescire responderunt, quomodo Bo-  
 hemis possit resisti in tanta perturbatæ patriæ calami-  
 tate, nisi eos rogando, ut abscederent, vel Generalis  
*Rationes,*  
*& scopus*  
*rebellionis*  
 Conventus Regnis omnibus hæreditariis indiceretur.  
 quibus verbis nihil aliud Austriaci petebant, quam  
 concessa libertate Religionis, pro cujuslibet libidine,  
 pacem aliquam nancisci, qua Principem facerent ser-  
 vum, & subditorum suorum perpetuum mancipium.  
 Hoc urgebat Comes Turnius cum suo exercitu, con-  
 sentientibus Austriacis, in patriam admissus, ut quod  
 in Bohemia obtinere non potuerant, in Austria etiam  
 ab invito Cæsare extorquerent. Eadem fuit mens Prin-  
 cipum Silesiæ, qui suum militem Bohemis conjunxe-  
 rant, & parem insolentiam in Austria exercebant, ne-  
 que moniti vel in minimo Cæsari parere volebant; nisi  
 generalem libertatem Religionis, cæteraque omnia  
 postulata Bohemis concederet; in quibus cum Cæsar  
 magno certe jure tergiverfaretur, nihil omiserunt Bo-  
 hemorum, & Silesiorum Duces, quo ad id illum adige-  
*Bellum*  
*offensi-*  
*vum Bo-*  
*hemorum.*  
 rent. Exercitum enim in duas partes diviserunt: pars  
 Austriam depopulabatur, & pars in Bohemia Cæsaris  
 exer-

exercitum circa Budtwitzium latitantem observabat, neque inde illum egredi patiebatur.

*Austrii  
Superio-  
res rebel-  
lionem  
movent.*

*Oblata  
Caesaris  
clemen-  
tia, & in-  
ducia sub  
fine anni  
1618.*

Austrii supra Omasum jugum etiam excutere cogitantes, munimentum excitaverunt contra Bavarum, & Passavienses; armati deinde contra Caesaris militem, eum à finibus suis excludere conati sunt, & sic occluso Danubio, superiorem & inferiorem Austriam intersecante, ipsi Caesari, ejusque copiis comitatum pernegarunt; & tamen adhuc sese subdolis observantiae figmentis excusabant. Quae omnia cum Caesari Matthiae infirmo infestissima essent, jamque hyems adoleret; rursus ad Bohemiae Ordines clementissimas litteras dedit, quibus eos ad observantiam concessis induciis hortabatur; ut interim per Saxoniae Electorem pacis aliqua via iniretur. in hunc etiam finem D. Adamum à Wallestein in Bohemiam, & ad Electorem delegaverat, quo communicatis consiliis, pacis conditiones componerentur, arma deponerentur, atque humano sanguini, patriaeque devastationi parceretur. Suaserat Wallesteinius Bohemis, ut per Ferdinandum designatum Regem cum Caesare agerent, & ut mitiori via, quod molirentur, postularent; sic enim spondebat, petita consecuturos; sed neque hoc illis persuadere potuit, qui jam non suis, sed sociorum voluntatibus obtemperandum esse censebant, atque adeo bona consilia, Caesaris monita, majorum praecepta in Silesios, & Austrios rejiciebant. minus vero probabant Conventum ad pacem ineundam Aegrae constitutum, ad quod cum adigerentur, tales conditiones proponebant, quae prioribus antea propositis deteriores erant; neque ideo ab excursionibus, & invasionibus sibi temperabant. Mansfeldius enim Pilsna potitus patriae universae exactiones imponebat; & bellorum gloria allectus, prolixiora bella suadebat. hinc Imperatoris litteris proscriptus est; fuissetque qui proscriptionem in exitum perduxisset; sed paulo post Imperator Matthias ex hac vita decessit, postquam paucis ante mensibus Augustissimam Imperatricem, & Maximilianum fratrem praemisisset: atque ita indictus Conventus Electorum, cui non afficiebantur Bohemi, illum dissuadentibus Correspon-

respondentibus, evasit. Cum Imperator è vivis recessisset, quamvis ingentes copiae ex Belgio advenirent, quae amissam patriam potuissent restituere; quamvis etiam in hunc finem majores prepararentur in Italia, & in Hispania, quibus in locis vires omnes voluit Dominus Austriaca exponere, ne truncus in Germania periret; aliunde tamen non exigua spes compositionis apparebat. Ferdinandus etenim jam alias Rex Bohemiae designatus, coronatus, & sacramento Bohemorum confirmatus, summa modestia, omnia regni privilegia statim post mortem Matthiae Caesaris Bohemiae incolis obtulit confirmare; litteras Majestatis, earumque tenorem exacte observare, & reis omnibus veniam se velle indulgere declaravit. Ne autem voluntas diceretur in solo exteriori vocis apparatu, de facto expedita diplomata misit suo quondam Vicario, quibus toti Regno Bohemiae sua jura, statuta, litteras Majestatis, privilegia, tam in Religione, quam in aliis politicis, foedera inter Ordines sub utraque, & Principes, atque Ordines Silesiae in comitiis anno 1609 inita, modo tamen illa non tenderent ad Religionem Catholicam evertendam, & æquis, & vetustis consuetudinibus essent conformia, absque contradictione confirmavit; spondens insuper se arcem Carolostadianam conservaturum, tantum indigenas Bohemos ad publica regni Officia adhibiturum, nec monetam Bohemicam diminuturum, & denique omnia promissa exacte servaturum. Verum hæc omnia obstinatorum Bohemorum animos non revocarunt ab incepta seditione, in qua, mortuo suo Rege, etiam Ferdinandum repudiantes pertinaciter constitere. Immo eundem Regem Ferdinandum, licet innocentissimum, apud Saxoniae Electorem, & Bavariae Ducem, tamquam hostem, & proditorem patriae accusarunt, rogaveruntque, ne per suas ditiones Bohemiae conglutinatos Hispanos, & externos milites admitterent. Nec minus feliciter Ferdinando apud Austrios cessisset successio, si ipsemet Viennae in obitu Matthiae non fuisset, & de facto sese in possessionem praefatae urbis, armamentarii, & Archivi non immisisset. Nam Ordines Austriae Evangelici, quamvis

*Privilegia  
Bohemorum à  
Ferdinando confir-  
mata.*

*Ingratitudo Bohemorum*

*Austrii recusant  
Ferdinandum.*

cessionem Alberti vidissent, & jam pridem veram hæreditatem ad Ferdinandum venturam agnovissent; tamen fidem dare renuerunt, nisi prius miles dimitteretur, prolixisque gravaminibus satisfieret: immo postea administrationem Provinciæ sibi desumere voluerunt, atque illius regimen de jure sibi deberi usque ad novum sacramentum contenderunt. Ungaros tentare tam periculoso tempore inopportuno Ferdinando visum fuit; & ideo Palatino administrationem cum nuda sui nominis recognitione permisit; nam aliter sacramentum certe detrectassent, vel illud gravissimis pactis onerosum obtulissent.

*Vicarius  
Imperii  
Palatinus*

Maxima difficultas erat post Matthiæ obitum in Imperio, cujus regni electio, non hæreditaria, sed libera, neque hæcenus præparata, aut designata in aliquem certum ferebatur. Palatinus etenim ambitiosus statim litteras Vicariatus per singula loca publicavit; & juxta Regis Angliæ, aliorumque Principum consilium, Vicariatum istum protendere in aliquos annos per suos Legatos satagebat. immo cum Coelectoribus, & præcipue cum Moguntino coram egit, ne dies novæ electionis præfigeretur; quod tamen Elector Moguntinus magnæ prudentiæ, & maximi zeli Princeps nulla ratione omittendum duxit. Quare statim publicato obitu Matthiæ Coelectores Francofurtum infra tertium mensem convocari voluit, & inter alios Ferdinandum, ut Bohemiæ Regem, nequicquam paucis renitentibus, evocavit.

Moravia eodem tempore cæteris provinciis infelicior, per Comitem Turnium occupata, invitis Rectoribus Cardinali à Ditrichstein viro Principe Insignissimo, Barone Liechtenstenio, & Barone Zerotino; immo domi in custodia retentis; invitis etiam militiæ Tribunis, à quibus militiæ, & minores præfecti ab Ordinibus indubie seducti defecerant, in Bohemorum rebellium societatem perducta fuit. Quare in Comitibus Brunnae habitis multos illi articulos constituerunt, nimirum, quod quia Capitulum Olumucense, & Brinnense, & Prælati illorum partes tueri, & copias mittere recusarent, omnia Episcopalia Capituli, & Cœnobiorum,

biorum, & Monialium bona sequestro ponerentur; subditi ipsorum sacramento, quo illis obstricti erant, solverentur, & subjicerentur Statibus Provinciæ, bona venderentur, & in posterum in tabulas Provinciales inter hæreditarias, & proprietarias possessiones referrentur; Abbatibus, Præpositis, Monachis, & aliis ex Ordine Ecclesiastico victus necessarius suppeditaretur, Virginibus in Cœnobiis, quæ nubere cuperent, dos constitueretur; reliquis, quæ ultro suum ordinem servare vellent, alimonia ex bonis occupatis, & divenditis subministraretur; Insuper omnes Ecclesiasticorum ædes, domicilia, & monasteria in urbibus, & extra eas per vestigarentur. Omnia arma, commeatus, instrumenta bellica, aurum, argentum inde auferrentur, & ad publicos usus converterentur; Similiter Catholicorum ædes perkustrarentur, arma, annona militaris, & instrumenta bellica inde exportarentur, & certo loco deponerentur; qui publica officia gesserant, & in Senatu fuerant, ante omnia Commissariis suis rationem redderent, deinde loco amoverentur, & alii qui essent Evangelicæ Religioni addicti substituerentur. Quibus peractis illorum subsidio Turnius, in Austriam revertens, ad ipsam urbem Viennensem primariam Austriæ, *Periculum Viennensis urbis.* ubi tunc Ferdinandus Rex sedem habebat, devenit, illamque militibus Bohemis, Moravis, ac Silesiis aggressus est, vix de illius traditione, (quam plures cives hæretici sponderant) dubitans. nam non solum plerique cives, sed utriusque Austriæ Ordines frequentissimi, hoc idem efflagitabant; erantque qui viam facerent, & ipsam urbem non ita post dedendam sponderent. Contrarius tamen eventus fuit; cives etenim, & milites non infrequentes in urbe, & in insula urbi vicina, eruptionem celeberrimam paraverunt, quam ut Turnius per exploratores intellexit, clam ipsa nocte castra movit, & urbem non sine indignatione deseruit.

Silesia interim à Ferdinandi Regis Legatis ad obsequium humanissimis rationibus sollicitabatur. verum *Silesia defectura.* & illi una cum Bohemis ferreum sceptrum exactoris expectare voluerunt, Ordinesque omnes, uno Archiduce Carolo excepto, cum Bohemis vivere, ac fortunam experiri

*Austria  
titubans.*

experiri decreverunt. Vnica ergo Austria inferior, & illa adhuc titubans in fide Ferdinandi remanserat, in qua jam Ordines impatientem militem tolerantes, nonnumquam in Comitibus, aliisque Conventibus à Catholicis, categoricum responsum postulabant, an non cum Evangelicis utriusque Austriae vellent sentire, an non utriusque Religionis Consules, Syndicos, Iudices, aliosque ministros sine differentia Religionis vellent admittere; an non in sepulchris, Xenodochiis, aliisque publicis receptaculis absque fraude vellent etiam Evangelicos recipere; Religionis persecutionem intermittere, contrariaque omnia abrogare. His denegatis defectionem à Ferdinando meditabantur, sicque unica civitas Viennensis Regi, & adhuc illa incertae fidei remanserat.

*Misera  
facies  
Germania.*

Misera certe rerum omnium ubique facies, pulsus undique suo Regi devotissimis, quos fere exules una civitas Viennensis capiebat, dissidentibus inter se Ordinibus cunctarum regionum summa dissidentia animorum, qui tamen fere omnes à Ferdinando dissentiebant. Domus Austriaca post obitum Matthiae ad duos, vel tres Archiduces latitantes, fugitivos, & exules redacta. Carolus ex Silesia in Poloniam profugerat. Leopoldus nunc in Tyroli, nunc in Alsatia, nunc alibi latitabat. Inter ipsos ministros arctiores pravitas reperiebatur. Electores undique à Bohemis, & correspondentibus Principibus contra Ferdinandum, Domumque Austriacam animabantur. Quibus omnibus jam in extremo periculo constitutis, tandem providit Deus, ut post adventum Belgarum militum multa in melius mutarentur. Illi prima fronte paulo post adventum Auream semitam occuparunt. mox Nodelitzium, Teinam, Witingaviam, Lamischil, aliaque oppida Bohemiae Bucquojus expugnavit, felicique praelio Mansfeldium, & Hoenloium cum majoribus copiis Bohemiam propugnantes in meditullio fere Regni prostravit, atque Rosenbergam, Fronsbergam, aliasque praecipuas Bohemiae urbes una fere victoria occupavit, tanta Bohemorum consternatione, ut statim Pragam confugerint, munimenta excitarint, & Comitum

*Prima  
victoria  
Bucquoji  
in Bohemia.*

Comitem Turnium ex Austria ad tuendam patriam in extremum periculum deductam, evocarint.

Ex hisce primis victoriis multi dejectum animum resumpserunt, maxime qui in Imperio pro Austriaca familia, & Religione Catholica stabant. Saxoniæ etenim Elector cum Moguntinensi, licet vehementer sollicitati, celeriter comitia Electoralia celebrari fuerunt, ipsumque Ferdinandum adhuc Viennæ agentem ad instituendum iter invitarunt; & dum Protestantes in Imperio militem colligebant, forisque turpissima commercia per Mansfeldium, Donavium, Anhaltinum, infelicissimi Cæsareæ dignitatis nundinatores instituebant; etiam Catholici Principes fortunas suas defensuri, tam in Bavaria, quam Moguntia, Colonia, Herbipoli, & alibi non segniter militem conscripserunt, quem postea etiam ad defensionem Cæsareæ electionis, & antiquissimarum Germaniæ constitutionum obtulerunt.

Fato, ut ita dicam, quodam felici Regis Ferdinandi minus inter Correspondentes Germaniæ, & Principes exteros dignitatem Cæsaream, aut Regiam Bohemiæ ambientes, conveniebat. Nam Germani multis myriadibus easdem dignitates venditantes, easdem in Germania, & Bohemia sibi ipsis applicabant, & vota seditionum non amplius pro Italis, aut Gallis, sed pro suis præsentabant. Quare maxima inter nundinatores diffidentia orta est, quam non modice auxit Regis Angliæ nunquam constans de Regni Bohemici, & Imperiali dignitate sententia. Nonnunquam enim illas dignitates Palatino genero suo vovebat, atque illum Senatusconsulti Anglicani decretis, subsidiisque speciosis lactabat; nonnunquam etiam illum à tali ambitione dehortabatur, & inconstanti cultu per Legatos suos Ferdinando Regi pristinam suam dignitatem deferens, generum excludebat. quod cum quoque Reges Gallia, & Dania facerent, tandem totum ambitionis pondus penes Germaniæ Protestantes remansit. Illi magnam spem in Regibus exteris, in Ducibus sociis, & Rebuspublicis Hollandorum, Helvetiorum, aliorumque reponentes, decreverunt nullo modo Ferdinandum

*Diffiduum  
Principum Protestantium.*

*Scopus protestantium.*

nandum ad Francofurtensem civitatem admittere, admissum nullo modo eligere, vel electum juvare, totum denique imperium perturbare. Sed iis in omnibus defuit animus, prudentia, consilium, & perversis voluntatibus potentia, quæ conceptum scelus ad finem perduceret. hinc cum quinque turmas equitum Comitum Solmsii pro Ferdinando in Bohemiam contententes juxta Aistadium cecidissent, putarentque Francofurtum una cum Electoribus omnibus invadere, prudentiores Electores Francofurtum ingredi noluerunt, nisi militia civitatis nulli alteri, præterquam Consulibus, & Senatui sacramento obstringeretur. Pari ratione, cum paulo ante Ferdinandum voluissent in itinere præpedire, atque ita conceptam electionem turbare, retardare, ac destruere; minus paratæ fuerunt copiæ à se invicem distantes, & ipsis Ducibus trepidantibus ad tam impudens facinus violandæ hospitalitatis, concidit animus.

*Divina  
manus  
præpe-  
diens Pro-  
restantes.*

In electione postea Palatinianæ factionis Coryphæi Consilarii cum prius dissuasissent, ne ipse Elector Palatinus Comitibus Electoralibus interesset, in quibus concordiam aliquam obtrusam forte debuisset admittere, quod unicum metuebant, omnem movebant lapidem, ut illam actionem differrent Electores; Bohemos instigabant, ut Ferdinandum à Collegio excluderent; Saxonicos, ut votum denegarent, sibi ipsis nunc hunc, nunc illum tantum ad odium Ferdinandi proponerent; ac tandem diabolum ipsum Ferdinando præferri debere censebant. Verum ipsimet factiosi Correspondentes, qui paulo ante tantopere à Ferdinando abhorruerant, & electionem illius differre rogaverant, illi, inquam, ipsi electioni interfuerunt, & proprio suffragio ipsum Ferdinandum elegerunt, electumque sacramento solemniter adoraverunt; & quod mirum est, eodem tempore Palatino suo Ambergæ existenti acceptationem coronæ Bohemicæ suggesserunt, eumque ad consensum præstandum temerariæ electioni, Pragæ tunc primum factæ, impulerunt. tanta postmodum Palatini coronam Bohemicam prestantis, & acceptantis; tum Consiliariorum nota fuit; ut nullus, quamvis

*Infamis  
actio ob-  
servantia,  
& diffi-  
dentia.*

quamvis Protestantium Religioni addictus, aut eorum  
 focius, illos ab infami perfidia excusare potuerit. Fer-  
 dinandus ergo Francofurti omnium Electorum suf-  
 fragio ad Cæsareæ Majestatis fastigium evectus; quod  
 antequam publicaretur in Bohemia, ita annitentibus  
 Palatini parariis, per contrariam electionem Frederici  
 Palatini in Regem Bohemiæ, abrogata prius dignitate  
 Ferdinando; retardandum, aut corrumpendum vide-  
 batur. Eratque inter Correspondentes, qui speraret  
 Ferdinandum in Cæsarem electum, à paucis, vel à nul-  
 lis salutandum; aut saltem significaret, nondum è Ger-  
 mania sine parricidio evasisse; vix Viennam perventu-  
 rum, vix Norimbergæ, aliisque in locis structas insi-  
 dias evasurum. Verum Augustissimus Cæsar pericula  
 hæc evasit per Herbipolim; ac primo per ipsos Palatini  
 fines Augustam incolumis attigit, videbaturque ipsa  
 Majestas tanto Principi addita, omnibus terrorem si-  
 mul, & reverentiam incutere. Correspondentes, ne  
 illius præsentia fulgore splendescere hebescerent, illo  
 tempore Rotemburgi conventum celebrabant, quibus  
 tamen Cæsar, primum litteras suas direxit, rogavitque,  
 qui imperare poterat; ut præsentis Imperii statui con-  
 dolentes, conditiones pacis dulciores amplecterentur,  
 & quieti totius Imperii consulerent. verum fabula sur-  
 dis narrabatur. Correspondentes enim principes Pala-  
 tino acceptationem coronæ Bohemicæ sibi delatæ  
 consulebant, eamque sese propugnatos dicebant,  
 saltem derelicti Palatinatus Patrocinium sibi deposce-  
 bant. quare nec Cæsari benigne quidem responderunt,  
 metuentes, ne in titulo peccarent, aut nimium se de-  
 mitterent.

Cæsar autem Augusta Monachium descendens,  
 dum ægrius silentium Principum Correspondentium,  
 quorum jam manus evaserat, ferre decrevisset; malus  
 nuncius de rebellionem Vngarorum supervenit. Illi  
 etenim, qui hæcenus dubii in Comitibus ante sesqui-  
 mensem celebratis, Ferdinandum Regem suum lauda-  
 verant, sacramentumque præstandum tantum distule-  
 rant, suggestionem Bethlemi Gaboris jam pridem ma-  
 gna subsidia Bohemis, ac Moravis pollicentis, seducti;  
 fere

*Diversa  
 auxilia  
 contra  
 Ferdinandum.*

*Descendit  
 Franco-  
 furtum  
 Ferdinandus.*

fere eodem tempore, quo Cæsar Francofurti electus fuerat, & quo Pragæ ipsi regnum electo Frederico abrogatum, authore Georgio Setschio, ac Pacotzio plebem concitantibus arma moverunt; Cassoviensem urbem occuparunt, militiæ Præfectum in Vngaria vincularunt; sacerdotes ejecerunt, & evocatum Bethlemium sibi Ducem constituerunt. is ex composito cum insigni celerique militia occurrens, Possonium, ut Regni coronam invaderet, duxit: & postea partem copiarum Moravis subsidio misit, cum alia in Austriam irrupit.

Proficiebat tunc in Bohemia Bucquoius paulo ante Pesecka, ac Strackonittzio potitus, jamque Pilsnensem obsidionem meditabatur; in Moravia etiam Tampierius non pœnitendo fructu progrediebatur, sed Leopoldus, qui Viennæ loco Cæsaris Ferdinandi manserat, mox ut seditionem Vngarorum animadvertit, & Bohemos una cum Vngaris Viennam cogitare cognovit, de Viennensi civitate sollicitus, Bucquoium maxima celeritate accurrere præcepit: civibus Viennensibus arma alias ablata restituit, plurimasque copias ad urbem recepit. Georgius Setskius, Vngarorum Dux, interim cum decem millibus urbes montanas in fidem adegit. Possonii erant præter Vngariæ Palatinum, Stephanus Palfius, Petrus Raucus, & Palmanus, penes quos erat Coronæ Regiæ custodia; qui quamvis subditos ad sumenda arma evocassent, tamen pedem movere noluerunt, nisi Archiepiscopi, & primarii Ecclesiastici in prima acie patriam propugnarent, quando è contrario Setskius, alique Vngarorum seditiosorum primarii, movebant limitaneos omnes ne se suis armis opponerent, cum bellum istud consciis præcipuis Principibus orbis Christiani gereretur.

Inter hos Vngarorum tumultus, & Austriæ depraedationes, maxime dolendum erat, quod adhuc Austriaci proceres inter se dissiderent, & obstinata quadam mente patriæ salutem negligerent. nonnulli etenim à Catholicis moniti, ut proposita periculi magnitudine, & sepositis de Religione simulatibus, militiæ Domus Austriacæ, propriæ vitæ, prædiorum, subditorum,

ditorum, uxorum, & liberorum defensionem una cum aliis aggredierentur, non desinebant exprobrare consilia aliquando de conservanda Religione Catholica Cæsari Matthiæ data, quibus hæc calamitas ab illis adscribebatur: deinde dicebant, se non habuisse Catholicorum responsum ad propositionem eis factam; atque ideo nolle arma sua Catholicorum armis conjungere, concesserunt tamen, ut omnia è communi ærario, data cautione de restituendo, ad defensionem patriæ desumerentur.

Catholicis igitur solis incumbere patriæ defensio *Catholicis soli in Austria se opponunt.* contra Vngaros, ac Bohemos rebelles. Quare nihilo segniore Regem Poloniæ implorarunt, suosque Legatos addiderunt, ut intercessionem apud Vngaros impetrarent, vel subsidium validum, quo iis resisterent, obtinerent. Militiæ suæ deinde Ducem, Principem de Lichtenstein constituerunt, & ut sexcentos equites, duasque legiones peditum, præter antiquam militiam conscriberet, consenserunt. Leopoldus etiam severissime singulis locis, oppidis, & vicis præcepit, ut vagantes milites omnes in suis prædiis, & agris delitescerent, & à Cæsare diplomata Imperialia contra utriusque Austriæ subditos procuravit sub pœna amissionis vitæ, & honorum, ne operam suam seditiosis Vngaris, aut non parentibus Ordinibus locarent.

Hæ Ordinum disceptationes in causa erant, quod Bethlemus impune Neuheuselium, Weitzam, Ghiernam, Sanctum Georgium, & Pesignam occuparet, & postea Bohemis, ac Moravis decem millia hominum ad obsidendam urbem Viennensem submitteret, cum quibus, & aliis decem mille, secundo Turnius præfatam urbem oppugnaturus accessit; ac non exiguam molestiam universo Cæsaris exercitui commissis aliquot ad pontem præliis intulit, cui certe optimi Duces Bucquoius, Tampierius, Comes Don Balthasar de Marradas, Saxo Lawenbergius, Fuggerius, & Stauderus cum suis legionibus, quibus ipse Leopoldus aliquando præfuit, strenue resisterunt.

Insaniebant hoc tempore plusquam antea Silesii, *Silesii exacerbati.* qui non solum Principes suos, & Duces præcipuos Munsten-

Munstenbergensem, ac Lignicensem ad solemnem Regis adulterini coronationem miserunt; sed statim à reditu Nissensem arcem Archiducis invaserunt, & ejurato universo nomine Austriaco utramque sacram Episcoporum dignitatem abrogarunt, moxque de sufficiendo Ludovico Friderici Regis fratre Calvinistarum legem profitente deliberarunt; quod quam ægre tulerit Rex Poloniae, facile ex litteris in favorem Archiducis Caroli cognati, & sacri Ordinis scriptis, & ex Legato transmissis, Patrocini mentionem faciente, colligi potuit. cui scripto ut Rex corresponderet, sequenti anno, non semel insignes copias subsidiarias misit, quæ vel maxime Silesios in pœnam spretæ auctoritatis affixerunt.

*Possonium  
cum coro-  
na occu-  
patur.*

Dum Silesii pro libidine sua desævirent, Bethlemus Possonium aggressus, illud à Palatino Palsio, & Rappheo absque gravi difficultate impetravit. quod quam primum Bohemis, ut fœdus repeterent, ad conservanda utraque regna Ferdinando adempta significavit, exposcens aliquam pecuniæ summam ad loca aliqua Austriae, quæ aliquando ad Vngariam pertinuerant, occupanda; quod etiam Bethlemus non omisisset, nisi Homanaius, unus ex præcipuis Vngariæ proceribus cum sexdecim millibus Cosaccis, & Polonis in superiorem Vngariam, & Transylvaniam irruens, eum revocasset, & quam citissime pedem referre coegisset. quod cum Bethlemus Sultano Constantinopolim significasset, ut contra Polonos, & Homanaium auxilia impetraret, vel Turcas evocaret; rursus Pragam versus solemnem Legationem instituit, & fœdus sanciri, bellum contra Domum Austriacam continuari, centum millia dalerorum in subsidium belli persolvi, unum Regem Vngariæ, & Bohemiæ constitui, Legatos ad portam Ottomanicam mitti, ac tandem contra Regem Poloniae bellum aggredi unitis viribus postulavit, iisque omnibus tam Ordines, quam Palatinus Bohemiæ præses per Legationem Hoenloio commissam respondit, & una cum Bohemis Regem Poloniae à vi inferenda dehortatus est; quod tamen non impetravit.

*Posita  
Bethlemi  
à Bohemis*

Pro-

Profectus interim fuerat Palatinus ad Norimbergensem Conventum à Principibus Correspondentibus indictum, ut de Bohemiæ patrociniò ageretur; ubi graves fuerunt inter Correspondentes quæstiones; dum Palatinus, paucique alii magis illi addicti, ex Bohemico negotio, & Imperii gravaminibus rem unam voluerunt constare, unicoque contextu utriusque regni libertatem asserere. quod quidem initio Correspondentes animosè futurum sperabant; atque ideo Hollandorum, Anglorum, Danorum, totiusque districtus Saxoniae inferioris Principum, & Civitatum, & aliorum inimicorum Domus Austriacæ patrociniùm contra Cæsarem, ejusque adherentes Catholicos postularunt; & magna spe nunc Passavium, nunc Ratisbonam, aliasque commodas civitates occupari desiderarunt. verum ut Cæsaris Legationem audiverunt Correspondentes, utque notaverunt non omnes æque conferre subsidia, neque omnes expeditioni Bohemicae affectos, Batavos etiam novum genus fœderis postulare; plures ab hujusmodi expeditione abhorrere; solumque fere Palatinum suo proprio commodo studere: judicarunt nonnulli expedire, ut Correspondentium causa à Palatini, seu Bohemiæ causa separaretur. Parum enim, vel nihil Bohemia profutura erat Norimbergensibus, Vlmensibus, aliisque Civitatibus, plerumque cum vicinis Regulis contendentibus; parum etiam Imperio fortunisque Wittembergici Ducis, aut Bipontini profuisset. Quare Correspondentes solum sibi Palatinatum, suamque causam protegendam susceperunt. Litteras tamen, & Legationem ad Cæsarem, Bavaricæque Ducem miserunt, plenam minis, & querelis, quibus Palatini causam se suscipere velle simularunt; exegeruntque à Bavaro, ut à Cæsaris auxilio desisteret, gravamina illorum mox solveret, Cæsarem à vi inferenda dehortaretur: à Cæsare vero, ut Palatinum pacifice in Bohemia vivere permetteret, ut sua Austria contentus viveret, & Imperii gravamina quantocius sublevaret; ni faceret, ferrum, devastationes, incendia, & sanguinem formidaret.

Quæ cum Bavaricæ Dux imperterrita fronte audivisset,

Conventus  
Prote-  
stant. No-  
rimberga.

Correspon-  
dentium  
didium

“  
Legatio  
ad Bava-  
ricæ Du-  
cem.

*Conven-  
tus Catho-  
licorum.*

visset, & non parum audaciam Correspondentium Principum miraretur, sociis sui foederis se illa relaturum spondit: interim majore diligentia tum per Moguntinum, tum per Colonensem Archiepiscopum, militem colligi jussit; ne tam furiosorum hominum scelere ipse, vel focii præoccuparentur. cum sociis deinde Herbipoliagens, Ducem Lotharingæ in foedus Catholicum adscripsit, auxiliaque externa Pontificis, & Hispaniæ Regis sollicitaturus; fortunam suam, suorumq; sociorum, qui Cæsarem negligere noluerunt, supremo Deo commisit. Cæsar etiam Viennam reversus, ad illas Correspondentium Principum litteras respondit, se Palatinum in Bohemia ferre non posse: Imperii quidem statum, contra quem nihil aggredi velit, curaturum. Insuper se omnes rogare, ne aliquid sinistri contra ipsum, ipsique commissum Imperium molirentur, quo pax publica perturbari posset. Postea cum Ordinibus Austriæ, à quibus valde diu abfuerat, difficultates omnes componere satagebat. sed insolentiores superiores Austrii cum suis copiis Ipsum invaserunt, deinde Lesdorfium, & Bethlingam profecti, cum ibidem parum profecissent, Ipsum regressi, inde castra versus cœnobium Melnicense promoverunt, quod à tribus locis valide, frustra tamen, oppugnarunt. quo tempore Bohemi rursus in Austriam reversi Cremsium tentarunt, cum quatuor hominum millibus, & pyrobolari machina: verum & ibi repulsam passi sunt, & ipsorum Tribunus in Bohemiam revertens, Pissecam, aliaque loca interceptit.

*Placantur  
aliquo  
modo  
Austrii.*

Adulta jam hyeme vix poterat miles in castris aperti campi subsistere, sed in præsidiis hærens ad commercia utraque pars ferebatur. Cæsar cum superioribus, & inferioribus Austriacis Hornæ hærentibus agebat; satisque propitios sibi inferiores Austriacos fecerat concessione liberi exercitii non procul à Vienna, si modo resipuissent. Superiores vero Austrii obduratiores, Legatos quidem Viennam miserunt: sed nihil iis commiserunt, quam ut Cæsaris mentem suis dominis perscriberent; ita ut potius nugari, quam serio aliquid agere viderentur. Quod cum Cæsari pacis avido

avidio summe displiceret, ac nihilominus propter frequentes hostes, quibus undique cinctus vix poterat subsistere, cogereetur dissimulare; cum aliquo horum convenire laboravit. nam Austriaci ad Occidentem eum premebant, Bohemi ad Orientem, Moravi, & Vngari ad Meridiem truculenter ei insultabant. Quare cum Vngaris, & Bethlemo aliquid tentare placuit, an saltem induciæ possint obtineri. ad illas se obtulerunt Vngari, quorum triginta duo cum Forgatsio, initio anni Viennam venire, & pacem Cæsari insinuarunt; si modo illa, quæ petebantur, præstarentur. at quia petita gravia erant, neque unius diei negocia, multos jam annos dilata, & frequentissimis dilationibus conglomerata, hinc tempus eadem tractandi postulatum fuit. quod cum obtinuissent Vngari, & Austriaci Cæsari fideles; Possonii tandem in induciâs usque ad festum S. Michaelis ambæ partes devenerunt; ita tamen, ut durantibus induciis, Comititia totius regni celebrari deberent, in quibus de firma pace ageretur. Cæterum quilibet in Vngaria, quod possidebat, servaret; & si quis induciarum violator militem nollet è ditionibus possidentium deducere, is armis à proximo populo deturbaretur. His itaque pactis induciis, Cæsar apudacior factus publico diplomate nullam pronunciavit Palatini electionem, factam, regno jam alteri collocato; neque Electoribus priori sacramento solutis; factam etiam contra leges patrias, & jura regni à Carolo IV, Vladislao, Ferdinando primo, & in omnium Ordinum Comitiis stabilita; præter præscriptionem octingentorum, & amplius annorum, quo tempore semper Reges hæreditario jure successerunt. Quæ eadem Cæsar Regi Dania, per Duce[m] Saxoniam, Iulium Henricum, Regi Gallia per Fürstembergerum, & Regi Anglia, aliisque Principibus insinuavit. His tamen haud territus Fredericus pecuniæ indigus, in Moravia, & in nonnullis aliis Bohemia locis inaugurabatur, non sine ludibrio, & subsanatione multorum, qui melius violenti imperii finem pervestigabant. Quos consolabantur Cosacci, qui postquam Humanaio militassent, nunc concessis induciis,

Inducia  
cum Vn-  
garis.

Electio,  
& coro-  
natio Pa-  
latini  
nulla.

aliud sibi stipendium quæsierant; præsertim Cæsaris, cui quamvis pax Vngarica successisset, non deerant bella contra Moravos, Bohemos, Silesios, & Austrios, in quibus ipsi utilem suam operam præstare gestiebant; suæque virtutis experimentum præbuerunt, transnato Danubio, partaque optima præda. signa vero Viennæ Cæsari delata fuere, quæ gratum illorum obsequium reddiderunt, conceptæque spei satisfecerunt; præsertim, quia parum abstinerat, quin intercepto Palatino finem bello imposuissent.

*Belli ap-  
paratus  
in Impe-  
rio.*

In Imperio ad prima veris signa, miles undique parabatur; è Lotharingia, & Alsatia nonnulli; plures ex ditione Westphalica, qui Correspondentibus erant militaturi; alii in Germania, alii in Belgio Batavico colligebantur. Ex Anglia quatuor millia in Hollandiam missi stipendio Regis, & Ordinum Regni, ut illorum loco ter mille exercitati in Palatinatum dimitterentur. Præter istas copias Marchio Badensis decem mille pedites, & mille equites in sua ditione collocat ex Helvetiis, & quibusdam Gallis. Imperatori vero addicebatur exercitus à Rege Hispaniæ viginti millium peditum, & ter mille equitum, Hispanico arario alendus, quousque incepta tempestas sedaretur; quem jam Viennæ Comes di Ogniate Regius Legatus colligebat, & frequentiores copias ex Italia expectabat. Hæ Hispaniæ Regis copiæ cum exercitum Cæsareum auxissent, tam in Moravia, quam in Bohemia, & Austria; Bucquois egregie hostium copias exercuit, pluraque prælia feliciter perpetravit. In Germania vero, cum Catholicorum, & Correspondentium milites non infrequenter miscerentur, & solis pagis suorum Dominorum possent metari; plures è numero Protestantium aliquot pagos Electoris Moguntini attigerunt, ibique male mulctati prædas multorum equorum egerunt. similiter alii Diœcesi VVormatiensi graves, ansam primis velitationibus dederunt, non sine prælagio, Turcas aliquando Christianis tam acriter inter se concurrentibus successuros. cujus tam miserabilis status initium fecerant Bohemi Bethlemo uniti, & Barbarorum, Tartarorum, ac Turcarum patrociniis ambientes.

*Pericula  
gravissi-  
ma pon-  
derantur.*

ambientes. Quibus Germaniæ malis ut Electores occurrerent, Müllhusii convenerunt, atque inde Ordines Bohemiæ, & Vngariæ monuerunt, ut Cæsari fideles illius iram debita subiectione mitigarent; illum enim suum esse Regem unctum, coronatum, & sacramento Ordinum alias agnitum, à quo nullo modo possent recedere. ad Palatinum alias litteras dederunt, ut habitatione profapiæ, & muneris, quod in Imperio gerebat; eo sua consilia dirigeret, ut arma deponerentur, & delectus posteriores intermitterentur, nec exoticus miles in Imperium evocaretur. Quod nequaquam fieri poterat, ni Imperatori Bohemiæ regnum cum provinciis adjunctis quamprimum restitueret. scripsere etiam Electores ad Principes Correspondentes, ad Ordinem equestrem Sueviæ, Franconiæ, & Rheni, atque ad Ordines utriusque Austriæ, & Bohemiæ, rogantes, ne tam periculosis bellis, ex quibus tantum effusio agnati sanguinis, & patriæ extrema pernicies possit expectari, ullo modo sese immiscerent. Huic Conventui cum Saxoniam Elector interfuisset, Mauritius Hassiæ Landgravius non leviter offensus, illum dehortatus est, ne Pontificiis plus nimio faveret, & suæ Religionis amantes sperneret. verum Elector maturum sibi esse ingenium, quo facile posset discernere inquietos, ac seditiosos, scripsit; quo scripto ipsum Mauritium, ejusque affectas non parum notavit, quasi ipsi essent seditionis amantes, & multorum bellorum rei. quare eundem Mauritium rogavit, ut apud alios veræ tranquillitatis turbatores illo officio censoris defungeretur, quo apud ipsum prepostere defungi voluit.

Interim hæc Electorum monitio apud Principes Correspondentes, apud nobilitates Germaniæ, & apud ipsum Palatinum parum omnino profuit; nam Palatinus nequaquam ab armis decessit; immo Electores, ut Cæsari addictos, atque in tam gravi causa numero impares, injustos judices, quippe qui non auditis alterius partis rationibus, sententiam promulgassent, & ut in proprii generis hostes notavit. Post hæc, Dux Saxoniam Wimariensis duas legiones peditum Bohemis adduxit, sicut pariter & alias numerosas copias Comes

*Electo-  
rum Ze-  
lus Müll-  
husii.*

*Saxonia  
Electoris  
responsum  
Mauritio  
Hassia  
datum.*

*Obstinatio  
Palatini,  
& Ordini-  
um.*

Styrbicus, & plures alii è nobilitate Suevica, & Rhenana, qui tunc prius inceperunt Correspondentium militiæ nomen, opes, & vitam consecrare. Ægerrime etiam tulerunt hujusmodi admonitionem Ordines Bohemiæ, qui primis suis scriptis apologeticis, & factis inhærentes, dum Silesios, Lusatios, Moravos, aliosque confirmare pollicerentur, Austrios jam in Cæsaris obsequium inclinantes arguerunt, rogantes, ne à fœdere quondam pacto discederent; immo ne ipsi viderentur vel in minimo à pristinis consiliis recessisse, Comitia Pragæ celebrarunt, in quibus filium Palatini, si parens decesserit, sibi Regem designarunt; fœdera cum Vngaris, & Transylvanis innovarunt; Legationem ad portam Ottomanicam sponponderunt; subsidium pecuniarium Bethlemo addixerunt; redditus Ecclesiasticos, paucissimis exceptis, profano usui applicarunt; & nobiles suos adhuc dubiæ fidei mulctatione omnium bonorum evocarunt; suosque tandem omnes ad militiam, & communem patriæ defensionem armarunt. nam durantibus Comitibus tam Bucquois, quam Tampierius Cæsaris militem ad plura Bohemiæ loca promoverant, magnumque metum Ordinibus incusserant. Cæsaris fortunam studebat invertere in Comitibus Novisolensibus Bethlemus (ubi cum seditiosis Vngaris, vix expectatis, aut receptis Legatis Cæsareis, voluit præsidere) Cæsareos Legatos ad iniquas condiciones adigere, ac tandem permisit se in Regem à paucis proclamari. Quare cum nulla spes pacis appareret; novus exercitus fuit colligendus. Militabat etiam Cæsari miles auxiliaris in Alsatia collectus, cui Correspondentes Principes in Imperio concluserant aditum omnem intercludere. cum tamen postea comminatoria Cæsaris mandata vidissent, iniquis adhuc conditionibus illum dimiserunt. quod cum iidem cum Bavaria Duce experiri tentassent, quando copias Belgicas suis Bavaricis in Bavaria conjungere voluit; vi tentandam fore viam destinavit. quare suos, obviam procedentibus aliis, progredi iussit; ut fociorum cladem exciperent, & vindicarent.

*Conventus  
Vlmensis.*

Deliberarunt tunc temporis Correspondentes Principes

cipes, de tanta militum frequentia transmittenda Vlmæ; & ne procul à deliberatione foret exercitus, Marchio Badensis, Dux Wittenbergicus, & alii minores gentium Reguli copias suas non procul à Danubio circa oppidum Laphemienfe deduxerunt, easque Brandeburgicis, ac Palatinianis conjungere voluerunt; ut quæ potentissimo exercitui Bavarico, & maxime Leopoldianis, qui apud Bibracum lustrati fuerant, sese opponerent; parumque abfuit, quin crudeli spectaculo uterque exercitus, parum vix à sese invicem distans, manus conferuisset. Institutus postea fuit tractatus pacis Vlmæ, quam Gallia Regis Legatus curabat apud Principes Correspondentes, & apud Bavaria Ducem, qui etiam suos delegatos transmiserat; & post aliquos dies commercii inter utramque partem convenit, ut uterque Dux tum fœderis Catholici, tum Correspondentium Principum exercitum suum inde abduceret; neque deinceps alter alteri molestiam inferret; sed potius ambæ partes laborarent, ut pax Religionis Germaniæ integra servaretur. quæ ut executioni demandarentur, Correspondentes exercitum suum in inferiores partes Rheni deduxerunt, ut Marchioni Spinolæ è Belgio Burgundicum exercitum adducendi ad Palatinatum invadendum occurrerent: Bavaria vero Ducis exercitus secundo fluvio in Austriam deductus, ut Cæsari in arcendis seditiosis suppetias ferret. Passavium igitur ut devenit, statim Austriacis superioribus Cæsareum diploma proponi iussit, quo ei committebatur, ut illam provinciam in ordinem redigeret; rogans, ne extremam vim expectarent, sed sua componerent, ne acerbioribus remediis uti cogeretur.

*Marchio  
Spinola  
ad Rhe-  
num du-  
cit exer-  
citum.*

*Dux Ba-  
varia in  
Au-  
striam.*

Erant quidem hæc initio Ordinibus mira, volebantque sese armata manu opponere, aut saltem spe deditionis facta ad aliquod tempus rem producere. verum Bavarus nullas excusationes admittens, ulterius progressus, & post leves aliquot locorum expugnationes absque gravioribus conditionibus Lintzium ingressus, totam illam ditionem Cæsari recuperavit, conscriptum militem pro defensione patriæ exauctoravit; & convocatis Ordinibus omnes ad novum sacramen-

*Dux Ba-  
varia in  
inferio-  
rem Au-  
striam, ac  
Bohe-  
miam.*

tum Cæsari, atque ipsi Cæsaris delegato præstandum adegit. Inde in inferiorem Austriam jam prius Cæsari reconciliatam descendit, ut conjunctis viribus cum Bucquoio, in Bohemiam irrumperent, Bohemosq; , ac Moravos subjugarent. Hoc tamen haud facile videbatur; nam Bohemi ingentem exercitum in limine habebant; adhuc etiam pauca loca Austriæ inferioris occupabant, Moraviam, & Bohemiam sibi integram ad comneatum habebant. Parem quoque numerum militum sub signis numerabant. His accedebat, quod non satis inter utrumque exercitum Cæsaris, & Bavariae Ducis, tum propter æmulationem Ducum, tum propter invidiam, & commoditatem militum convenerit, Nihilominus Deo auspice æmulationi remedium repertum est, ut scilicet uterque exercitus separatim, simul tamen Bohemiam ingrederetur, & loca passim obvia occuparet; Bucquoii, seu Cæsariani ad dexteram, Bavarici ad sinistram procederent, & sibi invicem, ubi peditatu, aut equitatu opus erat, succurrerent. Pejor quidem erat conditio Cæsarianorum, nam illi hostilem exercitum ad latus observare debebant. Bavarici vero longius ab illo distantes securiores erant, & facilius comneatum ex vicina Bavaria, & ex recenter superata Austria poterant habere. Quare Cæsareus exercitus fortiori milite erat stipandus. Hæc fausta bellorum initia, recens Vngariæ tumultus excepit; Vngari enim inducias pacti, ante præstitutum tempus bellum inceperunt. quapropter Cæsari tertius exercitus contra illos, Duce Comite Tampierio, fuit colligendus. legiones duæ, una Cæsarea, altera Bavarica, aliæ etiam copiae in superiori Austria relictæ tertium exercitum construebant, ut exercitui Vngarorum, sin minus æquali, saltem non longe dispari numero obviam retur.

*Vngari  
violant  
inducias.*

*Spinola  
expeditio  
in Palati-  
natum.*

Devenerat interim in Palatinatum Marchio Spinola cum Burgundico exercitu, qui prius litteras Archiducis Alberti Belgium gubernantis ad Mauritium Hassiæ Landgravium pro obtinendo transitu transmisserat; & ipsemet de suo accessu Marchionem Anspacensem, & Senatam Francofurtensem monuerat, rogans,

gans, ne illi sese opponerent venienti ad obsequium Cæsaris absque ullius læsione, qui Cæsari fidelem se præbuisset, & deinceps ab officio, ac reverentia non recederet. Monuerat eadem opera Cæsar nobilitatem Rhenensem, & Veteravicam, ut ipsi non illibenter Marchionem cum suo exercitu admitterent, nullius perniciem, aut ruinam machinantem, sed ad solius Imperii beneficium, rebellium punitionem, & fidelium omnium patrociniū venientem. Quæ quamvis indignissime ferrent Principes Correspondentes cum suo exercitu fere in ipsam ditionem Electoris Moguntini promoti; nihilominus advenientes impedire non potuerunt, & solum apud Electorem Saxoniam, & Ducem Brunsvicensem, aliosque districtus Saxoniam inferioris Regulos questi sunt de externo milite in Germaniam adducto; flagitantes consilium, & subsidium, ut illum repellerent. Quod cum frustra petissent, Marchio Spinola in conspectu exercitus hostilis diversa loca Palatinatus occupavit. Comitem Emdensem postea cum VI millibus peditum, & mille equitibus Crucenacum misit, ut illius oppidi fortunam tentaret; quod cum feliciter peractum esset; Alzæam ipse adortus, vix parum renitentibus præfidiariis, occupavit; ac statim quasi Wormatiam tenderet, iter instituit, deserentibus vero tunc Principibus Oppenheimium, ipsum etiam oppidum sibi adjecit, insignique præsidio firmavit.

Pari felicitate Cæsaris Saxoniam Elector eodem fere tempore, cum expedito exercitu in rebellem Lusatiam contendit, ut illam provinciam ad officium revocaret. Quod cum prius Palatino, & Ordinibus Bohemiam, necnon Lusatiam indicasset, illique vim deprecarentur, sed promptam obedientiam petitam denegassent: Elector Provinciam ingressus est, & occupatis paucis vicis, Budissinenses obsidionem toleraturi fortiter sese opposuerunt. Bohemi vero Iagendorffii milites à Bohemia, & Silesia eo destinarunt, ut Budissinam obsesam liberarent. Verum tot hostibus impares erant Bohemi; hinc Anhaltinus Princeps exercitum contra Bavaricos, & Cæsareos ducens, semper retrocedere coactus

*Saxo in Lusatiam ducit exercitum.*

*Anhaltinus contra Bavaricos & Austriaeos.*

coactus fuit usque ad Pilsnensem urbem : ubi cum præfidium expectaret, de fide Mansfeldii, urbem illam Palatino detinentis, dubitare cœpit. Quare & Palatinum Praga evocavit, quo præfente, etiam Mansfeldium evocaverat ; ut cum illo de exercitus statione, ac loci conservatione deliberarent, & cū ipse locum sibi commissum nolisset deferere ; non modice suspicionem de infida possessione auxit. Quapropter Bohemi neque exercitum suum illi loco concedere ausi sunt : sed post aliquot ad Ratkonizium velitationes, rursus Pragam usque retrocesserunt ; sperantes saltem ibi tutum exercitui suo refugium fore. in loco enim eminentiori, ubi etiam civitas tam ampla, & comneatus amplissimi præsto erant, nequicquam de fide civium dubitabant. Quod cum Cæsareis innotuisset, una cum Bavaricis fugientes insequuti sunt ; & antequam Bohemi integram munitiunculam sibi præparassent in monte Albo, exercitum suum in duas acies diviserunt, easque exercitui Bohemorum instructissimo opposuerunt, & post unius horæ periculum, celeberrimam illam victoriam reportarunt, quæ, ut constans omnium fama vulgavit, Bohemiam subjugavit, Austriam coercuit, Moraviam reduxit, Silesiam repressit, Vngariam ruperavit, universam Germaniam stabilivit, Religionem Catholicam ex captivitate in libertatem asseruit. cujus victoriæ non injucundum tenorem alii ex professo cum historiis hujus temporis narrare poterunt, nos ad subsequenda propius restorationem Ecclesiæ Germaniæ attinentia progrediamur.

*Victoria  
Pragensis.*

*Catholica  
Religionis  
status  
ante  
victoriam  
Pragensis.*

Qualis fuerit status Religionis Catholicæ Pragæ, & regni Bohemiæ, nondum parta victoria, sub dominatu Calvinistico, & Lutherano, quilibet poterit cogitare. Nam Ecclesiastici honore, & opibus fuerant exuti, bona Ecclesiastica adempta, templa, monasteria, Altaria profanata, Parochi Catholici ejecti, intrusi hæretici, Catholici Pragæ existentes ad abjurandam fidem orthodoxam, damnandum Sacrum Concilium Tridentinum, omnia decreta Pontificum spernenda, minis, fallaciis, præstigiis fuerant adacti ; Ecclesia Metropolitana, Mater Ecclesiarum regni Bohemiæ, die Sancti Andree,

dreæ, anni 1619, omni cultu sacrarum imaginum spoliata, & hæreticorum turpitudine fuerat conspurcata, in ea nostri Vindicis è cruce pendentis imago religiosissima in partes dissecta, Sanctorum figuræ foras ejectæ, con fractæ, & igne combustæ, Sanctorum Reliquiæ, Altaribus evertis, pedibus conculcatæ; sursum, deorsumque omnia sacra distracta fuerunt. Non reticebo tamen (& hoc à pluribus fide dignis oretenus habui) quod Deus in ipsamet tantorum sacrilegiorum impia perpetracione, ad confusionem hæreticorum, & confirmationem Catholicorum, clarissima suæ vindictæ signa monstravit; nam quendam hæreticum in contemptum Catholicorum in Cathedra Ecclesiæ Metropolitanæ saltantem in terram dejiciens, cruraque ei perfringens, lucis usura privavit. Alterum etiam ejusdem farinae hominem supra sepulcrum Sancti Joannis Martyris Canonici Pragensis, in contemptum divorum saltare incipientem, statim tam vehementi pedum dolore punivit, ut inde extractus infra horam miserrime occubuerit. Sed ut mirabiliora propalentur, quæ Deo ultore senserunt hæretici, ad institutam narrationem revertamur.

Pragensi igitur victoria indubie supremi Numinis ope impetrata (quod vel indicat dies omnibus Sanctis sacra Octava, Evangelium illius diei, Tessera militaris, & signum pugnæ, quod erat, Sancta Maria, pluraque alia prodigiis plena, quæ multorum pietas notavit) concussa fere in Germania, Bohemia, Vngaria, & cæteris adjacentibus regionibus Catholica Religio roborata est; & quæ passim è Bohemia exulaverat, vel ita depressa fuerat, ut dedecus esset viro nobili Catholicam Religionem profiteri, cujus sectatores ad instar facis populi habebantur omnium derisui, & opprobrio expositi; emerfit tandem, faciemque pudore jam antea obductam erigere læta potuit. nam statim post illam Catholici, qui pauci Pragæ remanserant, & sub jugo servitutis fuerant, exultabundi, nondum etiam referatis foribus civitatis, Bavarix Duce, ac Bucquoio salutato, de tanta victoria gratulati sunt, & ad pro-

*Tubilus  
Catholico-  
rum.*

sequendam victoriam, ad possidendam urbem, ad redimendam Catholicam Religionem invitarunt, tanta voluptate, & lætitia, ut plures illam noctem infomnes precibus traduxerint. Altera vero die, cum ipse Bavarix Dux, & Bucquoius ad urbem accessissent, tantus fuit populi exultabundi concursus, ut certatim de loco, de primatu salutationis, & de solo intuitu Bavari decertarint. immo jam non Catholici tantum, sed & hæretici Catholici nomen affectabant, signum Rosario, vel Breviario, aliove libello exprimebant, & refugium apud aliquem Religiosum, vel sub umbra aliqujus Ecclesiæ quæritabant. videre erat pessimos Calvinistas, seditiosos Picardos, duros Lutheranos in monasteriis latitantes, quo etiam thesauros suos detulerant, & absconderant, ut verum esset illud Davidis: Cum multiplicarentur necessitates eorum, tunc acceleraverunt. Omnes denique hæreticæ sectæ ministri timore inutili omnino trepidabant, latitabant, & sectam suam abscondebant.

*Cleri resuscitatio.*

Comparuere statim coram Bavarix Duce, & Bucquoio omnis generis Ecclesiastici, Canonici, Abbates, Religiosi mendicantes, quorum quisque sua repetebat, & à Bavarix Duce sua in urbe saltem Monasteria, ac loca licet deserta impetrabant. alii jure proprio absque alia solemnitate sibi debitas possessiones, nemine contradicente, apprehenderunt. immo liberalitate supremorum Ducum, & militum plerique Religiosi in multos dies victum, comneatum, & eleemosynas acquisierunt. eadem fama percrebescens mox multos Religiosos, etiam in ipsis castris degentes ad urbem revocavit, & biduo post victoriam solemne Sacrum institutum fuit, & inter tympana, tubas, ac tormenta bellica, hymno SS. Ambrosii & Augustini universa urbs personuit. Extra Bohemiam vero statim à victoria repentina lætitia populum excepit, ut undique æs campanum pulsatum, explosa tormenta bellica, & ignes excitati fuerint: in primis Viennæ solemnis supplicatio à monasterio sodalium S. Augustini usque ad Cathedralē S. Stephani est instituta, quam Cæsar sua præsentia illustravit, & Cardinalis Dietrichstenius egregia

gia sua concione, plurimum collaudata Dei justitia, condecoravit.

Pragæ interea Bavariæ Duci, ut victori traditæ fue- *Littera*  
runt litteræ Majestatis in originali, insuper confæde- *fæderis,*  
rationes omnes cum Moravis, Silesiis, Austriis, Vnga- *& Maje-*  
ris, & aliis celebratæ: insuper sacramentum innovatum *statis tra-*  
Cæsari, ejusque Legatis. Constitutus deinde fuit disce- *duntur.*  
dente Bavariæ Duce Cæsaris pro interim Legatus, Ca-  
rolus à Liechtenstein, magni ingenii, celeberrimæ ex-  
perientiæ, & non obscuræ voluntatis Princeps, apud *Prædican-*  
quem mox blaterones verborum Dei, quos vulgus *tes impe-*  
Prædicantes vocat, trium urbium sese obtulerunt, de- *trant ex-*  
misseque postularunt, ut sibi, suisque, Pragæ, & in Re- *ercitium.*  
gno manere, ac docere liceret. quod ut impetrarunt,  
summa, sed ficta moderatione aliquamdiu docuerunt  
Lutheri dogmata; Calvinistæ vero à Religionis exer-  
cicio prohibiti sunt; donec aliter fieri concederetur.  
verum omnes quotquot erant, repudiata doctrina  
Calvini, Lutheranam, neque hanc valde integram, se-  
quebantur: huc sese referebant Picarditæ, Anabaptistæ,  
Hussitæ, & similis sectarum colluvies, quæ sub Luthe-  
rani nomine tutum sibi patrocinium pollicebatur,  
quam tamen Cæsar non ita post proscripsit. Persevera-  
bant Pragæ in aliquot ecclesiis Hussitæ, non adeo à  
Catholicis discordes, si vere Hussitæ fuissent; sed etiam  
illos Calvinismus, & Atheismus adduxerat; nec erat  
qui aliam sectam, quam Augustanam, verbo profiteretur.  
summa difficultas in agrorum, & vinearum resti- *Possessio-*  
tutione fuit, sesquianno enim, quo Directores rem ce- *nes sacra*  
conomicam direxerant, multa millia Clero abstule- *divendi-*  
rant, ecclesiasticorum agros vendiderant, insuper oppi- *ta.*  
gnoraverant integras monasteriorum colonias, immo  
integra monasteria in compensationem laborum, aut  
creditorum, laicis tradiderant. Plassa, Tepla, Cotisso-  
vium jam erant in manu Baronum; Bifonium in ma-  
nu Dominae de Suanberg, quæ & tegulas templi ab-  
tulerat, ut horto voluptario deservirent; Stracko-  
nitzium milites devorarent, Braunowia Comiti de  
Turn cesserat: reliqua omnia collegia vicinis oppidis  
erant ad beneficium regium addicta. Verum non ita  
post

post victoriam omnia decreto Cæsareo restituta sunt, coactique nonnulli etiam conductum, damnum, & scenus persolvere eorum, quæ recenter retinuerant. vultuosa tamen sacrilegia tenacius adhuc consistebant. Altero post victoriam mense R. P. Valentino Coronio Collegium Societatis Iesu cum omnibus attinentiis, iuribus, ac privilegiis cessit per Cæsareum diploma.

*Moravia  
recupera-  
tur.*

Ad tantæ felicitatis famam, statim Henricus Comes Nassovius, qui cum exercitu suo Belgico in Palatinatum ascenderat, ut illum tueretur ab incursum Hispanorum, discessit, ut adhuc ante hyemem Hollandiam repeteret, & quamvis in itinere plurimas prædas egerit; tamen integrum fere Palatinatum Marchioni Spinolæ reliquit. Ante illius abscessum, Moravi Bucquonium, Praga venientem cum Cæsareo exercitu, apertis urbium portis, receperunt; qui prius tam obstinate Patres Societatis, universumque Clerum, tanquam feditiosum, sanguinolentum, & infamem pepulerant, & ex sacris cimeliis auri myriades aliquot conflaverant. Non poterat Moravos in sua ditioe continere Fredericus Vratislaviam fugiens, qui per celeres nuncios tam illos, quam Vngaros datæ fidei admonuit, optimamque spem reparandæ suæ fortunæ consternatis ingessit: neque apud illos profuit Bethlemus vicina auxilia ostendens, quibus patriam tuerentur: non denique ipsorum Duces, etsi victorias aliquas consequuti; quippe qui paulo post victoriam, Austriam fere vacuum milite invaserant; Vldarici fanum exusserant, arces Volquesdorffii, & Grecensteinii expugnaverant, Hornam, & Labum adhuc suis præsiidiis munierant; Ordines patriæ impedire poterant; quin continuo post Pragensem victoriam ad nuda Bucquonii signa sese traderent, & rursus in verba Cæsaris jurarent. Tunc prius Cæsar dilabentibus jam passim Austriacis proceribus, qui de sua salute desperarant, ausus fuit reliquos triginta sex proceres proscribere, & mercatores, aliosque cives ad tuendas suas, suorumque fortunas repellere. Lusatici superata per Saxoniam Electorem Budissina, statim à victoria Pragensi, non expectata alia obsidione, aut pactis, sese dederunt, immo Vratislavienses, quo ipse

*Proscri-  
buntur  
Austriaci  
proceres.*

ipse Fredericus se receperat post tantam cladem, et- *Fridericus*  
 jam præsente Friderico, Comite Hohenloio, Ducibus *fugit Vra-*  
 Vinariensibus, Comite Solmensi, Slickio, nec non uni- *tulaviam*  
 verso Gynæceo; tantum timoris hauserunt, ut statim de  
 dimissione Palatini cogitarint, illamque sexaginta milli-  
 bus florenis emerint, & militem Budissina venientem,  
 ac suburbia civitatis occupantem magna vi pecuniæ,  
 ne succederent pejora, placaverint; & quod mirum est,  
 tantus fuit universæ Germaniæ terror, ut paulo post  
 victoriam civitates Imperiales fere omnes presagæ  
 suarum fortunarum Cæsari gratulatae, se, suaque de-  
 tulerint, & nonnullæ, præcipue Argentoratum, No- *Germa-*  
 rimberga, & Vlma, magnam pecuniæ summam sponte *nia terror.*  
 sua Cæsari obtulerint, qua militi posset de stipendiis  
 satisfacere, & victoriam multo felicius prosequi.

Soli Ordines Silesiæ ex Germania aliquantulum *Silesio-*  
 fuere tardiores in reconciliatione procuranda, cui tar- *rum mora*  
 ditati forte ansam præbuerat Saxonæ Elector, Cæsari  
 alioquin fidelissimus, ob cum iisdem Principibus so-  
 cietatem sectæ, cujus tenaces in illum confidentes, ni-  
 hil de eodem dubitarunt; sicque facilius pacti sunt suæ  
 sectæ libertatem, & tardius sese dediderunt Cæsari;  
 qui, ne ipsum Saxonem offenderet; multa, & in multis  
 dissimulavit; sperans Deum aliquando aliam præbitu-  
 rum occasionem, quæ etiam Silesios mulctaret, & Re-  
 ligionem Catholicam, si non per hunc, saltem per a-  
 lium terrorem introduceret, quæ quam veraciter dis-  
 posita fuerint, eventus ipse monstravit.

Videbatur post victoriam Bethlemus cum Vngaris *Bethle-*  
 fortunam Bohemorum, Moravorum, & Silesiorum *mus con-*  
 reparaturus; ille multos, & multi illum ad hoc provo- *stantia*  
 cabant, præsertim Comes Turensis, qui ad ipsum con- *monet*  
 fugerat; neque hoc erat absque periculo, si extenuatis *Moravos,*  
 jam Cæsareis, & exhaustis provinciis: Taborium, *& Sile-*  
 Pilsna, Witungavium, aliæque post Pragam in Bohe- *sios.*  
 mia urbes, nondum deditæ, Silesia nondum reconci-  
 liata, Moravia adhuc perturbata, Vngaria rebellis, &  
 Imperium in plures partes divisum conspirassent. Sal-  
 tem à Cæsare, tunc vel maxime sollicito, longe alias *Cæsaris*  
 conditiones impetrassent: verum semel collectis Cæsa- *magnani-*  
 reis *mitati.*

G

*Doli  
Bethlemi*

reis viribus, & his consternatis, aliis fugientibus, aliis victis, aliisque veniam deprecantibus, potuit Cæsar duriores conditiones præcipere, & optimæ fortunæ suæ, nec non Catholicorum consulere, & Bethlemus cum cæteris animo cadens, primo Legatum Turcarum, deinde Legatum Regis Galliæ, ac tertio per suum Secretarium commercium pacis restitui postulavit; coronam regni per ipsum ablatam fuisse confessus, factum excusavit, ne ad manus Turcarum veniret; ac tandem illius restitutionem, alicujusque damni reparationem  
 „ obtulit; an vero illa ex animo dicerentur; multi postea  
 „ dubitarunt; alii infidam Galliæ Regis Legati ex eodem ore ignem, & aquam spirantis tractationem accusarunt; plures dilationem pacis Vngariæ, divinæ voluntati, & Cæsareæ fortunæ adscriperunt. nam dilatio melioribus omnino conditionibus compensata fuit, Cæsarque armis occupavit, quod alioqui Bethlemo Turcarum clienti debuisset.

*Victoria  
fructus in  
Italia &  
in Gallia.*

Altero post victoriam Pragensem mense, hæc eadem victoria non solum Germanicum orbem; sed pari fere splendore, lætitiæque Italicum, nec non Gallicum affectit. quare Paulus V Romæ binis suis Breviculis  
 „ Bavarum, & Bucquoium salutavit, eisque victoriam  
 „ gratulatus, solemnia festa indixit, quæ ipsemet Pontifex frequentavit. Italia etenim, si diutius Pragensis victoria dilata fuisset, non parum periclitabatur ob Ducem Sabaudia, Montisferratensi ditioni, etiam vivo adhuc Ferdinando Mantuæ Duce, inhiantem; & ob Helvetios acrius in socios Vallentinenses, tunc fere desertos ab Hispanorum patrocínio insurgentes. quæ  
 „ omnia post victoriam Pragensem in Regem Hispaniæ, & maximum bonum Ecclesiæ redundantia, moderatiora evaserunt. In Gallia Hugonotti multo impudentius sese Regi suo opposuissent, si Calvinistæ in Bohemia triumphassent. sed ut in Germaniæ profectu, præsertim nostræ Nuntiaturæ tempore, Deo bonorum omnium largitore, plantante, rigante, ac incrementum concedente, insistamus, ab ipsis inimicis nostris salutem  
 „ nostram operantibus libet incipere. Nunquam enim  
 „ aliquis Catholicorum Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ, Austriæ,

Austria, Vngaria, Franconia, Alsatia, Palatinatus utriusque, civitatum Imperialium, Anseaticarum, & maxime inferioris Saxoniae, boni aliquid ausus fuisset sperare, nisi initio ducto ab ipsis haereticis, quorum superba potentia in summo constituta, deposita est de sede, & exaltata est miserorum afflictorum, ac poene desperatorum Catholicorum conditio. Restitutis etenim Pragae aliquot templis statim Caesar Cathedralis Ecclesiam, quam inimicus homo per suos asselas profanaverat, curavit restitui, novis imaginibus adornari, dissipatis reliquiis instaurari, & novis altaribus condecorari, Princepsque Lichtenstenius regni Prorex, non ita post Pragae Ecclesias Sancti Nicolai, Aegidii, & S. Henrici, quarum haec in nova civitate, secunda in antiqua, prima vero in parva parte sita est, ejectis verbi Dei corruptoribus, curavit Catholicis presbyteris restitui. tunc plerumque aere Caesareo Ecclesiae reparatae, primique Sacerdotes, ac Ministri aliti fuerunt, ut primorum illorum mensium in solos Ecclesiasticos effusa liberalitas ad centum millia florenos excefferit. eadem quoque opera Prorex in vicinis oppidis occupatas praecipuas Catholicorum Ecclesias, abrogatis haereticis blateronibus, Catholicis consignavit in tam magno numero, ut paulo post deessent Sacerdotes Ecclesiarum rectores, ac ministri, aediles, aeditui, scholiarchae, similisque conditionis homines, quos adhuc Bohemia proximo, tertio, & quarto anno desideravit.

Quod attinet ad Moraviam, postquam Comes Maradas cum Liechtenstenio, ac Tiefenbachio Tribunis eam provinciam fuisset ingressus sub Duce Bucquoio; Iglavia, & Trebicium aliquandiu oppugnatae, se dederunt, Zneimensesque, etiam imperata facere polliciti sunt. Brunna, & Olmitium totius ditionis oppida primaria intercepta sunt. Et sic statim profligatus Clerus occurrit, sed in parvo numero: nam ex depulsis, partim in Bavariam, partim in Stiriam, & Italiam profectis, vix quinta pars supererat. Quaesitus tamen fuit sacerdos unus, qui singulis locis praeficeretur, non tam ut civibus, quam ut praesidiariis in procuranda animarum

*Causa Catholicorum ubique desperata.*

*Restituuntur Ecclesiae in Bohemia.*

*Moravia redit ad Religionem Catholicam.*

salute deserviret. Cæsar statim sub finem Januarii, edito diplomate, Patres Societatis Brunnam remisit; iussitque ut illi, qui cum dedecore, ac infamia, quasi seditiosi fuerant ejecti, summo honore restituerentur. Orabant Ordines provinciæ Moraviæ à Cæsare veniam, sese prolixè excusantes, quod à Bohemis decepti fuissent, & male feriatis hominibus credidissent, quam ut impetrarent, solum Ferdinandum Cæsarem profitebantur verum Dominum, illi fidelitatis Sacramentum offerebant; alteri, quondam Frederico præstito, renunciantes. verum Cæsar fidei Cardinalis Dietrichstaini alias ejecti, rursus totam causam Moravicam commisit; primumque inter alia eidem Catholicam Religionem, quamvis opus non esset, commendavit. injuria tamen temporis, & Moravorum inconstantia, Vngarorumque vicinorum pertinace protervia nullam mutationem admisit; sed magnam Catholicorum modestiam requisivit. Quare merito Cardinalis emendationi Ecclesiasticæ tunc temporis superfedit, neque enim res Cæsaris vacabant periculo. nam in Bohemia Mansfeldius Pilsnæ eventum prælii Pragensis expectabat, ut si male successisset, Cæsareos fugientes, aut retrocedentes funditus exterminaret. cum sæliciores opinione sua exitum vidisset; passim grassari cœpit; Topelium, Schlackenwaldium, & Elenbogium in suam potestatem redegit, multisque diebus exercitum Bavaricum, & Saxonicum in recuperatione Ægræ, Schlackenwald, atque Elbogii detinuit. quod etiam illius socii Taborii, & Wittengavii fecerunt. Bethlemus, & Vngari, quamvis alicujus transactionis spem fecissent: tamen primis diebus, quo convenerant, notatum fuit frustra laborari: cum Bethlemus non nisi regio titulo Legatos mittens, obstinate Rex Vngariæ vellet agnosci, & tanquam Rex aliquod pacis commercium inire; quod omnino Cæsar, (ne Regem alium cogeretur admittere,) quam citissime abruptit, moxque Bethlemi electionem rescidit, mandans omnibus Vngaris, ut se à tam pernicioso invasore segregarent. rescidit tunc etiam Cæsar quidquid in Posoniensi, ac Neosoliensi Conventu contra jus, & fas, & contra Ecclesiam Dei,

*Mansfeldii insolentia.*

*Tractatus pacis in Vngaria inicitur.*

Dei , ordinemque Ecclesiasticum temerarie decretum fuerat, misitque paulo post, qui in Bethlemum, refractariosque Vngaros duceret. ad cuius adventum arx Thebana juxta Hamburgum sita, orta seditione, accepta fuit; & Colaltus ab alia parte in Vngaros insistens, bis mille ex Budeanis delevit, quam cladem ultri Vngari, non ita post tria signa Cæsarianorum interceperunt, & aliquos Cæsareos in captivitatem abduxerunt, bello quammaxime accenso.

Fælicius ad Rhenum progrediebatur Spinola, qui totam Weteraviam, etiam sub hyemis algore, pro Rege Hispaniæ occupavit. deinde transmittens aliquod ex suis Fridburgum oppidum sibi dedi postulavit. Cessere tunc Spinolæ oppida Gelohusum, Rothemium, Brunsfellum, aliaque multa illius districtus; idque tanto alacrius actum est, quanto evidentius constitit Cæsarem Viennæ publice Palatinum proscripsisse. Hæc gaudia magnus, qui impendebat Cæsari, metus temperabat. ingens enim periculum erat, ne Daniæ Rex, & circulus Saxonicus pro Frederico intercessionem meditantes; non obtento, quod nitebantur impetrare; fierent hostes. hoc enim minabatur Rex Angliæ cum regni Senatu, quorum studium erat vel pace, vel vi Palatinum restituere. Hoc urgebat Fredericus apud Brandenburgicum, Brunsvicenses, Luneburgenses, Pomeranos, Mechelburgenses Duces, & civitates Imperiales, & Anseaticas. procurabant hoc Hollandi per solemnem Legationem apud Reges Galliæ, & Angliæ, quibus Cæsar tunc temporis, cum adhuc contra Bethlemum, & Vngaros non sine Turcarum metu pugnandum esset; minus resistere posse videbatur. hinc variorum Principum Germaniæ, atque Italiae opes imploravit. Pontifex Paulus sub initio anni decesserat, cui fælici Germaniæ fato successus fuit Gregorius X V, magnanimus, æque clemens, liberalis, pius, ac Germanicæ nationi addictissimus. huic statim res Religionis in Germania ita cordi fuere, ut paulo post assumptionem ad Pontificatum universalis Ecclesiæ, egregiam liberalitatem erga Cæsarem, ejusque militem ostenderit, non modo quando maximam mihi

*Expeditio  
in Vngaros.*

*Spinola  
Weteraviam occupat.*

*Periculum Cæsaris.*

“

“

“

“

“

summam pecuniæ, quæ ad viginti millia florenorum  
 „ menstrua accedebant, in Cæsarei exercitus subsidium  
 „ contulit; verum etiam quando integram legionem pe-  
 „ ditum, & alteram equitum suis impendiis in Cæsaris  
 exercitu militare voluit, earumque copiarum dire-  
 ctionem (commissa Præfectura Petro Aldobrandino,  
 tanquam Ecclesiæ Locumtenenti Generali) meæ curæ  
 subjecit.

*Subsidia  
 Regis Ca-  
 tholici.*

Longe præstantius subsidium à potentissimo Rege  
 Hispaniæ viginti mille milites jam pridem Imperator  
 impetraverat; illudque in tam arduo periculo confir-  
 mabatur cum amplissima facultate ad regium in Aula  
 Cæsarea Legatum Comitem de Ognatt, cui onus il-  
 lud aliquo modo facilius fuit ob transmissa plurima  
 plaustra argenti non signati, quæ casu tunc crescente  
 valore monetæ plurimum ærarium auxerunt.

*Obitus  
 Regis Phi-  
 lippi III.*

Ad horum subsidiorum promissionem Cæsar ani-  
 mosior factus, quamvis circa veris initium Regis Hi-  
 spaniæ sororii, ac cognati sui amantissimi obitum co-  
 gnovisset: tamen tergiversantibus Vngaris, & Bethle-  
 mo, dum duriores condiciones proponerentur, nullo  
 modo iis consentire voluit, sed habita nonnullorum  
 Vngarorum reconciliatione, ceteris seditiosis, &  
 Bethlemo ipsorum Coryptheo, honestas pacis condi-  
 tiones repudianti, bellum indixit. quod ut sælicius ge-  
 reretur, oppignoratis paratioribus cimmeliis, sumpta-  
 que pecunia ad scenus, annona pro quadraginta homi-  
 num millibus, Iavarinum, & Comorram avehi præce-  
 pit. Opportune inter commercia pacis Hamburgi in-  
 stituta, Cæsari reconciliatus fuit Georgius Setschius  
 Vngarorum quondam rebellium antesignanus; qui in  
 partes Cæsaris transiens, mox Allesolium occupavit,  
 & corona Vngariæ potitus, Fillechum, atque inde Ve-  
 sprinum contendit, ut cum duobus millibus Germanis  
 ad illius auxilium submissis Bethlemum insequeretur.  
 Bucquoius ipse cum reliquo Cæsaris exercitu Vnga-  
 riam ingressus, Possonium obsidione cinxit, illadque  
 post crebros tormentorum ictus, dedentibus sese præ-  
 sidiariis, inter quos non satis conveniebat, occupavit.

*Reconci-  
 liatio Ge-  
 orgii Set-  
 schii.*

Mirum in modum Georgii Setschii defectio &  
 Posso-

Possoniensis civitatis oppugnatio Bethlemum torfit; <sup>Bethle-</sup>  
 quare ipsemet Budam ad Turcarum præfectum ac- <sup>mus im-</sup>  
 celsit, consilia, & auxilia postulaturus; cum paulo ante <sup>plorat</sup>  
 etiam inter pacis commercia scelerata quidem fronte, <sup>Turcas;</sup>  
 Tartarorum Ducis copias luculenta epistola, mille  
 mendaciis referta, implorasset, ut coronam Vngaricam  
 violenter ablatam, violenter assereret; & cæterum Vn-  
 gariæ una cum Bohemia, ac Moravia occuparet; in  
 quem finem exegerat præter mille Tartarorum copias <sup>Etiam</sup>  
 etiam quindecim millia Osanitarum, quos per opu- <sup>Tartaros.</sup>  
 lentas Europæ nationes, & Christianorum Regna cir-  
 cumducere promiserat. Cæsari vero solatio fuit, quod  
 paulo ante hoc Vngaricum bellum, Silesii ad obedi-  
 entiam rediissent, pactis conditionibus cum Saxonæ E-  
 lectore, cujus opera postulas fere condiciones impe-  
 trarant, & vicissim Cæsari post addictam fidem, ingen-  
 temque summam ad solvendum æs alienum, sacra-  
 mento addicti sunt. Solatio etiam fuit pax inita apud <sup>Pax Sile-</sup>  
 Moguntiam inter Principes Correspondentes, & Bur- <sup>sia, &</sup>  
 gundicarum copiarum Ducem Spinolam, per quam <sup>Corre-</sup>  
 foedus Correspondentium, alias Aschusii initum, & <sup>sponden-</sup>  
 Hallæ confirmatum; dissolutum fuit: illique Principes <sup>tium,</sup>  
 domum remissi Palatinatum Spinolæ reliquerunt. <sup>cc</sup>  
 Præpediebant tamen aliquantulum illius occupatio- <sup>cc</sup>  
 nem copiæ Frederici Palatini, quas à Rege Angliæ sub  
 Tribuno Veerio ibidem habebat in præsidiis muni- <sup>cc</sup>  
 tissimorum locorum, Franckendalii, Manhemii, &  
 Heidelbergæ; ad quæ non adeo facilis erat accessus, <sup>cc</sup>  
 utpote apud gentem non satis fidam. quare Spinola <sup>cc</sup>  
 rem cum Palatinianis, pactis induciis usque ad finem <sup>cc</sup>  
 Junii (quod tamen postea non parum damnatum fuit)  
 transegit. Silesios etiam molestabat facta reconcilia- <sup>Iagerdor-</sup>  
 tione Iagerndorfius, ex familia Brandenburgica Prin- <sup>fis irru-</sup>  
 ceps. is cum alias Silesiis militasset; stipendium sibi, <sup>ptio.</sup>  
 suisque copiis exigebat. imo cum recenter à Palatino  
 rogatus fuisset, novæ militiæ ad reparandam fortunam  
 ejusdem sese Ducem constituerat; & non solum gravis  
 Silesiis fuit, sed Bohemis novas irruptiones, ac clades,  
 fortiter sese opponentibus Cæsareis in Moravia, & Si-  
 lesia præsidiarius; minabatur. easdem ex alia parte, &

non leviter inferebat Mansfeldius per Tillium, qui præfidiarios milites Pilsnenses coëmerat, Pilsna ejectus, & paulo post in finibus Bohemix apud Elembogium, & Waidhusium oppugnatus. quæ expeditiones cura Cæsaris gestæ, præter bella Vngarica, cum essent multiplices, non vacabant expensis, molestiis, & periculis. hæc tamen omnia Cæsar, me pro muneris mei ratione diligenter instigante, posthabuit; ut Bohemiam ab intrinseca, & occulta peste hæreseos liberaret. quod quamvis multi immaturum dicerent: tamen, quia agebatur de pœnis ob rebellionem, ratione quarum multi rei sibi meruebant, earumque intuitu nonnulli videbantur facturi eo tempore, quod alias sublato metu non fecissent; hinc saltem aliquo modo occasione reformandæ Religionis accepta, ad meas preces publicatum fuit diploma à Cæsare, quo tertia Iunii mandavit, ut omnes Prædicantes, Professores, ludimagistri, tam in urbe Pragensi, quam extra urbem in universo regno, Calvinianos errores profitentes, aut alias sectas in Imperio repudiatas, propagantes, vel perduelliones in cathedris promoventes, aut qui Cæsaris in regno Bohemix susceptionem, ut iniquam proclamarant; Fredericum coronarant; perjuris consultationibus in Carolino Collegio interfuerant; omnes, & singuli ex regno Bohemix, omnibusque illi incorporatis regionibus (concesso aliquo, sed brevi termino) sub pœna perduellionis proscriberentur. Hoc diploma non tam sub causa Religionis, quam seditionis publicato, Bohemici Prædicantes omnes, quorum vix ullus non sese dicteris, & scommatibus maculaverat, exulare coacti sunt, tolerati tamen fuere adhuc Germanici duo modestiores, ne populus concitaretur; & ne integrum Imperium moveretur. Eodem fere tempore postquam perduellionis rei absentes, & fugitivi jam secundo, & tertio fuissent, prout styli est, evocati; & præsentibus una fere die omnes in vincula detrusi, Cæsar constituto tribunali severæ inquisitionis, de singulorum reorum delictis agi voluit, habito juramento ab iis, quorum erat dicta, & facta totius regni judicare, additoque severo præcepto, ne cujusquam personam excipe-

*Extat diploma ejectionis Calvinianorum Prædicantium.*

*Citatio, & castigatio reorum absentium, ac defunctorum.*

exciperent, sed secundum id, quod in extremo iudicio defendere potuissent; ex legibus Imperii, & regni iudicarent. in hunc finem centum, & viginti duo quaesita singulis fuere proposita, datusque accusator, ac defensor, tempusque sufficientissimum, ut se defenderent. cum autem ex absentibus nullus compareret, & evidenter satis de delictis constaret; Caesaris Legatus ad instantiam regii Cognitoris, illos, adhibitis debitis ceremoniis reos pronunciatos, aqua, & igni interdixit, & fortunas illorum omnes fisco addixit. Defunctorum deinde tempore rebellionis, quorum culpa ex ipsis factis evidentissime probata fuerat, memoriam (pariter in fisco relatis bonis) damnavit. ita tamen, ut talis damnatio nomini, ac famae haeredum, & consanguineorum nihil officeret.

Similem reorum punitionem Dux Bavariae Caesaris nomine Lintzii incepit, nonnullosque ex proceribus, atque Ordinibus patriae arci inclusit, quos postea Caesar partim Passavium, partim Viennam, ad instruendam causam recepit. tardius tamen ad executionem sententiae devenire potuit, eum nunc intercessionibus, nunc nimia clementia praepediente. Interea Mansfeldius non comprehensus in tractatione Pilsnensi (quae civitas semper Catholica fuerat, & tunc maximis Catholicorum suspiriis persoluto pretio recuperata fuerat) in superiori Palatinatu vires contraxerat, cum quibus Bohemiam repetens Falckennavium, Elembogium, aliaque sui juris oppida defendere conabatur. accesserant illi tunc tria signa; quae Pilsna exeuntia pecuniam acceptare detrectaverant, & potius gratis recesserant, quorum signorum milites non parum Franckenium Tribunum Thaborii adhuc haerentem accusarunt. sicut pariter & alia, quae ab ipso Mansfeldio Warlingae, & Klingenbergae relicta fuerant; e quibus paulatim non spernendum exercitum contraxerat. quos tamen Tilliani, & Saxonici milites mox compescuerunt, & in Palatinatus montes, ac sylvas rejecerunt.

Turbabatur etiam Caesar a concepta executione contra reos Bohemos ab Ungaris plus solito superbientibus,

*Apprehensio reorum Lintzii.*

*Mansfeldius in finibus Bohemiae.*

*Interces-  
siones  
Princi-  
pum.*

bientibus, & ab Imperii Principibus aliquot, qui non ita pridem apud Moguntiam reconciliati fuerant: namque unitis votis, juxta spem factam; tum pro Palatino, tum pro plerisque aliis proscriptis, ac reis instabant. quibus Principum Legatis non ita post Regis Daniæ Legatus, & multorum Principum inferioris Saxoniae succedentes, simili deprecatione importuni Cæsaris mentem in diversa movebant. verum hos omnes Legatos Cæsar aggravata nonnihil Palatini culpa nondum pœnitente, supplicatione, qualis ipsum tam graviter reum decuisset mitigata, ad futura Comititia, quæ in proximum mensem circa festum D. Iohannis Baptistæ indicta fuerunt, remisit; promisitque de novo prorogatis in Palatinatu induciis usque ad finem alterius mensis, se de consilio, ac voto Electorum; cui libet clementer satisfacturum, prout æquitas causæ, & innata illi clementia postulasset. hoc petens Palatinus in Hollandiam profugus, cum de comitiis istis aliquid intellexisset; non destitit causam suam Electori Moguntino, aliisque Principibus commendare; declarando se paratum fore omnibus animum submittere, quantum salva existimatione, & conscientia facere posset, ita tamen ut nihil ejus ditioni detraheretur, neque Religionis status in eadem immutaretur. Ferocientibus vero Vngaris, aliter occursum fuit per Bucquoium post captam arcem Possoniensem cum viginti duobus hominum millibus ulterius progredientem; ad cujus exercitus famam Altemburgenses fuga dilapsi, locum cesserunt; quod idem sine pugna fecerunt Tirnavienses, Oedemburgenses, & Schirtani; ita ut liberrimus accessus Commorianis, & Iaurinensibus ad Cæsarianos, & his ad illos pateret. Speraverat Bucquoius eadem opera Neosolium occupare; sed Turfus adhuc Bethlemo addictus eo nobilitatem Vngaricam, & Transylvanos plurimos paulo ante transmiserat, sicque majoris molis illius interceptio fuit. aliquam tamen spem reliquerat invasioni Bethlemus, qui paulo ante à liberis Heiduceis, & Vngaris desertus, in commisso prælio multos ex suis desideraverat, vixque turpi fuga Cassoviam versus sibi consulere potuerat. Auxerat etiam

*Vngaris  
providetur.*

etiam spem paulo ante Palatinus Forgatzius, qui adactis in fidem Cæsaris civitatibus Montanis ad Stanislauum Tursonem dederat litteras ejus fidem repositas; quam Turso non visus est velle negare; si à militibus minime præpeditus non fuisset, paululo constantius tumultui restitisset. Debut igitur Bucquoius castra Neuheusolio admovere non infalliciter sub initio: nam vallum quamproxime ad munitionem perductum erat, immo jam munitioni imminebat, una tamen porta Carniæ præpediri non potuit, quin passim pabulatores excurrerent, & interciperentur. Bethlemus interim ad Cassoviam cum Palvio, & Bosniaco pugnans, utrumque superavit, caesis, ac fufis plusquam mille Cæsarianis. Neuheuseli vero, cum Bucquoius munimenta lustraret, in paucos Vngaros insidiatores incidit; sed illum ipsius milites fortiter pugnantem, liberarunt. secundo tamen in similes insidias prolapsus, & à suis derelictus cecidit, atque inter pugnandum duodecim vulneribus confossus occubuit, magna Cæsariani exercitus confusione, ac damno. paulo post quamvis omnia plena essent periculis; de rebellibus, & perduellibus, qui se regni Bohemiæ directores nominabant, propter eorum rebelliones, & nefarios conatus contra Ecclesiam Catholicam, & Cæsarem; summum est supplicium, cum anno præcedenti 1620, (quod notatu dignum est) eadem die, in quam inciderat octava festi diei Sancti Viti, Metropolitana Ecclesia Pragensis Patroni, ab ipsismet hæreticis, immo ab ipsis satellitibus Frederici Palatini auditus fuisset noctu in prædicta Metropolitana Ecclesia, à media decima more germanico usque ad tertium quadrantem horæ undecimæ, cantus multorum tamquam presbyterorum Catholicorum psallentium in Choro, unde postea cognitum fuit Sanctum Vitum, & alios Sanctos, quorum reliquiæ in eadem Ecclesia asservabantur, illo cantu clamasse vindictam, quæ anno revoluta eadē die de prædictis directoribus justo Dei judicio sumpta fuit.

Cum autem fere universa Bohemia esset rea, & adhuc in omnium animis metus ille extremi supplicii versaretur, hortatu nostro Cæsar se ad indulgentiam

*Obsidio  
Neuheuse-  
liana.*

*Mors Buc-  
quoii.*

tiam

Dispositio  
ad Reli-  
gionem.

» tiam concedendam inclinare vulgavit ; si modo pleri-  
» que se ad recipiendos tantæ clementiæ fructus apta-  
» rent. quibus verbis indicabatur satis aperte mens Cæ-  
» faris, quæ modestiam, fidem, & Catholicæ Religionis  
» propagationem desiderabat. Quare tunc multi Bohe-  
» morum metu parciti, ad instructionem properarunt,  
& Deo humanum metum in spiritum rectum verten-  
te, nomen Catholicæ Religionis dederunt. quare cum  
semel veræ Religionis aditus esset patefactus; paulatim  
alii duriores in hæresi, molliores effecti sunt; cogni-  
tumque fuit, solam vexationem Bohemis posse intel-  
lectum præbere, eosque in viam bonam dirigere.

Calumnia  
hominum

» Multi certe hanc reorum castigationem, & Reli-  
» gionis mutationem improbarunt, quasi immaturæ  
» fuisset actionis, unde posset nova seditio totius Bohe-  
» miæ, ac Germaniæ commotio erumpere; amici Cæ-  
» faris abalienari; Vngari, nondum sedati, magis exa-  
» cerbari; novi hostes, nondum sopitis pristinis, excitari;  
& Turcis insignes aditus in Christianorum regiones  
preparari. quæ non solum in angulis Bohemiæ, &  
Germaniæ spargebantur; sed jam publicis libellis in  
vulgus sparsis, non sine minis aliquorum evulgabar-  
tur. quibus rumoribus & calumniis multum iuvit,  
quando Turca magnum apparatus ad bellum terra,  
marique faciendum construxerat, nonnullasque co-  
pias ad fines Vngariæ miserat; licet aliam expeditio-  
nem contra Cosaccos susceperat. Voluit autem Deus  
favere Ecclesiæ suæ, & Turcarum insolentias per eos-  
dem Cosaccos omnem comæatum in Nigri Ponti  
flumine vehi solitum præpedientes, castigare. tantus  
enim timor in Turcarum finibus ubique per irru-  
ptionem Cosaccorum fuerat, ut incensis oppidis Po-  
ligraſto, & Chilo, concisisque aliquot Turcarum, &  
Tartarorum millibus, multi Constantinopoli metue-  
rint, jamque de Ottomanici Imperii fortuna dubita-  
rint. neque enim à duobus sæculis tantus tremor Tur-  
cas invaserat; ut ea incommoda, quæ postea subse-  
quuta sunt, demonstrarunt.

Cæsaris  
pietas &  
peregrina  
natio.

» Adscribebantur hæc sælicissima Christianæ Reipub.  
» tempora inter tam periculosos motus singulari pietati  
» Cæsaris,

Cæsaris, qui eo tempore, cum Pragensis exequutio, & <sup>cc</sup>  
 Religionis immutatio procuraretur per idoneos mini- <sup>cc</sup>  
 stros, peregrinationē instituerat ad miraculis celebrem  
 Ecclesiam B. Mariæ Cellitanam in confiniis Styriæ, ubi  
 una cum fratre Archiduce Carolo votum Deo cœli,  
 ejusque gloriosissimæ Matri, ac Virgini Mariæ fa-  
 ctum persolvit, oblatis muneribus maximi pretii; in-  
 ter quæ extitit corona multis coronis intexta, quæ  
 servatum Imperii diadema una cum Regni Bohemiæ,  
 Vngariæ, aliarumque regionum demonstrabat, &  
 piissimi Imperatoris gratum animum exprimebat. Ibi-  
 dem Cæsar jamdudum conceptum votum de restau-  
 ratione Catholice Religionis in regno Bohemiæ, & *Catholica*  
 provinciis Austriæ, Moraviæ, aliisque hæreditariis in- *Religionis*  
 novavit. quod ut quantocyus, meliori modo, & ordine *restitutio*  
 executioni demandaretur; ego ipse institi, & quia Pra- *procura-*  
 gæ, Patribus Societatis Iesu, & paucis Canonicis ex- *tur.*  
 ceptis, vix erant Ecclesiastici, Religiosis, aliisque Pres-  
 byteris evocatis, regno providi; novumque mihi ipsi  
 in regno Bohemiæ constitui Vicarium, Ernestum Plati-  
 sium, Canonicum Pragensem, & Olomucensem, virum  
 integerrimum, probatæque virtutis, propter ea, quæ  
 perpeffus fuerat ab hæreticis ob Religionem Catholi-  
 cam; cum præter alia, deperditis omnibus suis bonis, ab  
 eisdem per multos menses detentus fuisset in carcere;  
 ut per illum Catholica Religio promoveretur, & ne- <sup>cc</sup>  
 cessaria ad illius promotionem indies denunciarentur. <sup>cc</sup>  
 Archiepiscopus enim, quamvis charitate accensus, <sup>cc</sup>  
 nihilominus senio confectus, infirmus, & in extrema  
 necessitate constitutus, omnibus jam fortunis exutus,  
 magnisque periculis exantlatus, non poterat exequi,  
 quæ cupiebat. Mihi itaque incubuit, Cæsarem, ejusque *Media ad*  
 Consiliarios urgere; ut non solum Archiepiscopus *Religio-*  
 sublevaretur, Sacerdotes submitterentur, & ecclesiæ ma- *nem re-*  
 gna Cæsaris liberalitate repararentur, sed, ut extermin- *stauran-*  
 natis hereticis, Catholica Religio restauraretur. verum *dans.*  
 quamvis ex parte non parum profecissem, jamque Ar- <sup>cc</sup>  
 chiepiscopo magna liberalitate subventum fuisset, & <sup>cc</sup>  
 pro ordinandis seminariis, tum ad Sanctum Iacobum *Semina-*  
 Patribus Conventualibus, tum ad Sanctam Mariam *ria fun-*  
 Magda- *data.*

Magda-

Magdalenam Patribus Dominicanis, & ad Sanctum Thomam Patribus Augustinianis; quin etiam Cathedralis Ecclesie Canonicis, ac Patribus Societatis, congruentes summe annui redditus ex regis proventibus ordinate fuisse; jamque congregarentur undique studiosi, Religiosi, ac Sacerdotes; nihilominus in reparanda Religione, in ejiciendisque hereticis ministris, ad huc herebatur ob quotidianos, & nocte enascentes hostes, qui totam Bohemiam terrebant, & seditiosos cives, ac vicinos jam à mutatione Religionis abhorrentes, ad novos tumultus excitabant.

*Novi hostes Bohemia.*

Iagerndorfus in primis non solum in Silesie, sed etiam in finibus Bohemie cum suo milite excurrrens periculosa diplomata spargebat, quibus executionem Pragensem apud vulgus perfide traducebat, & plusquam barbaricam Cæsaris tyrannidem exaggerabat; qua columnas patriæ, & veræ Religionis amantes debilaterabat fuisse concussas propter animi constantiam crudeli, & contumelioso mortis genere castigatam, conabaturque persuadere Sylesiis brevi similem ibidem executionem futuram, & singulis significabat, se plenam Comitis Frederici Palatini facultatem recepisse; ut ea, quæ publicum Silesiæ, & Bohemiæ bonum concernerent; procuraret: eoque nomine cum collecto milite processit, & in obvios quosque grassatus est; ab administratoribus Episcopatus Nissensis, à Senatu, & civibus Catholicis centum millia thalerorum extorsit. totidem vero à capitularibus Vratislaviensibus, locolytri exegit. Thescam deinde profectus, ubi aliquot millibus Vngarorum militum receptis, firmato præsidio Glatzensi, Troppaviam ingressus est, multaque loca vicina Silesiæ interceptit. postea vero impetum in Bohemiam faciens Smirsitks prædia, & Cassolitzium, incusso etiam Pragensibus timore, invasit.

*Mansfeldius in limite Bohemia.*

Interea Mansfeldius ducto suo exercitu per Viniarienses Duces, qui à Rege Daniæ sex millia militum impetraverant; in alia parte Bohemiæ non procul à superiori Palatinatu castrametatus est, tentorium figens Wethusii in loco, fossa, & vallo munito, ex quo in dies cum Cæsareis velitationes instituebat, & nonnunquam

minus

minus fortes rejcebat. Impediebantur Cæsarei, ac Bavarici à montibus, & sylvis, quæ liberum accessum denegabant ad Mansfeldianos, hinc inde in abditis locis securos, atque in Cæsareos magno impetu nonnunquam irruentes. Cecidere magna clade Bavarici, & Cæsarei exercitus Tribunus Baurius, Episcopi Bambergensis, & Herbipolensis Legatus, pluresque alii centuriones. loco quorum Mansfeldius plusquam mille ex suis desideravit; nec propterea cessavit gravissimis minis Capitulares Bambergenses, & Herbipolenses lacessere, transmissio tubicine, per quem significavit, ut copias, quas tunc in Bohemiæ finibus habebant, avocarent, suarumque Ecclesiarum curam gererent. quare Bambergenses nobilitatem Franconiæ in armis esse jusserunt, non exiguo ipsius ditionis periculo; cum ab illis plerumque hæreticis paulo minus, quam à Mansfeldiacis tuti esse viderentur.

*Bamber-  
gensibus  
& Herbi-  
polensibus  
minatur.*

In Vngaria vero post obitum Bucquoii omnia in pejus ferebantur. nam Bethlemus cum Comite Turnio Possonium & Tirnam usque excurrens; cum jam urbes montanas in fidem accepisset, integrum Cæsaris exercitum ad Guttanam arcem rejecit; omniaque fere impedimenta, quæ retrocedentes copiarum tumultuario conatu auferre non potuerant, frustra à Maxarenno propugnata lucratus est. Colaltus etiam paulo ante contra Budeani partes victor, prostrato exercitu prope Neusoliū, minus instructus viribus, retrocedere debuit, & Oedeburgum, Gunsium, aliaque loca omnia Neostadium usque grassationi, ac incendio Vngarorum relinquere coactus est.

*Infelici-  
tates Vn-  
garia.*

Ex his cladibus in ipsa Bohemia non infrequenter tumultus ratione militum, & onerum contra superiores oriebatur. Thaborenses, & Wittingavienses molestissimi prædarii prædam usque ad Pragensem urbem agebant, & itinera Praga Viennam veluti obsessa reddebant. quare passim res Religionis potius retrocedens, quam procedens in non leve periculum adducebatur; nam Prædicantes alias dimissi, sed favore turbarum regressi, in pagis, aut in locis extra urbes latitantes agebant, cum vix Catholicus Sacerdos reperiretur.

*Bohemorum  
tumultus.*

Archiepisco-

Archiepiscopus nihilominus Ecclesias reconcilians, & Pilsnæ Catholicum Sacerdotem restituens, monialium monasterium Cortisoviense instauravit, alibi vix hiscere audens.

*Iagerdor-  
fi crude-  
litates.* E contrario Iagerndorfus ex Silesia in Moraviam devenerat, & singula loca ecclesiis, campanis, & Parochis destituerat, singulari contra Sacerdotes odio flagrans, quod ob Presbyterum Ditzshaviensem, à quo se proditum dicebat, conceperat; cum in milites Caroli Spinelli incidisset, à quibus insignem cladem passus, fere non interiit, ultus postea est fortunam suam in Ditzshavienses, & VVeiskirkianos, quos partim incendio, partim exacta deprædatione multavit, cumque sex mille auxiliares Vngaros prope Schalitzium transeuntes obtinuisset, nihil fere in Moravia intactum reliquit.

*Palati-  
niani mi-  
lites inso-  
lescunt.* Tam sælici progressu suarum copiarum in Bohemia, Moravia, & Vngaria, Palatini ad Rhenum insolentes, spretis induciis sese moverunt, & in Episcopatum Spirenses quindecim turmas equitum immiserunt, quæ Vorstium, Rupersbergum, pluresque pagos, sub specie denegati hospitii spoliarunt, & Hispanorum exercitum, in præsiis suis quiescentem irritarunt, qui statim arcem Steinam in loco paludoso, ac

*Steina à  
Burgun-  
dicis occu-  
patur.*

vepribus consito, inter WORMATIAM, & GERNSHEMIUM occupavit; quam cum Palatiniani recipere voluissent, ad cingulum usque in aquis consistentes, nihil efficere potuerunt; & inglorii retrocedere coacti, de possessione quoque Stratæ Montanæ, quæ melior pars erat totius Palatinatus, desperarunt. sed rursus alibi de vindicta cogitantes singulari studio exercitum Hispanicum observarunt; quod non parum displicuit Legato Regis Angliæ, cujus intuitu jam secundo induciæ in Palatinatu concessæ fuerant; quique in termino eorundem de pacis ratione componenda, Viennam ad Cæsarem miserat. eandem ob causam Angliæ Rex paulo ante per equitem Sanklorium, Daniæ Regem rogaverat, ne conscriptione novæ militiæ, pacis actionem corrumpere. quare etiam Rex Daniæ non nihil Regi Angliæ offensus, quamvis per suos Legatos Viennæ

*Anglia  
Rex de  
pace solli-  
citus.*

Viennæ parum, aut nihil, quod ad solatium Palatini faceret, obtinisset: tamen militem conscriptum dimisit; quem ubi non ita post Brunsvicensis Dux Christianus Halberstadiensis Episcopus intrusus sibi appropriavit; multi de sinceritate Regis Daniæ Palatino suadentis, ut, cum de Regis Angliæ, ac Galliæ subsidiis incertus esset, ac Hollandorum vires non sufficerent, Palatinatum recuperare studeret, non parum dubitarunt, & alii illum omnino condemnarunt, tantum nomen mutatum in militia considerantes. Illa etenim eadem, quæ sub Rege Daniæ metum incusserant, sub Christiano Brunsvicensi augebantur, & modo Herbipolensibus, modo Bambergensibus, modo Burgundicis copiis, nisi Palatinus restitueretur, minitabantur.

*Suspectus  
Rex Daniæ.*

Has, aliasque Mansfeldii minas ut Bavariæ Dux secure contemneret; novum exercitum conscripsit, qui illum securum redderet, & hostem in limine Bohemiæ, ac Palatinatus superioris hærentem, suæque Bavariæ inhiantem contineret; Tilliumque in Bohemia contra Mansfeldium decertantem liberaret. cum illo enim exercitu, lustrato milite apud Straubingam in superiorem Palatinatum ascendit, & mox Walterbachium, & Reichenbachium, (quæ duo fuerant Ordinis D. Benedicti monasteria) duxit, ut ponte fluvium Regem transfretaret. inde postea Chamum, quod proximum Bohemiæ est oppidum, progressus est, atque ex itinere Ordinibus, nec non rectoribus superioris Palatinatus significavit, quanto periculo, & damno Mansfeldius in finibus Bohemiæ hæreret; & quomodo non hæreret, nisi à Palatinatu superiori foveretur milite, annona, consiliis, & refugio, quod illi præter jus omne præberetur; tum quia Cæsaris hostis, tum quia vicinorum deprædator. quare ab Ordinibus petit, ut à fide, & obsequio Mansfeldii discederent, sufficientemque cautionem præstarent de illo non admitendo, & de Cæsare (cujus suprema in illas provincias auctoritas erat) debite recipiendo; in quo cum Bavarus vidisset Ordines tergiversari, promotus ulterius exercitu, illos ad fidem Cæsari præstandum adegit. Chamum deinde obsedit; illudque post exiguum dierum

*Novus  
Bavariæ  
Ducis exercitus.*

*Bavariæ  
Dux petit  
Palatinatum ad  
securitatem.*

H

obsi-

*Chamum  
deditur.*

obsidionem deditioe accepit. Intercessit autem post Chamum obsidionem aliquis inter Bavarum & Mansfeldium de deditioe copiarum, & patriæ, conventus, parario Carpenonio, qui inducias inter utrumque exercitum ingressus, cui successit illud de pace commercium; per Chalonium Viennæ, cum demississimis literis ad Cæsarem, & Legatum Hispaniæ à Mansfeldio exaratis plenius tractatum. verum cum hæc Bavarus confirmasset, & de receptu Mansfeldii convenisset, miratus est, quando se deceptum fuisse intellexit. quare furtive discedente, & à pactis, & à patria, Mansfeldio, cæterum Palatinatus superioris occupavit. Ægerrime has Palatinatus superioris, & Chamum occupationes tulit Regis Angliæ Legatus, qui Viennæ commorans, nunc ad Bavarum, nunc ad Infantem Isabellam Belgii Rectricem, & dominam, mittebatur, ut novas inducias, & pacem (si ita illis videretur ibidem) componeret. ab his enim induciis, & pace quamvis Imperator non esset alienus; tamen ab istis Principibus, quorum exercitibus, tam in Palatinatu inferiori, quam in superiori, necnon in Bohemia fulciebatur, maxime debebat: quare non immerito de illorum consilio pacisci volebat. verum longe aliter hæc à Legato Angliæ interpretata fuere, qui Palatinatus superioris invasionem avaritiæ Bavari, ejusque cupiditati evertendi concepit. Cui Bavarus luce clarius demonstravit primum ab Imperatore mandatum emanasse de occupando Palatinatu superiori (saltem ad securitatem ne obesset) deinde consilium de pace fuisse ininitum, atque ad ipsum fuisse rescriptum; ut si res foret integra, de pacis conditionibus ageret; quas à se nullo modo fuisse rejectas, testatus est. nam paulo ante pacis condiciones Mansfeldio præscripserat, neque unquam superiorem Palatinatum, nisi ad majorem securitatem (ne Cæsar, ejusque socii læderentur) occupaverat. quare satis evidenter se innoxium esse docuit.

*Induciarum promissio exensatur.*

Simile quid de induciis Palatinatus rursus à Cæsaris Aula promissis controversum fuit; nam de his apparuit Cæsarem, Marchionem Spinolam consuluisse: immo ejus mentis fuisse, ut illæ denuo constituerentur, quod ipse

ipse Digbius petierat. verum cum interim Mansfeldius verbis suis non stetit, immo quotidie cum Cæsareo, & Bavarico exercitu decertaret; cum etiam, qui in Palatinatu inferiori erant, pro Palatino præsidarii prius induciarum leges corrupissent; jamque Mansfeldius castigatis aliquot juxta Norimbergam oppidis, inferioribus Palatinianis conaretur sese conjungere; induciarum spes per Bavarum, & per Consalvum Cordubam Mansfeldium insequentes sublata fuit: neque mutatis jam rebus, illa amplius suadenda videbatur. quare Corduba exacto jam induciarum tempore, cum ulterius prorogandæ non viderentur; Francodaliū obsedit; illamque urbem fortiter oppugnavit. sed Mansfeldius cum integro exercitu occurrit, ut Hispanos inde, atque ex universo Palatinatu submoveret. illius vero vestigia pressit Tillius, ut Episcopos Herbipolensem, & Bambergensem protegeret; sicque inter ferventissima armorum exercitia, pacis, ac induciarum mentio penitus expiravit; & quilibet sese ad defensionem præparavit, non sine ingenti molestia Electoris Moguntini, atque Herbipolensium, qui fere universum impetum Mansfeldii sustinuerunt. Hinc postea etiam Bavarus immerito multorum indignationem incurrit, à quibus in suspicionem vocatus est, quasi ex composito Mansfeldium in inferiorem Palatinatum submisisset, ut Hispanorum progressum impediret, & ipse cum suis accedens, partem Palatinatus inferioris invaderet. quod multis difficile fuit aliter persuadere. Apud Moguntinum tamen, & apud socios fœderis Bavarus sufficienter, & cum veritate se excusavit, fassusque est, à Mansfeldio se circumventum, deceptum, & mirabili celeritate fugientis exercitus præoccupatum fuisse; atque ideo Tillium submisisse, ut damna præcaveret, & Mansfeldium detineret. Accusabatur interim Burgundorum tarditas, & nimia benevolentia, quod pactis secundo induciis Palatinatui indulgissent quietem; cum tamen potuissent, omiſſis induciis, citius illum occupare. Hæc tamen multis non sufficiebant, qui sentiebant, Tillium Heidelbergam venisse, ne Burgundus illam occuparet, quod ex successu petitionis, & occupationis

*Obsessio  
Franco-  
dalenſis.*

*Dux Ba-  
varia su-  
spectus.*

pationis illius urbis postea magis innotuit. Mansfeldium, non procul ab Heidelberga, cum Francodaliū peteret, Bavari deseruerunt, & de locis Palatinatus solliciti, eadem impune; nemineque resistente, occuparunt, Heidelbergam excepta, quam cives pertinaciores ad extremum usque se defensuros ostenderunt.

*Iagerndorfi expeditiones.*

Liberata jam à Mansfeldio Bohemia, aliquantulum quietior Silesia & Vngaria fuit; Iagerndorfius enim ex raptō jam tum vivere solitus, spoliatis undique vicis, atque hominibus, vix amplius alendo exercitui sufficiens, in Bohemiam veniens semel, atque iterum repulsam passus fuit. In Silesia etiam castigato eodem Iagerndorfio, cum Ordines Comitum indixissent, & Saxoniam Duci iuramentum Cæsareo nomine (frustra illud Iagerndorfio dissuadente) dixissent; seditiosi milites in Moraviam conversi sunt, ubi cum Vngaris coniuncti, Leiquickium, Helfonsteinium, & pauca oppida invaserunt; per quæ postmodum Vngaris aditum in Moraviam præbuerunt, sed multo minori fortuna, quam alias; cum nullus sese opponeret. Pariter in Vngaria res feliciores evaserunt. Bethlemus etenim, spe sua deceptus à Turcis, per Polonos præpeditis, auxilia petita, & addicta obtinere non potuit; totumque Cæsaris exercitum in Moravia, & Vngaria excubantem diutius non sustinuit. Quare rursus ad pacis mentionem injectam accessit. Maxime quia Budeanus tertio à Cæsarianis circumventus, dum multos suos amisisset, satis constanter in conciliationem propendebat. nolebat Bethlemus solus relinquere ad ictus Cæsarianorum illo tempore excipiendos, quo Turcæ tam infeliciter cum Polonis, & Cosaccis pugnaverant, amissis uno mense plusquam quinquaginta millibus cum tribus præcipuis Rectoribus, ac Præfectis, & Constantinopolis tanta fame, ac peste laboraret, quanta unquam ab hominum memoria laborasse constabat.

*Bethlemus pacem ambit.*

Pacis dies, & locus dictus fuit Nicolaisburgi, quo semel atque iterum destinati Cæsarei convenerunt; sed semper utraque parte dubitante: nam Bethlemiani in Moraviam excurrere non omittebant. ibidem enim aliquot turmas equitum Caroli Donavii oppresserant, &

& arcem Stembergicam incenderant, & paulo post rursus à Cæsarianis pulsi insolentiæ suæ pœnas dederant. Quare decedente etiam è vita Comite Nicolao Turfone, pax comperendinata fuit. verum non parum inde Iagerdorfius, cognoscens, quam facile possent illa coalescere; animum, & vires remisit, ac de cætero modestiorem se præbuit. Quod non parum in Bohemia doluere Thaboritæ tunc temporis à Comite Balthasare de Marradas obsessi, qui post recessum Mansfeldii in solum Iagerndorfium spem suam collocarant, & defenderant se tantis animis, ac militari prudentia propugnarant; ut si plures tales expeditiones Bohemia debuisset tolerare; non exiguum metum rebus Cæsareis injecissent. Detentus enim ibi fuit exercitus multorum millium aliquot menses, quibus præclare virtutis viri occubuerunt, aliique egregie exerciti: multoque diutius elaborassent, si promissa hostibus auxilia ab aliquo repræsentata fuissent, aut annona paulatim deficiens illos non deseruisset. Deditionem postea plurimum promovit, obitus Romanesci in urbe Gubernatoris. sed tamen serius Thaboritæ sese tradiderunt, ut postea referemus.

*Thaboritarum obstinatio.*

Iam Mansfeldius in Palatinatum descenderat, & strato ponte Rhenum transmiserat ad Manheimium, ut Francodaliū à Corduba obsessum liberaret: sed prius Steinium aliaque loca Montanæ strata, paulo ante ab Hispanis occupata, irrito conatu tentaverat; ita ut bellum ex Bohemia in Palatinatum translatum fuisse videretur; nam eo etiam Tillius suas copias ex Palatinatu superiori duxerat, & ex itinere aliqua loca ad Nicrum occupaverat, Heidelbergamque ambiebat; & præter Mansfeldii copias, quibus Corduba cedere cogebatur; non solum Regis Angliæ, seu Palatini sub Veerio ibidem præsidia agebant, & viarum periti continuas excursiones habebant: sed novus exercitus Christiani Duci Brunsvicensis major quam vires illius poterant sustinere, ex inferiori Saxonia expectabatur. quod non exiguam sollicitudinem Archiepiscopo Moguntino, cæterisque Rheni accolis injiciebat; cum, & huic exercitui Regem Daniæ, Ducem Brunsvicensem,

*Bellum in Palatinatum transferatur.*

*Christianus Dux Brunsvicensis preparat exercitum.*

Pseudoarchiepiscopum Magdeburgensem, aliosque inferioris districtus Saxonici Principes nomen dedisse putarentur. neque jam de Mauritio Hassiæ Regulo licebat valde dubitare, qui rogatus à vicinis, ac sociis, ut transitu præfatas copias Brunsvicensis prohiberet, sociæque arma conjungeret; potius è contrario aditum aperuit, illasque in fines Moguntiacos, sui que patruelis Ludovici immisit. Cesserat itaque, veniente Mansfeldio, Corduba, qui cum Altzeam, Crucenacum, & Cæsareolutream se recepisset, rursus Mansfeldius Rhenum transmisit, & loca omnia trans Rhenum Episcopatus Spirensis depopulatus est. quod non difficulter exercitus Bavaricus, & Burgundicus præpedivisset; nisi etiam inter ipsos Duces diffidia de limitibus executionis incidissent. quæ ut evitaret Corduba, cis Rhenum se continuit, & Tillius trans Rhenum non satis copioso milite instructus, ut Palatinianos, & Mansfeldianos in solo alieno aggredere; munitioibus, quas erexerat, se defendit, totamque prædam insolentibus Palatini, ac Mansfeldii militibus reliquit.

Cum autem bella fere in Bohemía decessissent, & Silesii suum Iagerndorfium condemnassent, jamque nova pacis facies in illo regno appareret, legibus agi cepit, proscriptorumque bona passim vendita, vel in stipendium tribunis militum, ducibus, ac præfectis assignata sunt, maxima quidem in initio confusione; nam levi æstimatione plerumque & levissima pecunia fere cuprea vel exiguo nummo projecta fuere bona licet amplissima, quia deserta nullius frugis æstimabantur eo tempore; cum vix reperirentur coloni, & quia adhuc milites exactionibus illa destruebant, & pecudibus, equis, aliisque armentis destituta, parum, vel nihil valerent; & denique quia adhuc erant omnia incerta, an forte verus Dominus reconciliaretur, an alius hæres in officio Cæsaris permanens præponeretur, an fortuna ipsæ potius Cæsari, aut alteri addicerentur. sed hæc omnia postea correxit pedetentim Aula Cæsarea Viennensis, ubi de Ecclesiasticis ego sollicitus, suggesti, ne Parochiarum collaturæ, prout hactenus moris fuerat; simul cum temporalibus bonis venderentur in præju-

præjudicium Archiepiscopi, Abbatum, ac Collegiorum. difficulter tandem impetravi, ne saltem oppignorarentur non Catholicis. quod postmodum solemniter decreto stabilitum fuit, imperatumque Proregi Bohemiæ, ut cujuslibet loci Parochias Cæsari reservaret, aut Catholicis tantum concederet. Emanavit deinde aliud decretum, ut nulla bona venderentur, nisi constaret emptorem solam Catholicam Religionem profiteri. *cc*

Urgebam tunc vel maxime, ut tandem liberaretur regnum à concionatoribus hæreticis, qui per totum regnum incantatos seducebant, & plebem concitabant, præpediebantque ne Catholica Religio expectatos fructus faceret. sed hæc adhuc immatura videbantur, nondum superato Thaborio, & Wittingavia, necdum quiescente Iagerndorfio, ac Silesiis, necdum etiam compositis Vngaris, de quorum pace tunc agebatur, quæque potuisset simili Religionis præpostero zelo turbari; si obstinatores Vngari, vel tales condiciones ingessissent, vel exemplo Bohemorum commoti, sectarios suos una cum Bohemicis, excitato Pragæ tumultu populari non valde difficili rigidius propugnassent; quamobrem aliquantulum nobis super sedendum fuit.

Praga interim, (recuperata civitate Thaboriensi) novo milite præsidario, me peculiariter instante, munita fuit ex legionibus, quæ in hyberna deducebantur; & Iagerndorfius (dum Vngari de pace agerent, Silesique serio reconciliati, Saxoniam Electori contra mentem, & monitionem ejusdem Iagerndorfii sacramentum dedissent) contractis copiis suis Glatzium, & Troppaviam secessit. Vngari etiam, adulto Decembri pacis conditionibus cum subscripsissent Nicolasburgi, sicque Moravia, & Austria inferior securius, dispertito milite, poterant quiescere, rursus institi, ut seditiosi illi blaterones ex Bohemia proscriberentur; quare tandem Viennæ mandatum Cæsareum impetravi idibus Decembris, quo Praga, & ex universo regno Bohemiæ rursus perpetuo, & serio proscriberentur ministri falsi Evangelii Calvinistæ, Picarditæ, & cujuscunque sectæ inquieti, ac seditiosi declamatores; ita ut ex sola Pragensi civitate quadraginta alii moniti, sed rursum

Pragæ delitescens, summo civium dolore, ac lacrymis dimissi fuerint, & Thaboritæ statim post occupationem oppidi, Catholicæ Religionis nomen dederunt, & sic qui ultimi ad obsequium Cæsaris accesserant, primi sinceræ fidei rudimentis initiati magna constantia cæteras omnes totius Bohemiæ civitates anteierunt. Præter mentem tamen Cæsaris, duo adhuc Pragæ detenti sunt Germani hæretici Prædicantes, de quibus, cum cæteris modestiores fuissent, rursus quaestio ex composito à ministris injecta, ut plebs placaretur, exorta fuit, an communi decreto deberent etiam isti duo comprehendi. quod cum pertinaciter assererem, multique pertinacius negarent; adinventisque rationibus Politicis, non expedire assererent præsentibus tumultibus, ut uno ictu omnes ejicerentur, ne Saxoniæ Elector, aliique satis fideles à Cæsaris fide desciscerent, & Palatino adherentes bellum contrariis armis Cæsari inferrent, visum est duos illos ulterius esse tolerandos; curavi tamen præfigi terminum, & suppressi tolerationis decretum, quo semper anxii, & incerti modestiam saltem simularent, & tempore debito recederent. In Pascha igitur proximum anni 1622, eorum ejectio dilata est. verum & tunc non exigua difficultas exorta est ratione imminentium Comitiorum Vngariæ, in quibus Vngari majori ex parte adhuc hæretici forte offensi, ob communem Religionis causam recalcitrassent. quare & tunc supersederi necesse fuit. monui tamen meum Vicarium Pragæ, ut frequenter aliquot mitteret, qui concionibus hæreticorum prædicantium interessent, & aculeata dicta contra fidem, aut disciplinam politicam annotarent.

*Pax Vngariæ.*

Pax interim in Vngaria successerat, sed maxime ad favorem Bethlemi, qui à titulo quidem Regis coactus fuit abstinere, coronam regni restituere, regno excedere, limitaneas arces, & munitiones ad manus Cæsarianorum deponere. sed vicissim Cæsar, condonatis injuriis Vngaris, ac Transylvanis, titulum Principis Imperii, septem Comitatus in Vngaria cum urbe Cassoviensi ad dies vitæ concessit, & insuper duos Ducatus in Silesia, Opolensem, & Ratiboensem, nec non dominia

minia Monchalium, Tokaium, Zagmariam, & Eschetum, quorum præsidia à Cæsare solvenda, Cæsari tamen tenebantur prius sacramentum dicere. De Religione cum Bethlema, & Vngaris (quia aliter fieri non poterat) statutum est, ut in eodem statu maneret, quo fuerat, quando Cæsar felicibus auspiciis inauguratus est. insuper Iesuitæ recipi deberent, si bona soli non possiderent; & bona oppignorata possessoribus, usque ad proxima Comitia relinquerentur, sed tunc redimerentur; alia vero donata pristinis dominis adjudicarentur.

Hac transactione inita, consternati fuere quam maxime Cæsaris hostes; proximi etenim, qui in Silesia erant, sub Iagerndorfii signis, post aliquot disceptationes, velitationesque cum Ordinibus Silesiæ, & Saxonici Electoris commissariis convenerunt, & dedito Troppavio, Oderam oppugnarunt, atque expugnarunt. Quo tempore Teschinenses præsidarii simili modo sese dederunt, ita ut quadraginta signa Iagerndorfensis exercitus, paucorum dierum spatio, dissipata sint, totaque illa provincia, præter unicam Glatensem munitionem in Cæsaris potestatem devenerit; moxque relicta parte exercitus, alia in Imperium destinata fuerit. nam in Imperio, ut supra tetigimus, ad Rhenum provinciæ infestabantur à Mansfeldio, & à milite liberioris disciplinæ, qui omnes ad ipsum confugerant, ab his Landavium, Weissenberga, & tota fere Alsatia magnum damnum patiebatur. sola Haganoia multis millibus deprædationem redimens, postea tamen spoliata, validissimoque præsidio onerata fuit. Tabernis insuper Alfatiorum, ubi est sedes Episcopi, frequentissimo comparato milite obsessis, crebroque tormento quassatis, retrocedere cum suorum jactura coactus est. quam ut ulcisceretur (postquam ipsius milites à Leopoldicis insignem cladem tolerassent) ipse jam ex milite prædator factus, desultoriis passibus universam provinciam ita afflixit, ut tredecim milliariorum spatio nullum integrum pagum reliquerit, quem non incendio, aut extrema exactione ad egestatem redegerit.

Incredibile est, & inexplicabile, quot tunc Ecclesiæ

H 5

perie-

*Silesiæ  
cum Iagerndorf-  
sensibus  
conven-  
niunt.*

*Mansfeldius ad  
Rhenum.*

*Sacrile-  
gia Mans-  
feldii.*

*Causa  
ranta cla-  
dis.*

*Matri-  
monium  
Caesaris.*

*Turba ex-  
agitatur.*

perierint, quot Ecclesiastici occisi sint, & quot sacrilegia perpetrata fuerint, tam ab hæreticis militibus, quam à Catholicis ipsis passim in Diocesi Argentinensi, Spirensi, Wormatiensi, ac Moguntinensi, impune grassantibus, & Sacramenta conculcantibus. Sacra vasa fervierunt ad ludibrium, Oleum sanctum cum Chrifti matris liquore ad ocrearum mollitiem; Sacrae Hostiæ ad vilipendium; Sacerdotes ad opprobrium, Altaria ad contemptum, redditus sacri ad helluandum; & quidquid sacri erat, ad perpetrandum læsæ Majestatis divinæ piaculum, contemptum fuit. Tantæ libertatis licentiam, & cladem in solam Bavarorum, & Burgundorum diffidentiam, atque diffidium nonnulli retulerunt; „ si enim hi duo exercitus voluissent convenire; non im-  
„ pune Mansfeldius ita grassatus fuisset. nam miles non  
„ deerat, & otiosus quidem, qui tantæ insolentiæ oppo-  
„ neretur. Præsidarias copias præter hos duos exercitus  
conscripserat Moguntinus Elector; alias Landgravius  
Darmstadiensis; indies etiam aliqui submittebantur ex  
„ Austria: Spirensis suum Vdenheimium, uti fortissimum  
„ Religionis propugnaculum, fortiter tuebatur: nihil-  
que deerat, sola concordia excepta, quæ tamen adhuc  
assimulata fuit, tanto majori, quanto occultiori periculo,  
cui nec industria, nec prudentia, aut vigilantia humana poterat mederi.

Matrimonium interea inter Cæsarem, & Leonoram Principem Mantuanam Oeniponti celebratum est, totaque nostra Aula Oenipontum fuit profecta, sponsalia cohonestatura. In Belgio tamen sepositis ludicris, ferio de Iuliaco etiam inter hyemis frigora agebatur, illudque obsessi quarto mense pactis milite dignis conditionibus tradiderunt, magnamque ansam ad proseguendas victorias, tradita fere universa Iuliacensi regione, præbuerunt; quam tamen Ordines Hollandiæ, Rex Angliæ, & plerique Principes Imperii magno conatu studuerunt præpedire. Iam enim tunc quam plures Cæsaris fortunæ inceperunt invidere; deque illa dubitabant inimici, ac amici. Quidam Principes etiam „ Catholici una cum Anglo, & Dano de restituendo Palatino deliberarunt; aliqua etiam disceptatio, & diver-  
veritas

versitas opinionum circa initium anni 1622 sese obtulit inter Hispanos, & Cæsareos Consiliarios, ratione Electoratus Palatiniani, quem Cæsar, ut verbis suis staret, hoc anno in Maximilianum Bavarum transferre decreverat, quod Consilium, cum à Comite de Ognat in eo Conventu non exequendum, sed alio commo-  
diori tempore differendum æstimaretur, apud ipsum Regem illud probari posse, multi alii judicarunt. hinc de mandato S. M. Gregorii XV hoc negocium in me-  
derivatum suscepi, & cum Cæsarea Majestate arctiori consilio conjunctus judicavi expedire, ut aliquis in Hispaniam demandaretur, qui idem potentissimo Regi probaret. ad quem finem in Hispaniam delectus fuit Pater Hyacinthus Casalensis strictioris Cappucino-  
rum observantiæ Religiosus, cui Cæsareæ litteræ missæ fuerunt, quibus talem translationem non incongruam fore Cæsar ipse significabat. ipsemet, quo negotium  
faciliorem haberet exitum, totius mentis Cæsareæ decursum, in Belgium ad Nuntium Apostolicum Archiepiscopum Patras, nunc Eminentissimum, & dignissimum Card. de Bagni descripsi, rogavique ut Hispanos ad consentiendum disponeret. difficultates exortas penitus scripseram, & singulares hominum affectus sobrie tetigeram, ut morem gererem Sanctissimo, & Augustissimo, quibus eadem in hac translatione mens erat. verum nescio quo casu litteræ nostræ cum litteris  
Augustissimi Cæsaris in manus hostium, plateas *Littera interceptæ.*  
omnes scrutantium, & Veredarios spoliantium, incid-  
erunt, qui quod suspicabantur certo cognoscentes, illud præpedire studuerunt. Palatinus ipse interceptas litteras sociis Regibus, & amicis communicavit, immo typis mandavit inter alias scripturas Cancellariæ,  
quam vocavit Hispanicam, ut stupenda, & longe spectantia consilia discuterentur, & majori conatu impedirentur.

Acerrimus in illorum commotione fuit Christianus *Brunsvicensis exercitum movet.*  
Dux Brunsvicensis Halberstadiensi Episcopatu in-  
trusus, qui aliis de causis pariter Cæsari offensus, cum non potuisset sui Episcopatus, præposterorumque  
decretorum contra Catholicos Ecclesiæ Halberstadiensis

diensis Canonicos editorum, confirmationem nancisci; causam Palatini simul, & vindictam suam suscepit; conscriptisque copiis, postquam consilia sua Principi Mauritio de Nassau, nec non Ordinibus Hollandiæ communicasset, ex inferiori Saxonia in ditionem Moguntinensis Archiepiscopi, deinde in Landgravii Hassiæ, ac tandem in Westphaliam devenit; ibique Lipsadium, ac Sufatum interceptit. postea suas copias in Episcopatum Paterbornensem, concessa libertate rapiendi, ac grassandi, promovit; & mox interceptis quam plurimis oppidis Paterbornensem civitatem proditione nonnullorum civium ingressus, Iudæos prædæ exposuit, Ecclesiasticos pecunia multavit, Cathedralis Ecclesiæ thesaurum invasit, & sacra Lipsana Sancti Liborii optimo argento, & auro inclusa profanavit, aureamque thecam sacrilege furatus, in stipendia militum insolentissimorum post cusam monetam effudit, quod sacrilegium non occulte Deus in Principe tam iniquo ulcisci voluit. nam, ut notarunt nonnulli, post tam probrosum, scelestumque facinus, nunquam postea victoriam aliquam reportavit; ut in sequentibus referemus. immo ne quis de vindicta dubitaret, cum præfatus Christianus ex thesauris illius Ecclesiæ, aliisque sacrilegiis constatis pecuniam cudisset, atque in ea brachium cum denudato ense expressisset, quasi contra sacerdotes specialiter evaginatum, (quod superba moneta inscriptio significavit, nimirum flagellum Clericorum) voluit Deus, ut in vindictam tantæ superbiæ, sceleratæque præsumptionis, non ita post brachio, & gladio destitueretur; ut postea referemus. cuius vindictæ præsentia etiam sensit in ipsa Dicecesi Paderbornensi, ac Monasteriensi, ubi quamvis occupata magna parte Westphaliæ, totaque ditione Episcopatus Paderbornensis; videretur locorum illorum perpetuus Imperator; tamen exiguis copiis Electoris Colonienfis repulsus fuit, & mox egere cœpit, tam auxilio, quam comœtu, pecunia, & bellico apparatu. ob quem non ita procul à Moguntina ad Hœcstam misere cæsus, dissipato exercitu, vix ipse solus effugit.

Rex Angliæ translationem Electoratus, non tam armis,

*Superbia  
Brunsvi-  
censis ca-  
stigata.*

*Regis  
Angliæ  
oppositio.*

mis, quam dexterrimis commerciis impedire conabatur. quare apud Regem Hispaniæ de Cæsaris instantia aliquoties conquestus, rursus prospectam sibi esse Cæsaris voluntatem circa translationem Electoratus in Baviaræ Ducem, jam olim promissam, proferebat; rogabatque ut sicut hactenus ipsius Regis ministri hanc non promovissent; ita deinceps Rex ipse suam auctoritatem interponeret, quo tandem pax integra constitueretur, non solum in Germania, sed in universa Europa. Quod ut facilius impetraret, spem speciosam Matrimonii unici sui filii cum sorore Regis Hispaniæ injecit; ita ut quidam ejusdem Regis Consularii, prout fama evulgabatur, recuperationi Belgicarum Provinciarum inhiantes, non leviter ad pacem ineundam, & ad Palatinatum cum Electoratu restituendum afficerentur, majorique conatu satagerent, Electoratus translationem Cæsari sub specie majoris boni dissuadere; aut saltem ob instantem bellorum calamitatem, tali translatione augendam cum universali totius Germaniæ commotione, rem differri, donec mutata facie Imperii, periculum, ne omnes Palatino accederent, abesset. nec deerant maligni nimium in futurum speculantes, qui hoc consilium adscriberent non tam speciali commodo, quam metui, ne domus Bavarica semel ad Electoralem dignitatem promotam succedentibus annis Imperialem dignitatem facili negotio assequeretur.

Præter hos Principes, translationi Electoratus adversos, non leviter se opponebat Dux, & Elector Saxoniarum. alio tamen fine, ut ferebatur, motus, & quidem duplici, uno Religionis, altero familiæ Palatinianæ commiseratione; nam Lutherana secta, hactenus paritate ferevotorum in Collegio Electorali elata, atque ideo in omnibus Comitibus sui erroris tenacissima, per hanc translationem non parum damni patiebatur, cum in Catholicum Electorale votum decideret. quod non facile à civitatibus Imperialibus, cæterisque Principibus Germaniæ plerumque hæresi infectis tolerandum judicabatur, tanto suarum fortunarum, nec non sectæ hactenus pet æqualitatem votorum satis conservatæ periculo; ad cujus repulsam omnes Lutherani, Calvinistæ,

*Electoris  
Saxoniarum  
considerata.*

*Familia  
Palati-  
niana  
consuli  
voluit.*

nistæ, Hussitæ, & quotquot sunt sectarii Ecclesiæ Romanæ hostes, videbantur conspiraturi. Quia tamen hæc non expresse dicebantur, neque consultum erat bellum Religionis indicere, hinc Saxoniam Elector remurfit pro familia Palatiniana per similem translationem dignitatis pessundanda, non sine desperatione filiorum, & injuria consanguineorum non tolerantium simile opprobrium ac notam tam splendidæ familiæ, quare nullo modo defraudandam Electoratu sentiebat ob delictum unius parentis, vel potius ob consiliariorum Fredericum seducentium culpam. Satius itaque illi videbatur, si castigato Friderico Palatino, saltem in filium Electoralis dignitas devolveretur, quo medio satisfactum iri Regi Angliæ, & majores etiam difficultates Protestantium evitari posse arbitrabatur. Cum Electore Saxoniam non pauci Principes Protestantes à Rege Angliæ, Daniæ, & ab aliis persuasi, quos non minus Palatiniana familia, quam sectarum conditio premebat, idem sentiebant. His tamen omnibus rationibus, præter zelum Religionis Cæsaris promissio Bavariæ Duci alias facta opponebatur, quam ut Cæsar integram servaret, missus est Archidux Carolus ad Electorem Saxoniam illius amicissimum, ut illi persuaderet tunc expedire, ut Cæsar Bavaro tot subsidiis impensis addictus, & verbo oppignorato obstrictus fidem datam præstaret. Verum ab Electore vix impetrari potuit, ut solum in Bavariæ Ducem Maximilianum Electoralis dignitas transferretur, (ut Cæsar promissionem impleret) non vero in illius hæredes transfret, sed ad Frederici Palatini filios devolveretur: cui consilio cum Cæsar voluisset ad tempus morem gerere, de solis Austriaco nomini devotis scrupulo eximendo difficultas erat. Itaque in eo acriter laboravimus tam Bruxellæ, quam Matrili apud Regem, Regiosque ministros Comitum de Olivares, ac Balthasarem de Zuniga; & cum nostra consilia publicata fuissent sub titulo Cancellariæ Hispanicæ; Cæsar mirum in modum anxie vereretur, ne universalis commotio in Germania oriretur. Quare non parum metuebat Sedes Apostolica, ne translatio Electoratus vel omnino omitteretur, vel saltem

*Cæsaris  
ratio con-  
stantissi-  
ma.*

*Austriacorum  
scrupulus.*

faltem in plures annos differretur, ac tandem evanesce-  
 ret occasio tam insignis rem Catholicam augendi,  
 quibus curis dum undique angustiaremur, & non evi-  
 denter res tota ab eventu penderet, Palatinus, ut ex-  
 tremum tentaret post excitatos Protestantes Princi-  
 pes, ipsemet ex Hollandia, facto itinere per Galliam,  
 & Lotharingiam, in Palatinatum advenit, rem pro-  
 priam sua curaturus presentia; qua visæ fuerunt res  
 omnes abolitæ, & consilia immutata. & quia Cæsar  
 Comitem Suartzemburg paulo ante in Angliam mi-  
 serat, ut de depositione armorum, & de modo aliquo  
 rem honeste componendi tractaretur; quod pro sua  
 humanitate Infanti Isabellæ commiserat, sibi solam  
 finalem sententiam reservans, per Palatini in Germa-  
 niam adventum; etiam commercium illud evanuit, &  
 nihil certi ibidem statui potuit, cum forte si aliquid  
 statutum fuisset, Mansfeldius vel alius pro Palatino  
 bellum gerens non obedivisset. Cæsar interim divul-  
 gata jam ejus mente de transferendo Electoratu in  
 Bavariæ Ducem, eidem sententiæ constanter insistere  
 debuit, ne levis videretur, & inconstans, ac non sine  
 imminutione Cæsareæ Majestatis irrideretur. quare  
 ex eo quod detecta res foret, quæ maxime nos cru-  
 ciabat, natam vidimus constantem Cæsaris mentem,  
 quam amici omnes probarunt, & soli inimici oppugna-  
 re studuerunt. Mansfeldius enim qui rursus cum Infan-  
 te Belgii administratrice, ac Domina, pacisci cupiverat,  
 immo jam per D. Rollingerum, habitis conditioni-  
 bus proficuis, pactus erat; ad presentiam Palatini  
 pactis recessit. Marchio Durlacensis insignem exerci-  
 tum quindecim millium pugnantium habuit instru-  
 ctum, & in apertum campum adduxit. Christianus  
 Halberstadiensis cum suo exercitu ex Westphalia, &  
 Paderbornensi agro ad Rheni vicina accessit, ut Pala-  
 tinatui consuleret, & incepta negotia turbaret; mul-  
 tumque jam numero, & commoditate loci supe-  
 riores omnia sibi Palatiniani pollicebantur. jam  
 Maideburgum Spirensium arcem receperant; Spiram  
 ipsam Mansfeldius cum Frederico Palatino intraverat;  
 Manheimiumque suum repetierat; & prope Wiselochū  
 impetu

impetu facto, quandam de Tillio victoriam reportaverat, quare Heidelbergam reversus magna solemnitate à civibus post tot exilia, & calamitates receptus fuit. inde Mansfeldius nomine Palatini recuperato Sintzheimio, Laudenburgum, aliaque loca obsedit, certa spe Fridericum tandem mutata fortuna, universo Palatinatu, ac mox Bohemiæ restituendum, maxime ubi exercitus Marchionis Durlaciensis, qui præsto erat, in consternatos priore clade Tillianos incidisset, & Bavaricos in medio duorum exercituum soletter oppressisset.

*Pugna ad  
Winpenam.*

Verum mox mutata fortuna, Bavaricis copiis una cum Hispanicis unitis, ad Winpenam celeberrimam victoriam concessit; in qua Durlaciensis, quamvis instructissimus apparatu, & numero militum, ac loci commoditate superior, cum octo legionibus, viginti octo equitum turmis, decem tormentis, & mille octingentis curribus disposita acie; cecidit in manus Tillianorum, & Burgundianorum, qui paulo ante castra sua conjunxerant.

Hanc vero insignem victoriam, tam impari apparatu obtentam, quisquis ea tempestate Cæsaris felicitati potius, quam Generalium virtuti tribuit. Cæsari enim astra ipsa, & Superi militarunt, prout ipse comperi, dum essem in Conventu Ratisbonensi pro translatione Electoratus, quod tunc ad paucorum devenit notitiam. Mihi enim retulit Ioan. Godefridus Episcopus Bambergæ, & Herbipolis, ob incomparabiles virtutes dignus æterna memoria, qui postea in eodem Conventu mortuus est; ex narratione sui cujusdam præfecti militum, quamvis è Lutheri gregalibus (alebat enim suis impensis idem Episcopus duas insignes legiones, unam peditum, & alteram equitum in exercitu Catholico) quod cum ambo exercitus una acriter concertarent, & Catholicus adeo succumberet, ut duabus bombardis amissis, propius periculo esset; forte prope prædictum præfectum miles quidam, legionis Hispanicæ Cordubæ discurrebat, hic (scui octodecim mensium facultatem loquendi magni cruciatu ademerant, quibus captivus ab hostibus attritus fuerat) ad eundem

eundem conversus, dixit mulierem candidis vestibus fulgentem se in aere videre, quæ nutu Catholicos ad bellum excitaret, & victoriam polliceretur. cum paulo ante ipse miles progressus esset, casu in bombardam (quam finiriglium vocant) ignito fomite sui sclopi ignem intulit. illico vi erumpentes pilæ, inimici exercitus undequaque curribus constipatam munitionem inflammavit, tanto imperu, tanto omnium terrore, ut dispersi milites vires colligere, ac prælium restaurare nequiverint. ex quo tanta confusio postea emanavit, ut desperatione adactus Marchio cum paucis sylvas fugiens salutem suam consuluerit, amissis impedimentis omnibus pretiosissimis, inter quæ ferebantur fuisse aliquot currus monetæ signatæ, quam milites pileis suis exceperunt, & graviori mensura diviserunt. Subdam id quod postea mihi subjunxit, Episcopus ad reprimendam perfidiam Lutheranorum, aliorumque hæreticorum impugnantium intercessionem Sanctorum. Cum enim suæ legionis præfectum hæc narrantem Episcopus interrogasset, an mulierem tunc temporis ipse vidisset, & quam illam fuisse putaret, respondit, se non vidisse: attamen pro certo credere, fuisse aliquem Angelum; cui subridens Episcopus subjunxit: num vidisset unquam angelum depictum sub forma mulieris? illam fuisse Deiparam, maximam Imperatoris patronam, cujus patrocinio præclarissimas de hostibus victorias reportarat, quam suam generalissimam vocare, depictamque in suis militaribus signis deferre consueverat. Ingens sane miraculum, cui haud dubiam tanti Præfulis autoritas fidem facit.

Hac victoria divulgata felicior fuit successus Comitiorum in Vngaria, quæ paulo post celebrata sunt; ubi de Religione opportune tamen tractari non potuit. plurimi enim Vngarorum proceres adhuc exacerbati, parum rem Religionis curarunt; de qua silentium esse volentes, regni difficultates explicarunt, pacem constituerunt, coronam stabiliverunt, commercium Turcarum moderati sunt; communi Ordinum deinde consensu de limitaneis locis præsidio Germanico firmandis, de legibus provinciarum, de Ordinum

I

fide

*Miraculum  
Mariæ  
Matris  
Dei.*

*Comitia  
Vngarica.*

fide erga Cæsarem declaranda, de instauratione arcium, de recuperando Wastzio, de purgatione fluminis prope Taurinum de constituendis præfectis, de administranda iustitia, & de recuperatione locorum Bethle-mo oppignoratorum actum fuit. Post electionem vero Palatini regni Vngariæ, quem pro illa vice Lutherani, adhuc votis prævalentes Stanislaum Tursum Lutheranum, sed mitioris ingenii hominem constituerunt, & præsidia Germanica admiserunt, Religionem penitus dissimulantes, Ordines ipsi Augustam Imperatricem coronare desiderantes; illud officii genus sponte sua Cæsari obtulerunt una cum debitis, ac solitis honorariis liberalissimis. maxime autem Cæsarem placare studuerunt, quando durantibus Comitiis de perturbato Turcarum statu, necatoque Ottomanorum Imperatore tragædia innotuit; nam tunc rebus suis illi consulentes; non parum sibi ab Imperatoria potentia metuebant, quare etiam ipsi diversas contra Religionem editas constitutiones, regis arbitrio moderandas, permiserunt, & sacratis personis ereptas fortunas restitui mandarunt.

Interim cum mihi à Sacra Congregatione de propaganda Fide fuisset significatum in regnis Slavonia, Croatia, Bosniæ, & Dalmatiæ, quæ sunt unita regno Vngariæ, multum præpediri verum ritum Catholicum, imo ipsam Catholicam Religionem, ex eo, quod in dictis regnis non essent Breviaria, nec Missalia juxta Catholicam reformationem; eaque nec Romæ, nec alibi imprimi posse; cum non reperirentur Illiricarum litterarum typi, eos obtinui gratiosissime à Cæsare dono dandos Sacræ Congregationi, quos Ferdinandus Primus posuerat Gretzii, ex qua civitate ad castrum fluminis in Dalmatia, inde per mare Adriaticum ad Anconam transmittendos curavi; qui integri Romam pervenerunt. Eodem tempore obtinui à Cæsare templum Parochiale S. Michaelis una cum ejus domo, & redditibus in civitate Viennensi prope palatium Archiducale pro Patribus Presbyteris Sancti Pauli, vocatis Barnabitis, qui insigne ibi fundarunt Collegium, ex quo sperari possunt ingentes fructus Religionis Catholicæ in illa

illa civitate, & Archiducatu. Durantibus adhuc Comitibus, Cæsar nova Legatione Regis Daniæ pro Palatino requisitus est, ut ex variis locis exercitus pari passu dimitterentur, & amici tractatus ad totum negotium componendum certo loco, & tempore instituerentur. quam Legationem Cæsarea, qua alias, felicitate absolvit; ostendens quam injuste præter prima delicta, nonnulli culpam Palatini studerent adaugere, & arma armis cumulando, magis iram suam irritare, prout Mansfeldius novissime fecerat in Alsatia, familiae Austriacæ patrimonio, & in Episcopatu Argentinensi. quem imitatus fuerat Christianus Brunsvicensis, quando ex inferiori Saxonia (postposita matris, ac fratris sui adhortatione) in agrum Westphalicum, in Paderbornensem, & Moguntinensem, aliasque Imperii ditones irruens; inauditas crudelitates exercuerat. Nihilominus Cæsar promisit, se in incepta tractatione pacis perseveraturum, omnemque operam adhibiturum, ut in pacis negotio Palatinus, aliique sentirent; nihil ab eo fuisse omissum, quo communis patriæ tranquillitas refarciri posset. quod etiam Cæsar pro innata clementia præstitit; & nõ ita post de novis Imperii Comitibus cogitavit; ut illa, quæ præcedenti anno ob tumultus Mansfeldicos non successerant; saltem hoc anno feliciter coram plerisque Imperii Principibus, ac Cæsareæ fortunæ sociis peragerentur, & opportune habita ratione intercessionis Regis Daniæ, Electoris Saxonie, aliorumque Principum concluderentur. Quo responso cum minime satisfactum fuisset Palatino, non destitit cum sociis grassari in ipsos etiam Lutheranos; per illos enim dies Mansfeldius in ditionem Landgravii Darmstadiensis irrupit, & ipsum Landgravium Ludovicum captivum abduxit Manheimium, posuitque in carcere, dicto Papalino, ex eo quod fuerat ibi carceratus Balthasar Cossa post concilium Constantiense. per illum Palatinus volebat pacem restitui, Cæsaremque rogari, ac cogi. verum cum Electores Saxonie, & Moguntie indigne tulissent injuriam illatam Principi Imperii innocentissimo, illamque Palatino exprobrassent; nihil de pristina mente justitiam Cæsaris promovendi

amiserunt. Huic bonæ Cæsaris voluntati favit Deus prope Höchstam, quando illius exercitui secundam anni 1621 victoriam concessit contra Halberstadiensis, seu Christiani Brunsvicensis exercitum, ex Westphalia in agrum Moguntinum ad succurrendum Mansfeldio, & Durlacensi Palatinum propugnantibus traductum. straverat enim Christianus pontem supra Mcenum prope Höchstam, illudque oppidum ad E-  
 lectorem Moguntinum spectans occupaverat. Ibidem etiam insignes crudelitates contra Religiosos, ac cives exercens; exercitum in pagis ejusdem Moguntini distribuerat. ubi incendiis, & direptionibus Turcarum more grassabatur, deformata Vrsella, Erlentachio, Sualbacho, Delckenheimio, aliisque locis circumjacentibus. Quod ubi Cæsaris Bavaricus exercitus intellexit; circa illud tempus, quo copiae ex Vngaria, & Moravia in partes Rheni transferant, selecta signa ex Cordubensis, Tillii, & Onaltini copiis convenerunt cum octodecim tormentis non procul à Francofurto; ubi constructa acie, aliquandiu substiterunt, ut fortunam prælii experirentur. Verum retrocedente Halberstadiensi, exercitus Cæsareus in tria agmina divisus fuit. Onaltinus medii agminis ductor hostem ex munimentis expulit, & Höchstam fugere coegit. Tillius statim hostem insequutus, medium se inter copias Halberstadiensis collocavit. sed illarum pars per pontem præcurrens, rupto ponte, in Mcenum decidit; alii in arcem confugientes, ad motis tormentis, sese dediderunt: alii fluvium tranare conantes, cum equis, & armis submersi sunt. Croatiae fugientes insequuti, omnes internecioni tradiderunt. ita ut tria millia occisorum numerata sint. Pauci, qui superfuerant, Mansfeldicis sese junxerunt, cum quibus Mansfeldius, Tillium insequentem metuens, dum annonæ penuriam in Palatinatu, à tam potenti exercitu occupato, metueret; Alsatiam priusquam præveniretur celerrime repetiit, & de novo pecuniam extorquere cepit ab Andlaviensibus, Rossetanis, & Verressis; quod cum etiam à Tabernitanis sperasset, spe sua excidit, validosque præfidiarios invenit, unde de fuga, depasta jam Germania, cogitavit.

Pala-

*Victoria  
ad Hoch-  
stam.*

*Mansfeldius in  
Alsatiam  
fugit.*

Palatinus vero cum sibi omne subsidium præcisum prævideret, sciretque Bruxellis de pace agi, quam scripserat Rex Angliæ, non parum à Mansfeldio, & Christiano Halberstadiensi præpediri; utrumque publico diplomate exauctoravit; ac Sedanum reversus, non ita post simulato habitu, in Hollandiam rebus suis diffidens pervenit. Mansfeldius autem ad antiquos suos dolos conversus, impetrata, ac publicata missione, per Tillium operam suam Cæsari exhibuit, una cum Brunsvicensi, si modo Cæsar stipendiorum partem penderet, & proscriptionem aboleret: quæ doli causa tamen dicebantur, ut alteri operam suam locaturus immunis posset aliquandiu persistere, ac sine gravi periculo evadere. Lotharingiæ ergo fines tunc ingressus, ibidem aliquandiu hæsit, & nunc regressum in Germaniam, nunc progressum in Galliam ad Regem; nunc directum iter in Belgium moliebatur: serius tamen consilium dissimulabat. Interim Bruxellæ Suartzemburgicus cum Regis Angliæ Legatis, & Palatini ministris convenerat. sed difficulter votis respondebant. Palatiniani enim integram suæ ditionis, nec non dignitatis restitutionem deposcebant, Cæsarei vero vix illius partem concedere Frederico, sed filio primogenito, & dignitatem post obitum Ducis Maximiliani; ea tamen conditione, ut Catholicæ Religioni addiceretur; forte se offerre posse dubitabant. sicque infecta tractatione, totum negotium ad futurum Conventum, cui maxime Palatinus diffidebat, dilatum est; ad quem Cæsar Saxonix Electorem, Ducem Pomeraniæ, Mechelburgensem, Electores Catholicos omnes cum Ludovico Landgravio Hassiæ, qui paulo ante è manibus Mansfeldii, & Ludovici Palatini liberatus fuerat; invitavit. Prius autem Cæsar sententiam in Marchionem Durlacensem tulit, ut Marchionatum Badensem Eduardi filii, uti hæredibus legitimis, restitueret. Lis etenim ista sub tribus Imperatoribus dudum ab Eduardi Marchionis Badensis filiis agitata fuerat contra Georgium Fridericum Marchionem, qui, nepotum suorum tutor, hæreditatem pupillorum sibi appropriaverat; occasione capta, quod parens ad impares nuptias

*Palatinus  
renuntias  
Mansfeldio  
obssequium.*

*Mansfeldius  
in  
Lotharingia.*

*Sententia  
de restituendo  
superiori  
Marchionatu.*

transisset, & Catholicam Religionem invehere tentasset. quod quamvis in Imperio absonum foret: tamen causa nondum satis inspecta, & ne ob rem singularem integra Germania bello affligeretur; in Marchionem Badensem hactenus toleratum fuerat. cum vero præfatus Marchio Georgius Fridericus arma contra Cæsarem strinxisset; ac prius filio ditionem suam magna fraude cessisset; fuissetque pars aliqua ditionum pupillorum Principum à Marchione Spinola inter alia loca occupata; voluit Cæsar ad intercessionem Electoris Moguntini, ac nostram, (maxime ut Catholica Religio debite promoveretur,) veris hæredibus, Eduardi filii Catholicis in Aula Bruxellæ educatis, ditionem restituere. quare ex sententia suorum Consiliariorum aulicorum unanimiter suffragantium secundum jura scripta, & Germaniæ consuetudines, Georgium Fredericum uti reum condemnavit ad restituendum eisdem superiorem Marchionatum Badensem, nec non fructus perceptos, ac percipiendos, cum omnibus clemenciis, tabulis, mobilibus, & refusione sumptuum, ac damnorum.

Sicque Marchio Wilhelmus horum primogenitus per Archiducem Leopoldum Commissarium Imperialem in Marchionatum fuit restitutus, & statim nihil antiquius fuit illi, & magis in votis, quam (sicut mihi promiserat antequam Vienna discederet) ut ad avitam Religionem suum Marchionatum revocaret; sic postea præstitit per Patres Societatis Iesu Spira evocatos; quos in præcipuis locis populo præesse voluit, pulsus Lutheranis buccinatoribus, immo res tam feliciter, auspice Deo, successit; ut omnes subditi ita sacra Catholicorum susceperint, ut nunquam abjurasse putarentur, & vere sese antiquos Catholicos pietate, & religione referrent. In hac rerum constitutione institi apud Cæsarem, ut tantarum victoriarum memor, Deo gratum obsequium rependeret in restauratione suarum provinciarum, ut paulatim seditionibus, ex hæresi originem ducentibus, occurreretur; ita sua Majestas ingenti sollicitudine, ac pietate, quam semper prætulit, cum in Moraviam destinatos Legatos ad executionem suorum

fuorum decretorum misisset, multosque capite multandos vita donasset, primo Cardinalem Dietrichstain monuit, ut ad imitationem Bohemiæ, Prædicantes omnes è Moravia proscriberet: deinde cum ex me cognovisset adhuc clancularios aliquos ad præcipuas urbes hærare, ac nonnullos cives passim festivis diebus eo excurrere; stricte inhiberi præcepit, ne quis privatis istis conventibus, quasi seditiosorum receptaculis auderet interesse; pariterque pupillos omnes, & scholas à cura sectariorum exemit. in quo cum singulariter vidissem Moravos obedivisse; de Anabaptistarum secta proscribenda cogitavi; licet arduam me provinciam subiturum pro certo scirem; tamen Deo Duce, multis superatis difficultatibus, invitis nonnullis Principibus, ac proceribus, à quibus sex illa (si temporale lucrum spectemus) proficua dependebat; obtinui, ut proscriberentur, & omnes Moravi hæreditario jure, & bello victi, familiæque Austriacæ subditi, in una Religione viverent. quæ ut executioni mandarentur; maxima pietate, ac prudentia Cardinalis à Dietrichstain Gubernator provinciæ, postposito omni suo particulari commodo, elaboravit. Pari modo cum à me Cæsar percepisset magno doloris sensu, in Carinthia nidulari hæreticos, in postrema Religionis instauratione nondum penitus extirpatos, aut ex vicinis aliquorum Procerum regionibus paulatim & secrete irreptos, severo decreto, arcanis consilii directoribus Gretzii relictis mandavit, ut statim hæretici omnes in Carinthia, præcipue ii, qui Clagenfurti hærebant, aut scholæ Xenodochii, aut aliorum munerum curam gerebant, jurisperiti, cives, aut qualescunque præscripto termino sex hebdomadarum, ac trium dierum (nisi resipiscerent) ex omnibus regionibus hæreditariis concessa bonorum venditione, eliminarentur; eliminati penitus, ac perpetuo proscriberentur.

Idem tentavimus ut in Bohemia publicaretur, saltem in urbibus Pragensi, & aliis Regiis: sed immaturum omnibus videbatur, donec non totaliter abactis ministris, populus, pluribus in locis adhuc omnino rudis, instrueretur à modestioribus, ac doctioribus Catholicis,

*Reformatio Moravia Cardinali commissa.*

*Anabaptista proscripti per diploma 17 Aug.*

*Ejiciuntur hæretici ex Carinthia per diploma 24. April*

*Conatus Catholicorum in Bohemia.*

tholicis, quos in lingua Bohemica difficillimum erat reperire, pro Germanicis vero partibus ex Bavaria, & Passaviensi nonnullos, licet paucos bonos, poteramus nancisci. duo interim adhuc Pragæ hærebant Pseudo-euangelii buccinatores, qui gentem plebejam præcipue subvertebant, & nonnunquam blasphemis, & calumniis Catholicos onerabant. quare ad illos ejiciendos, eorumque Ecclesias occludendas maxime à nobis elaboratum est; neque enim deerant patroni, qui tam eorum, quam populi Pragensis causam agerent, eosque consiliis, opibus, & favoribus foverent. ipsemet Cæsaris in Bohemia Prorex recenter confirmatus, quamvis alias diem Paschatis ejectioni eorundem præfixisset, ac deinde ob instantia Comitum Vngarica usque ad finem Comitiorum rem produxisset, etiam nunc de ejectione talium ministrorum ambigebat, ac rursus differendum fore censebat. quare contra hujusmodi procrastinationem Cæsarem conveni, rogaturus, ut quod in Bohemia reliquum erat ad pietatem, & nominis sui aternitatem, amplissimumque erga Dei Majestatem meritum, ejectione duorum prædicantium, & occlusionem Ecclesiarum perficeretur. neque enim de duobus tantum prædicantibus, sed de integra libertate Religionis agebatur. nam quandiu illi hærebant, & apertis Ecclesiis tolerabantur; tamdiu nullus è populo ad Religionem Catholicam accedebat. tamdiu adhuc sperabant sectarii suam Majestatem concessuram aliquando liberam facultatem errorum proclamationi: tamdiu etiam adhuc alii per universum regnum exemplo horum in regiis urbibus, & apud nobiles publice, apud plebejos vero, & vicanos privatim, eodem jure, ac nomine Augustanam Confessionem inclamabant, tanto populi plausu, ut ob prædicantes calicem Bohemis amicis præbentes, Catholici Sacerdotes contemnerentur. immo constabat, jam ipsos Catholicos, Ecclesiis nonnullis impositos, omnibus proventibus destitui, & miserime vitam transigere. quare plurimi Ecclesias deserere cogitabant; eratque periculum, ne desertæ rursus ab hæreticis occuparentur. & quod maxime nos piosque omnes affligebat; nisi tunc ejicerentur tales verbi Dei corrupto-

*Catholica  
Religionis  
periculum ex-  
penditur,*

corruptores ; de universa Religione perpetuo, aut saltem in longa tempora actum videbatur ; nam si semel S. M. ad Comitata Ratisbonæ in proximum Septembrem indicta perveniret ; in gratiam Saxoniarum Ducis, aliorumque Principum, coram talem gratiam pro suæ Religionis in Imperio tolerandæ exercitio postulantium, indubie cedere deberet ; ut in aliis causis, è quibus alia pendebant Comitiorum negotia, eorum gratiam mereretur. Quod periculum ut præveniremus, bene gerendæ rei ansas omnes arripere debebamus, maxime quod quotidie angebatur etiam in hosce prædicantes odium, cum cæteris insolentiores non desisterent in Catholicam Religionem invehi, & recenter quidem in festo Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris Dei ( quod solum ab hæreticis Lutheranis colitur, ) unus illorum turpissimas blasphemias evomere præsumperat. alii etiam in urbibus regiis, quamvis modestiam simulantes, non omittebant aculeata verba serere, quæ seditionem nonnunquam potuissent excitare, aut saltem turbis deditos animos seditionis seminibus fovere. Quæ cum ingenti animi sensu à me nomine Sanctæ Sedis Apostolicæ, & multorum Catholicorum repræsentata, & profunde in corde Cæsaris impressa fuissent, mandavit Sua Majestas rursus Proregi Bohemiæ, ut postquam in regnum pervenisset, tam ejectionem prædicantium, quam occlusionem Ecclesiarum Lutheranae Religionis promoveret. verum cum adhuc Prorex, cui multum deferebatur, suavisset Cæsari, ut negotium hoc differri pateretur, saltem usque ad finem Comitiorum instantium Imperii, quæ jam in proximum Octobrem dilata fuerant, ne offenderentur Principes Lutherani convocati, & aversis animis, vel recederent, vel omnino adversæ parti adhærent, differri oportuit, donec Glatzium, (quod adhuc Cæsaris copias exercebat in Silesia, in qua facile incendium novum excitasset) Lusatia, ac Bohemia ad officium Cæsaris redirent. fuerant enim qui illius loci periculum (ut prædicantium ejectionem præpedirent,) Cæsari suggererant, pariterque qui Klingenbergensium fidem vererentur, & Kuttensbergensium in

*De prædicantibus  
ulterior  
deliberatio.*

*Differenda censetur ejectione.*

Bohemia recentissimos tumultus in exemplum Cæsari statuerant, ut Cæsarem ab hac mente revocarent. Bella interim ex Germania in Belgium translata illic ardebant, ut nihil certi de futuris Comitibus nobis promittere auderemus. Mansfeldius enim in Episcopatum Metensem cum viginti millibus per Sovordensem ditionem promotus, nunc reditum in Germaniam, nunc aditum in Gallias, nunc devastationem Trevirensis Archiepiscopatus moliebatur, ac minitabatur, quare Trevirensis Archiepiscopus nihil certi potuerat deliberare. Coloniensis inter media arma, non minus de suo accessu dubitabat; nam Hollandi juxta illius residentiam Bonnensem munimentum excitaverant ad opprobrium Presbyterorum omnium, turpi nomenclatura pilei quadrati nuncupatum; illudque jam ab exercitu Regis Hispaniæ, & à vicinis paucisque militibus Neoburgici Ducis obsidebatur, non sine periculo, ne Hollandorum exercitus occurreret, & integram dicecesem Coloniensem devastaret. Quod ut impeditur, Marchio Spinola Bergam ad Somam, munitissimam Hollandorum civitatem obsedit, ibique Hollandorum vires occupavit magna sui exercitus, & plurimorum Ducum magni nominis jactura, neque enim obsidio illa tam facilis, neque tam felix esse poterat, ut brevi finem liceret sperare, quandoque Hollandi urbem octo signis peditum, & quinque turmis equitum munierant, & aggeres ab una parte perfoderant, ut non nisi per aquas profundissimas posset oppugnari. Sperabat Marchio arcis occupationem tum ob diffidium in urbe inter Arminianos, & Gommaristas exortum; at illud postea, contra Catholicos utrisque pugnantibus facile compositum est; maxime ubi ter mille milites præsidarii, & sexdecim naves onerariæ cum comœatu receptæ sunt; tum etiam quia ipse paulo ante dimidiatam lunam ante portam prætoriam obtinuerat, quæ non parum Hollandos terrebatur.

*Mansfeldius transiit ad Hollandos.* Hollandorum obsequio sese cum exercitu suo tunc Mansfeldius prope Sedanum latitans addixerat, nemine fere conscio, quare ex illo loco opportunitatem irrum-

irrumpendi, & infestandi aliqua ex parte Cæsarem, & Regem Hispaniæ venabatur. Dubitabant aliqui, an rursus Hannoniam, & Cameracum in Belgium dudum pacatum invaderet. Alii partibus Rhenanis, ut obsidionem munimenti in Rheno constructi solveret, metuebant. At ille de obsessa Berga sollicitus, ut Hollandis morem gereret, Brabantiam versus iter suum direxit. Quare Corduba, qui semper illius vestigiis inhæserat cum copiis Regis Hispaniæ; infra Namurcum suum exercitum illi opposuit, & instructa utrinque acie, cum aliter Mansfeldius evadere non posset, acriter ibidem pugnatum fuit aliquot horarum spatio, dubia aliquantisper victoria, quæ à desperatis Mansfeldianis solito animosioribus magno impetu contendebatur. Sed contrario eventu illa regis cessit, fortiter stationem suam tertio sustinentibus Isenburgicis, & Emdensibus legionibus, quibus tandem Mansfeldius cedere coactus, dum equitatus Christiani Brunsvicensis pugnaret, turpi fuga dilapsus est. Periere tamen in ipso loco ex hostibus mille equites, & ter mille pedites, magna pars reliquorum dissipata, & à rusticis miserrime trucidata fuit, vixque ex viginti millibus sex millia evaserunt. Christianus Halberstadiensis glande plumbea in sinistro brachio læsus, non sine periculo vitæ, ob tumorem vulneri concretum, brachio destitui debuit. Sex mille reliqui in Belgium ad Bergam obsessam tenderunt, ut obsidionem solverent. sed Spinola, ne interciperetur inter copias Mansfeldii, & Hollandorum, relicta obsidione prudentissime receptui cecinit, & non omissis impedimentis Antverpiam incolumis devenit. Heidelbergam interim Tillius oppugnabat, oppugnatamque multis tormentorum ictibus non ita post vi occupavit. Idem de Manhemio factum est, quem locum fortissimum totius Germaniæ propugnaculum inter duo flumina ad instruendos pontes semper illius beneficio tutos præfidiarii Angli turpissime deseruerunt. Corduba in Palatinatum regressus Frankendaliam ambiebat; jamque exercitum ad obsidendum locum collegerat; cum ex Belgio commercium pacis, seu induciarum ad 15 Menses

*Praetium  
ad Flo-  
reacum.*

insti-

*Inducia  
inter Hi-  
spanos, &  
Anglos.*

institutum advenit, quo non solum Franckendalia, sed  
cæterum Palatinatus inferioris ad manus Regis Hi-  
spaniæ deponi debebat; ita tamen, ut infecta pace, rursus  
Regi Angliæ oppidum in eodem statu, quo rece-  
pit, relinqueretur. Commerciis ergo civilibus de-  
stituendo Palatino in Anglia deinceps actum fuit  
magna spe restituendi Catholicam Religionem in re-  
gno à rege ipso data, cum Reformatae Religionis de-  
clamatoribus interdixisset scommata, aut aculeatas ex-  
probrationes in Romanos Catholicos, & singulariter  
suos examinari, & approbari voluisset, multumque per  
Anglos, & Hispanos laboratum, ut si perficeretur ma-  
rimonium filii Regis Angliæ cum Infanta Hispaniæ,  
Frederico Palatino, aut saltem ejus hæredibus filiis  
consuleretur. Quod Cæsarem non retardavit, quin Co-  
mitia ad proximum mensis Novembris medium stabili-  
ret. Quare certum diem vigesimum quintum omni-  
bus Electoribus indicens, Ratisbonam ipsemet iter  
adornavit; tanto securius, quanto magis constabat, ur-  
dique Cæsaris hostes cessisse, & vix aliquod periculum  
alicubi superesse. Klingenbergenses enim, & Glatzen-  
ses paulo ante sese honestis pactis dederant, & Turca-  
rum Imperator pacem ex necessitate appetens, legatum  
cum muneribus destinavit, inviolatamque pacem sese  
conservaturum confirmavit.

*Actio  
contra  
prædican-  
tes repeti-  
tur.*

Repetita tamen prius fuit sub initio Octobris Vien-  
næ controversia de prædicantibus ex Bohemia depel-  
lendis; in quem finem consilia diversa habita sunt, &  
scripto argumenta hinc inde probata fuere, non valde  
rem Catholicam promoventia, quibus ego rursus me  
opposui, demonstrans Cæsari politica hæc esse figmen-  
ta, quæ hæctenus divina providentia eluserat, atque in  
posterum eludere parata erat, nisi nimium arundineis  
istis fulcris inniteremur, quod dedecebat pios, ac stre-  
nuos animos, Dei gloriam pro viribus procurantes.  
Quare multi pro ejectione hæreticorum inclinarunt.  
Exemplum deinde inimicorum nostrorum à me pro-  
ductum coram Cæsare, ac toto Concilio, plurimorum  
sententiam mutavit: neque enim putabam nos Catho-  
licos tot victoriis auctos, ac tanta dignitate Imperiali,  
Electo-

Electoralī, tantoque Principatu fulgentes, tot regnis, ac provinciis ditatos, debere esse inferioris conditionis, quam essent ipsi hæretici satis depressi. Illi etenim (inter quos lubebat recensere Saxonem) in suis ditionibus nullum patiebantur Catholicum Sacerdotem, nullum admittebant Catholicum exercitium, neque quidquam apud illos in hac causa valebat auctoritas Cæsaris, aut amicorum preces, aut politicarum rationum consideratio ad rigorem illum in falsa Religione temperandum. Quare mirati, & indignati sunt multi mecum, quod tam vili essemus Catholici animo; ut pateremur in nostris ditionibus, atque hæreditariis provinciis, seposito Dei obsequio, nunc ab uno Principe, nunc ab alio, aut à plebe etiam nobis legem imponi, quæ universam ditionem, & imperium aliquando cum aeterna felicitate præpediret, ut exemplis recentissimarum seditionum, & è sententiis Sanctorum Patrum, ac Sancti Evangelii, ipsiusque Spiritus sancti oraculis luculenter probabam. Quæ omnia ita mentem Cæsaris penetrarunt; ut constantissime 28 Octobris Proregi Bohemiæ ejectionem prædicantium, nominatim duorum Lutheranorum Pragæ, & occlusionem duarum Ecclesiarum ab hæreticis constructarum vigore litterarum Majestatis absque longiori tergiversatione imperarit. cui imperio cum Prorex adhuc Viennæ subsistens paruisset, Mandatumque de Lutheranis concionatoribus è regno dimittendis, & de templis illius sectæ, quæ ad Cæsarem ob divulgatam rebellionem devolutæ fuerant, occludendis, Præfecto urbis Pragensis transmisisset; statim occlusis Ecclesiis intra triduum concessum, duo ex urbe Pragensi, & plures ex Regiis oppidis prædicantium itineri sese accinxerunt. Quod cum ad Electoris Saxonie aures pervenisset, statim ad Proregem pro concionatoribus, ac templis à Rodolpho Imperatore permissis intercessit; magna humanitate significans, se non posse huic rumori de arcendis Evangelicis fidem adhibere; neque posse arbitrari Cæsaris mentem illam fuisse, cum sciret illius cogitationes tantum tendere ad reduendam, & stabiliendam pacem hætenus huiusmodi rebus turba-

*Apologe-  
zicus Do-  
ctor Hoc.*

turbatam. rogavit insuper, ut talem ejectionis exequutionem meliori, qua poterat, via praevediret. verum cum à Prorege percepisset, illam non suam tantum, sed Cæsaris fuisse sententiam, jamque satis magno numero prædicantes ad illum lamentabundi de exilio accurrissent, Doctor Hoe Lutheranorum prædicantium apud eundem Saxonem antesignanus pro suæ sectæ ministris Apologiam quandam edidit, in qua tam Cæsaris Rudulphi, Christiano II, Saxoniae Electori, promissiones, quam recentissimas Archiducis Caroli, Electoris Coloniensis, ipsiusq; Cæsaris Ferdinandi magnas sollicitationes factas produxit, illarumque contrarium exitum, modeste tamen, exprobravit. Calvinianam deinde sectam, aliquando prophetizantem Lutheranorum ejectionem, ubi Cæsari victoria obtigisset, exprobravit, & Iudæorum, quorum Synagogæ permanerant sub tutela Cæsaris, longe meliorem esse conditionem questus est; ac tandem ponderata Cæsaris existimatione, suaque erga suam Majestatem devotione, multis testimoniis, ac periculis toleratis commonstrata, rogavit Cæsarem, ac Proregem Bohemiae, ut calamitatem hanc à suæ sectæ viris averterent; occasionemque Evangelicis præberent, vitam, honorem, fortunam, & sanguinem pro sua Majestate profundendi; quod omnino fore sperabat, si expulsi exules pristinis sedibus restituerentur. Hæc tamen omnia non ita vera ut promulgata fuere, Cæsaris animum in fide constantissimum, & conscium quid molirentur sectarii in omnibus regionibus, nunquam in uno consistentes, immutare non valuerunt. Quare surda aure ista præteriens, itineri Ratisbonam versus, præordinatis prius Austriacis, Vngaricis, ac Moravicis expeditionibus, se commisit. Cum vero intellexisset Saxoniae Electorem Moguntini Electoris, & Landgravii Ludovici intercessionem implorasse, eorumque fidem requisivisse pro defensione nonnullarum civitatum Imperialium; quæ apud eum questæ fuerant, se contra pacta Aschaffenburgensium milite prædiario, tum exactionibus, aliisque operibus etiam in causa Religionis gravari; cumque in itinere Ratisbonam versus Schardingam pervenisset,

*Constantia  
Cæsaris.*

ab

ab eodem Saxone missus nobilis quidam ex iis, qui in intimo cubiculo ei assistunt; qui tam voce, quam scriptis suo nomine questus est de prædicantium ejectione; quam actionem Elector illaudabilem dicebat. Hinc tota fere aula commota fuit, & in me quilibet culpam rejiciens, non solum hæretici, sed & Catholici ardentibus meis consiliis offensi, non dubitarunt me turbatoris pacis nomenclatura dehonestare; jamque obganniebant etiam illi, qui Electoratus translationem non optabant; cum Saxoniam Electorem emanfurum dicerent, & mox acerrima bella à multis præparata vaticinarentur, quibus integra Catholica Religio in periculum exterminii deduci posset. Quæ omnia Cæsarem vexarunt, & me tunc paululum antecedentem, quo Cæsari precibus, & consilio in tanta anxietate adessem, non parum de contrario aliquo decreto sollicitum, revocarunt. quare ad Cæsarem accedens ei magno conatu persuadere studui, sic divinæ voluntati fortiter, & suaviter omnia disponenti placuisse; neque talem Principem merito tantopere offensum ob rem quæ ad ipsum parum spectabat, & quamvis securus essem, Suam Majestatem nullo modo contrario decreto velle obscurare gloriam adeptæ victoriæ; & beneficii in expugnanda hæresi Catholicæ Religioni in Bohemiam Regno impensi; nihilominus pro majori rei actæ confirmatione debebam suæ Majestati in memoriam reducere, nullum esse in Imperio Regulum, qui sui patrimonii subditos non Religioni, aut sectæ suæ obtemperare velit, & passim omnes subditos dominis suis in Religione credere; quare hoc mirum in Cæsare non debere esse apud alios Principes, cum ipsi hoc in suis ditionibus exequerentur. verum Cæsar cogitabundus litteras Electoris Saxoniam ostendit, quæ inter alia mentionem litterarum suæ Majestatis ingerebant ann. 1620, quibus Calvinistas extirpatores tam Catholicæ Religionis, quam sectæ Lutheranae nominaverat, quam tamen Calvinistarum insimulationem propter ejectionem prædicantium è regno Bohemiam ille in Cæsarem modeste rejiciebat. Quare cum sua Majestas (prout mihi videbatur) maluisset ejectionem

Argu-  
mentum  
pro re-  
stauratio-  
ne disci-  
plina.

in

in aliud tempus fuisse dilatam; ostendi nihil in celeritate erratum esse; sed potius in nimia Decreti procrastinatione, quod indubie alioquin fuisset intermissum, non sine dedecore, & conscientiae propriae contaminatione, vel si etiam post praesentiam Saxonis fuisset editum; periculum extitisset magis eundem offendendi: quapropter saniori consilio tale Decretum fuerat praemissum; illudque in Bohemia excusari posset; ubi jam Lutherani facta vi irruperant, & non exiguas turbas cum aliis concitaverant. Quare Caesar evocato Concilio, & suorum sententiis auditis, quos instruxeram, statuit in facto Decreto persistere, Deoque offensorum animos committere, & Saxoni respondere, ut ad Conventum indictum se accingeret, multa ibidem posse componi; Suam Majestatem de causa Religionis in Bohemia cum eo esse tractaturam; illum etiam cogniturum mentem suam Caesaream non adeo esse ab officio, & favore ipsius alienam, quin parata foret, sufficientem facti Decreti rationem reddere, ac ei in omnibus justis, atque æquis satisfacere.

*Maturo consilio decretum factum.*

*Responsum Caesaris.*

*Mens Electoris Saxoniae.*

Vbi Ratisbonam accessimus, ex litteris cujusdam ministri Ducis Saxoniae, qui fratrem Catholicum meum amicum in Aula habebat, demonstrare potui, non fuisse Electorem adeo exacerbatum propter ejectos praedicantes; neque eum tanti illos fecisse, ut propterea tumultum aliquem excitare decreverit; verum debuisse Electorem in gratiam Protestantium, suaeque Religionis consortium aliquo modo urgere illorum patrocinium, ne omnino negligentiae argueretur, & ut honestam aliquam ansam suae absentiae attexeret: non enim decreverat tali Conventui interesse, ex quo non nisi indignationem apud suae Religionis proceres poterat sperare, si in translationem Electoratus à Caesare conceptam consensisset. & licet Delegati illius de dimissione ministrorum Evangelicorum conquesti fuerint, & institerint, ut restituerentur; tamen illis commissum erat, ut hac in re Caesari persistenti cederent, modo de Silesia corrigenda, aut de Lusatia repetenda nulla mentio ingereretur. Quae cum Caesari retulissem, constantissime in Decreto facto perseveravit. Non semel

mel tamen animadverti in sua Majestate anxietatem aliquam, cum de hisce Decretis moneretur ab iis, qui faciliora omnia promittebant, si Saxonie Electori aliquando in revocandis dimissis satisfaceret. quare suadebant aliqui, ut solis Germanis Ecclesie duę ademptę concederentur, quamdiu rigorosę Confessione Augustanę insisterent; alii extra urbem Pragensem, & alias præcipuas regni Bohemici, cœmeterium, & Ecclesiam Lutheranis dandam censebant, alii Pragensibus saltem simile exercitium indulgeri, vel ad certos annos restringi posse arbitrabantur. quibus sententiis pro virili decuit me opponere, novas Consiliariorum instructiones etiam in jure Canonico, fucatoque animi bono fundatas rejicere non sine maximo labore, cum hæc non plebis, sed Consiliariorum, & Legatorum nonnullorum essent machinamenta, trepidantium timore, ubi nullus erat timor; à quibus Divinæ Majestatis gloria retardabatur, ac Cæsari, ejusque existimationi labes aspergebatur. prout inter cætera prudenter non minus, quam pie dixerat Cæsari Princeps, & Episcopus Herbipolensis, qui cum in utramque partem disceptasset, & undique pericula vidisset, constantiam in decretis Cæsareis, dubiæ fidei prætulit, qui etiam cedro dignam Cæsari sententiam dixit: Si, inquit, hinc, & inde sint pericula: videaturque hinc Deus, & ibi homines offendi, fatius arbitror fore incidere in manus hominis, quam Dei viventis, à quibus neque nos, neque alius posset Suam Majestatem liberare. Quæ verba tantum ponderis habuerunt, ut Cæsar statim constantissima sententia in facto decreto perseverare decreverit, & Proregi Bohemię scribi curarit, ut in incepta prædicantium ejectione, ac Religionis institutione constanter procederet. quare etiam Electori Saxonie responsum fuit, ejusque rationibus satisfactum, ac præcipue litteris S. Majestatis, de quarum fide agebatur. nam iis videbatur Electori aliquid circa privilegia Bohemorum, ac Religionis libertatem, Müllhusii spondisse, ad quod etiam Electoris Colonien-sis sententia respiciebat; verum & illa excusabantur; nam Cæsar multa Bohemis promiserat, si parerent

Timidorum consilia.

Episcopi Herbipolensis sententia.

Excusantur Cæsaris promissiones.

K

ipsum

ipſius mandatis, aut præcibus; ſed quia ex Bohemis ne unus quidem libere ſeſe S. Majeſt. ſubdidit, & omnes vi adacti fuerant ad ſubeundum onus Imperii, jure, meritoque puniebantur, & Cæſar à tali ſponſione confirmationis privilegiorum liber declarabatur, ita ut Elector nihil fidei Cæſareæ deinceps poſſet opponere.

*Concilium  
Theologi-  
cum pri-  
vata  
auth. ce-  
lebratur.*

Non deerant tamen adhuc aliqui, quorum opera quaſitum fuerat votum aliquot Vniuerſitatum Catholicorum Germaniæ, necnon Patrum Societatis Ieſu, aliorumque Religioſorum Theologorum examinandum, an ſine peccati labæ potuiſſet Cæſar, ac poſſet tolerare hæreticos Pragæ, eorumque ejectionem diſſimulare. Quæ queſtio Pragæſibus Theologis fuerat me inſcio mera forenſi auctoritate propoſita; ſed juſto Dei iudicio, ac veritate teſte, omnium calculo ſtatutum fuit, Cæſarem tolerare non poſſe hæreſim poſt tot victorias, etſi non ſine incommodo: huiusmodi enim tolerantiæ ad inſtar novæ conſeſſionis tam damnoſe ſe- cte fuiſſet: que ſi tempus aliquod nanciſceretur, firmata jam radice, non ſine multo ſanguine, ac totius Germaniæ & animorum vaſtitate miſerrima, Cæſaris culpa deleri poſſet. Hoc Theologorum votum poſtquam ad mei notitiam venit; cum Cæſari retuliſſem, ac ſimul queſtus eſſem de illorum audacia, qui nobis inconſultis, præſumpſerant de tanta re deliberanda aliquid ſtatueri, Cæſar eorum zelum excuſavit, neque enim dixit, me centum Theologi ab illa ſententia reſtituendi Eccleſiaſticam diſciplinam, & excludendi hæreticorum ſectas, facile revocaſſent; cum ſciam quanto periculo, & patientia ſimilia mala tolerarim. Quæ omnia Electoratum concernentiæ non ſervato ordine viſum fuit enarrare; ut ſimul quid in ejectione prædicantium factum fuerit, potuiſſet exactius cognoſci; nunc ad intermiſſam hiftoriæ ſeriem revertamur.

*Cæſaris  
ingreſſus  
Ratiſbo-  
nam.*

Cæſar 24 Novembris Ratiſbonam ingreſſus, & ſolemni pompa ad Cathedralem Eccleſiam, præeunte Landgravio Ludovico Darmſtadienſi, ac ſubſequentibus Archiepiſcopo Salisburgenſi, & Epifcopo Herbipolenſi deductus; mox ab Electoribus Moguntino, ac Colonienſi, qui paulo ante advenerant, ſalutatus fuit;

atque

atque inde statim ad Saxonem litteras dedit, quibus illius adventum, ut cuncta melius componerentur, se præstolari perscripsit; Electoremque Moguntinum, ac Darmstadiensem Principem similes litteras ad invitandum illum dare voluit. verum cum frustra Elector, cujus mater paulo ante defuncta fuerat, expectaretur, & sufficienter culpam in proscriptionem prædicantium rejecisset; neque jam ulterior spes foret de Brandeburgensis, Pomerani, Brunsvicensis, aut alterius Principis invitati præsentia, qui eandem cum Saxonie Electore culpam, atque inde natam diffidentiam arguerunt: Cæsar post transmissas multas Legationes, & sufficientes justissimæ suæ causæ, de quibus paulo ante diximus, deductiones, quibus merito in Regno Bohemix se armis victricibus superatos prædicantes insolentiores, ac turbulentos arcuisse, unamque Religionem statuisse assererat; suaque promissa nunquam aliter intellecta explicabat, tandem VII Ianuarii præsentibus Electoribus Catholicis, eorumque Legatis, & Principibus, multisque consiliariis, causas conventus Ratisbonensis per Imperii Vicecancellarium Vlmam exposuit. Omisissis etenim pristinis Comitiorum remoris, propter quæ alia comitia non sine dedecore, ac damno Romani Imperii dedita opera fuerunt abrupta, dum majoribus votis, Cæsareis decisionibus, & Comitiorum decretis, nonnulli se opposuerant, & iudicia Camerae Spirensis sufflaminata, aulicique dicasterii jurisdictionem in dubium vocaverant, statim ad simultates inde ortas, ad perniciosæ fœdera, & ad detestandam Bohemix rebellionem devenit, ejusque Ducem Fridericum Palatinum proscriptum accusavit. deinde amicas, sed falsas interpositiones, cavillationes, sacramentorum violationes, regni, & coronæ rapinas, perfidas Legationes, subditorum fuscitationes, & fœdera etiam cum Turcarum cliente, enarrans, totius Electorum Collegii spretas admonitiones, temerarias pugnas, suasque tandem victorias diversis in locis è variis hostium exercitibus, Deo propitio, reportatas: obstinatum tamen Palatini animum recensuit, unaque explicavit, quanto jure Palatinus Cæsar, ac Imperii declaratus

*Propositio  
Cæsaris.*

*Culpa Pa-  
latini.*

*Intentio  
Cæsaris er-  
ga Du-  
cem Ba-  
varia.*

hostis, dignitate sua ob enarrata crimina, & læsæ Majestatis perfidias excidisset; & quomodo ad ipsum devolutam dignitatem alteri benemerito erga Imperium, Ordinum defensionem, & familiæ suæ conservationem, conferre decrevisset; atque de facto ex plenitudine potestatis modo dictam Electoralem dignitatem Maximiliano utriusque Bavariæ Duci contulisset. Secundum hæc petiit Imperator ab Electoribus, & Principibus præsentibus, ut pro eorum prudentia, & innato erga patriam affectu consilium, ac sententiam dicerent, qua deinceps res Imperii Romani supradicti Electores, ac Principes, qui Cæsari fidam operam præstiterant, melius possent stabilire, hostiumque consilia dissipare, ac pravis molitionibus prævenire. Deinde enarratis gravissimis horum annorum expensis, partim in tuenda Vngaria, partim in Legatorum receptione, ac missione liberaliter effusis; principaliter consulebat de ærario restaurando, si forte à Turca, vel Bethlemo appeteretur. Tertio de Hollandorum conatibus, bellum non solum in domum Burgundicam, sed in Imperium ipsum tantis seditionibus incompositum, in damna Westphaliæ, Coloniensis Diocesis, Iuliacensis ditionis, aliarumque, adornantibus disseruit. Quarto de gravaminibus, jam sæpius magno studio, ac contentione partium prolatis, auferendis; de Camera Spirensis Tribunali ad justitiæ dictamen fideliter administrandum reformando; ac tandem de adulterata moneta proscribenda, meliorique sufficienda, deliberari voluit.

*Responsio  
Electo-  
rum.*

Ad hanc Cæsaris propositionem præsentibus Electores, & Principes, & absentium Legati responderunt, se humillime gratias agere Suæ Majestati pro cura, ac sollicitudine restaurandæ Germaniæ, eamque se obnixè rogare, ut in isto laudabili affectu, & sollicitudine clementer perseveraret. Quod ad Primum propositionis caput, de privatione Palatini, de promotione Maximiliani Bavari, & de tuenda pace, multi consultum putabant, ut cæteri Principes absentes expectarentur; aliis tamen satis videbatur, si S. C. Majestas rursus illos teritiis suis litteris evocaret, atque interim præsentibus, quæ exori-

exorirentur difficultates, discuterent. Proscriptio itaque Palatini fere ab omnibus, ut iustissima existimabatur, sed asserebatur quorundam sententiam esse, tam grave negotium, quod S. R. Imp. Electoratum concernat, non ad solum Cæsarem, sed ad Electorale Collegium pertineret, juxta pacta regia, quæ loco legum in Imperio erant habenda, & integerrime custodienda. Ipsa quoque executio dicebatur à nonnullis fuisse improbata; servato enim juris ordine Palatinum prius citari, & audiri debuisse aiebant, antequam proscriptionis nota afficeretur; nihilominus ex his nullus volebat cum Cæsare contendere, sperabantque ipsum Cæsarem officio suo facturum satis. Quod ad Conventum attinet, dicebant Electores consulentes, eum esse institutum ad omnem diffidentiam auferendam, & pacem stabilendam, atque ideo his finibus contraria obstacula esse removenda. Putabant ergo, Cæsari operam esse dandam, ut in Bohemia inchoatæ reformationes, & executiones intermitterentur; deinde ad firmandam pacem suadebant Suxæ Majestati, ut in Palatinum iras remitteret, & misericordiam rigori juris anteponendo, ipsum Palatinum post factam submissionem, deprecationem, & renunciationem, in gratiam reciperet, eique ablata restitueret; alioquin Suam Majestatem nunquam fore securam, sed perpetuis bellis obnoxiam esse futuram. In translatione vero dignitatis Cæsarem attendere volebant ad ipsius Friderici filium, qui ante noxam parentis jus acquisitum ad Electoratum habebat. Ad fratrem etiam, qui alterius delictum ferre non debebat, cum in persona propria non deliquisset, & ad proximiores agnatos, qui profus innocentes Cæsari utilem operam navassent, quos ab Electoratus jure excludi, non erat valde æquum; iniquitatem autem vindicari posse à Regibus, ac Principibus Friderico Palatino affinitate conjunctis. Quibus omnibus incommodis obviari posset, si pax constitueretur, & Palatinus clementia Cæsaris restitueretur.

E contra aliqui sentiebant Cæsarem in sua propositione graves attulisse causas proscriptionis, & rebus ita constitutis Electoratum illum, ita ad Cæsarem esse

Modesta  
taxatio  
Cæsaris.

Propo-  
nuntur ad  
Electora-  
tum va-  
rii.

Contraria  
sententia  
rigorem  
Cæsaris  
devo-  
laudant.

devolutum, ut postpositis omnibus proximioribus, dispositio illi soli competere; & si Palatinus restitueretur, sine delictorum poena, metuendum fore, ne illius exemplo, alii idem molirentur. Inter Caesarem, & Palatinum nullum alioquin fore discrimen, quandoquidem Caesaris regna, & provinciae eodem modo vastatae sint. Addebatur, Comitem Palatinum pacem non querere; immo nec debita submissione, sed vi, & armis causam suam peragere. Collegium autem Electorum necessario debere compleri, meritoque Caesarem id juris sibi vindicare. Hujus aliquando mentis fuerat Ioannes Godefridus Princeps, & Episcopus Herbipolensis, quo magis Dei zelo percitum Principem non vidit Germania; is militum pater, Sacerdotum exemplum, Principum decus, Catholicorum tutor, sui ipsius contemptor, Ecclesiae Romanae, Caesarisque Majestatis cultor acerrimus, & prudentissimus, nihil nisi ad Electorem Catholicum suspirabat, inter quae suspiria summo nostro omnium dolore ex hac vita decessit. Contra rursus alii optatam pacem desiderantes, à summo jure abhorrebant, & Circuli inferioris Saxoniae, Regis Daniae, Regis Angliae, & forte aliorum arma metuebant, putabantque sufficere, si Caesar regna sua, & provincias recuperasset, tunc posse secure reconciliationem indulgere; praesertim cum una Caesaris fortuna bello omnia in discrimen adduciebant, si contrario praelio victoriae fructus corrumpere. Quare censebant de ratione faciendae reconciliationis posse peculiarem tractatum institui; media autem proponi, si Bohemica reformatio omitteretur; si haereditariae, & liberae civitates Imperii non premerentur; si bonae promissiones fervarentur, si querelae, & gravamina tollerentur; & commissariorum interposita fides liberaretur. Haec Electorum, & Principum responsio non in votis fuit Caesari, & nobis omnibus, qui translationem urgebamus. Cognoscebatur enim in illa Catholicorum Principum maxima timiditas, & haereticorum summa audacia. quare putavimus persuadendum Caesari, ut majori constantia, & clarioribus verbis declararet iis Principibus suam firmam determinationem,

Laus E-  
piscopi  
Herbipo-  
lensis.

nem, prout obtinuimus. Quapropter pro Cæsare responsum fuit, illum rursus ad Duces Pomeraniae, & Brunsvicensis misisse, ac sperare propediem venturos: suorum etiam factorum nunquam oblitum in proscriptione Palatini, immo ea in tam gravi casu diligenter considerasse. verum eum fuisse rerum statum, & animorum consensum, ut non tantum litteris, sed etiam coram de proscriptione cum aliis agere non potuisset: quoniam Palatinus tempore necessariae proscriptionis quotidie magis ac magis sua facinora cumularat, præterquam, quod satis monitus, & consultus fuisse videbatur, tum Palatinus, tum Electorum consensus in Conventu Mulhusino, quando rogatus fuit Palatinus, ut abstineret à tam improbis conatibus, & illi non obedienti tandem justæ pœnæ decreta fuerunt. sperare itaque suam Majestatem, Electores habita ratione temporis, ac periculi, hunc agendi modum in deteriorem partem non accepturos. Quod autem de restitutione Palatini aliqui dixerant, sua Majestas de restitutione dignitatis Electoralis non intelligebat, cum contra illum maturo consilio, & legitimis de causis facta fuisset proscriptio. si vero de admittendo Palatino in gratiam suam Cæsaream ageretur, ad illam se sua Majestas offerebat, si modo pœnitentiæ signa exhiberet, in fortunarum vero restitutionem (Electoralis dignitate excepta) subdebat, se ad intercessionem Regum Angliæ, & Daniæ, nec non Electorum, & Principum, aliqua ex parte inclinare, pariterque ad pœnas promeritas moderandas. Reformationem Bohemiæ constanter negabat ad hunc Conventum pertinere; illam enim agebat cuilibet Electori ac Principi inferioris ordinis in suis provinciis hæreditariis esse, ac semper fuisse liberam, non ideo debere in vicinis Circulis, aut Romano Imperio Cæsaream fidem suspectam haberi, cum non semel testatus esset, & adhuc profiteretur, se pacem Religionis in Imperio, quo ad omnes articulos, velle servare, neque vel in minimo quemquam offendere.

His Cæsaris considerationibus non vehementer contradixerunt Catholici, sed ad alia puncta superius

*Respondetur  
mi-  
tioribus  
consiliis.*

*Excusatur  
Cæsar  
ab errore.*

*Oblatio  
Cæsaris  
gratuita.*

*Constantia  
Cæsaris  
in Bohemica re-  
formatione.*

*Votum  
Saxonia  
& Brand.  
Electo-  
rum.*

recensita progressi sunt, quæ plerumque ad Comitia futura rejecerunt. Electoris Saxonici, ac Brandenburgici Legati, & Ludovicus Landgravius Hassiæ in prior voto persistentes, Cæsarem melius facturum censebant, si veniam Palatino petenti indulgeret; illam ut peteret se curaturos spondebant. Cæterum rursus pro intermissione reformationis, & restitutione Ecclesiarum, necnon liberi exercitii Augustanæ confessionis concessione in Bohemiæ Regno instabant. Repetebant etiam quæ paulo ante de civitatum libellis supplicibus fuerant dicta. In modo autem proscriptionis & translationis displicebant illis verba addita, quæ absolutam, & citra modum proscriptionem indicabant, illaque obligationi Cæsareæ contraire testantur, cum proscriptio simpliciter, & absolute citra modum in sola Cæsaris potestate non esset, sed in arduis negotiis non nisi consensu Electoribus fieri deberet.

*Electo-  
Mogunti-  
ni, &  
Trever.  
votum.*

In collatione autem sententiarum de modo aliquo cogitabatur ad juste terminandum hunc Conventum, quare mediatores particulariter auditi à Cæsare, (quoniam si Palatinus in bonam Cæsaris gratiam reciperetur, & ipsis aliquid accederet ex iis, quæ antecessores oppignoraverant,) imprimis gratias agebant Cæsari, quod tam clementer aliquid restituere vellet Palatino. Ad instantiam Regis Angliæ videbatur Sua Majestas illis satisfactura, si nepotes saltem non præterirentur in Electorali dignitate restituenda; si tamen omnino dignitatem Electoralem propter delicta Comitum Palatini tunc vacantem in Bavariæ Ducem vellet transferre, idque nec aureæ bullæ, nec regiæ obligationi repugnare existimaretur; rogabant, ut Cæsar ita rem moderaretur, ut supradicti nepotes, & agnati Palatiniano jure non privarentur; in quo consilio etiam sperabant Bavariæ Ducem quieturum. Huic moderationi antequam Catholici subscriberent; de defensione Electoratus in Bavariæ Ducem transferendi, & de repellendis conatibus hostium actum fuit: ideo duos ad me destinaverunt, mentem, ac liberalitatem Pontificis postulantes; cumque intellexissent Pontificem 5000. milites offerre, facilius consenserunt. Hisce quamvis mode-

moderatis consiliis, Saxonix, & Brandenburgensis E-  
 lectorum Legati non acquiescebant, sed Electoratus  
 Palatini translationem non esse medium obtinendæ  
 pacis censebant, & tum demum agebant pacem futu-  
 ram, cum Electoratus cum suis dependentiis priori suo  
 domino restitueretur, à qua sententia propter defe-  
 ctum mandati discedere non poterant. Princeps Ludo-  
 vicus translationem Electoratus Collegio Electorum  
 relinquebat; sed pro intermissione reformationis in  
 Bohemia deprecabatur; frigide tamen, quia & ipse “  
 Cæsaris gratiam ad evacuandam suam causam am- “  
 biebat. Præter has in communi difficultates, opponebat  
 sese translationi Electoratus Princeps Wolfgangus  
 Wilhelmus Dux Neoburgicus non sine strepitu, alle- *Oppositio*  
 rens contra textum bullæ aureæ disponi de Electoratu, *Ducis*  
 se prætermissis, cum per illam denotaretur proximus *Neobur-*  
 hæres innoxius; hoc autem casu nullum esse propin- *gensis.*  
 quorem innoxium præter ipsum. frater enim Frideri-  
 ci Palatini contra Cæsarem arma gesserat, legioni præ-  
 fuerat, & fratri semper adhæserat. Favebat Duci Neo- “  
 burgico vir potens tunc temporis in aula Cæsarea, “  
 cum è contrario alii maxime ad partes Maximiliani “  
 accederent. quæ omnia non exiguam diffidentiam ex-  
 citarunt. Finalis sententiæ remora videbatur absentia *Ducis*  
 Ducis Saxonix, sine quo frustratorium censebatur de- *Saxonix*  
 cretum proferendum, quod alioquin ipso assentiente *respectus.*  
 omnino validum existimabatur. nam neque Palatinus,  
 neque alius illius voto putabatur posse contradicere,  
 aut obniti. Illius itaque præsentiam requirebant Bava-  
 rici, quandoque certam sibi dignitatem promittebant;  
 ad illius etiam præsentiam anhelabant, qui Electoratus  
 translationi resistebant: nam inde remoras expectabant;  
 haud enim Saxonix Elector, rigidior juris Germanici “  
 observator, consensurus videbatur, ut Electoralis di- “  
 gnitatis translatio à solo Cæsare dependeret; nec facile  
 illam à Protestante Principe adimi permissurus, & for-  
 te omnino ob dimissos ministros Euangelicos à Cæsa-  
 re recessurus iudicabatur. Hinc cum de illius eman-  
 sione constaret, utrimque mihi passim ob ejectionem  
 prædicantium è Bohemia omnes offendebantur, ar-  
 guebant.

guebantque tanquam absentiae illius authorem, & commercii minus recte instituendi reum; verum postea constitit, ut superius declaravi, hanc non fuisse praecisam causam suae emanationis, sed ea usum fuisse pro velo, ut apud socios protestantes, quae facta fuissent excusaret, & Caesarem non irritaret. Haec tamen omnia cessarunt, quando Electores moderamen, de quo ante diximus, invenerunt.

*Nova  
turba cir-  
ca trans-  
lationem  
Electora-  
tus.*

Illo invento, nuntium de filii Regis Angliae in Hispaniam instituta peregrinatione, vix non omnia concepta evertit. nam matrimonium apud aliquos ratum habebatur, qui sibi aliter persuadere non poterant, filium Regis tanto se periculo exposuisse, nisi sibi certo Infantem Hispaniae addictam habuisset, & sese ipsum illi arctiori voto addixisset. quare rursus Electoratus translationem aliqui differendam censebant, & majori fructu reductionis ad fidem Catholicam integri regni Angliae, ac totius Germaniae per Palatini conversionem; Caesar pacisceretur cum Rege Angliae pro Palatini filiis in Anglia apud Infantem Hispaniae educandis. verum multis praesagientibus nullas futuras nuptias, haec vana videbantur, & ab illis irridebantur. Caesar etiam a priore sententia vix dimoveri potuit, quo verbo suo staret, quod ut Catholici Electores approbarent, me consulente singulatim quemlibet evocavit, atque mox propitium responsum obtinuit. Quare deliberato aliquoties universo negotio, Caesar decrevit, se in gratiam Regum, Electorum, & Principum, qui pro Palatino intercesserant, & ad declarandam clementiam, pacisque studium post humilem Palatini deprecationem, militum suorum exauktionem, & similitium molestiarum renunciationem, ipsum in gratiam velle recipere sine restitutione Electoralis dignitatis; quam omnino alteri se donare velle ostendit absque praesudicio Electoralis praeseminentiae, vel aureae bullae, aliarumque Imperii sanctionum. Quia vero plures erant aspirantes, neque tunc decerni poterat jus cuiuslibet, cum abessent proximi agnati Frederici, Sua Majestas, ne Collegium Electorale diutius vacaret, Electoralem dignitatem Maximiliano Duci Bavariae propter eximia

*Finalis  
sententia  
Caesaris.*

*Electora-  
tus datur  
Bavariae  
Duci, pro  
interim.*

eximia illius merita conferre voluit. Filiis vero, & agnatis ut consulere, propediem Conventum evocandum promisit, in quo amica transactio, & compositio institueretur; quam Cæsar ipse ad optatum exitum perduceret: si vero amica transactio locum non haberet, spondit se juridico processui, assidente Electorali Collegio, decisionem causæ commissurum, ac relicturum; ut post Ducis Bavarix obitum Electoratus, aliaque adjudicata occuparentur ab illo, cui jura favissent, modo semper fædum à Cæs. Majestate acceptarentur. His conditionibus contentus Maximilianus 25 Febr. Electorali dignitate auctus fuit. quod Cæsar illa die peragi voluit, quæ aliquando etiam sub Carolo V Electoralem dignitatem Mauritio Saxonix Duci concesserat. Forma autem fædatariæ acceptionis solemnitas hæc fuit. Cæsar Regalibus indutus, prælatisque Imperatoriæ Majestatis insignibus, scepro, sphaera, corona, ac gladio per eos, ad quos illud de jure spectabat coram Electore Moguntino, Colonienfi, & Treverensis Electoris plenipotentibus Legatis, Archiepiscopo Salisburgensi, Episcopo Ratisbonensi, duobus Principibus Hassiæ, perorante Vicecancellario Ulma de delictis illius Comitis Palatini, qui antea Elector Imperii dicebatur, ob quæ lege commissaria talis dignitas erat ad Cæsarem devoluta, per eundem Vicecancellarium declaravit se Duci Bavarix Maximiliano, eo quod insignem navarit operam contra rebelles Cæsaris, dignitatem Electoralem contulisse, atque tunc velle eam cum omni solemnitate, sessione, suffragio, & jure Electorali, coram universo Imperio conferre.

Ad quæ verba statim Comes Ioannes ab Hogenzollerer Aulæ Bavarix Ducis supremus Præfectus, & duo alii ejusdem Aulæ præcipui ministri repetita propositione, eam sese Duci referre velle asseruerunt. secedentes itaque ad proximum conclave, ubi Dux exitum propositionis expectabat, postquam ei mentem Cæsaris indicarunt; reversi sunt cum gratiarum actione nomine sui Ducis Electoralem dignitatem acceptantis; dixeruntque illum coram Sua Majestate consistere, ac solemne sacramentum præstare paratum esse.

*Post obitum Bavarix Ducis ad aliquem agnatorum.*

*Mens Cæsaris publice declaratur.*

*Refertur & gratia Cæsaris ad Bavarix.*

itaque

itaque paulo post Dux per Vicecancellarium evocatus inter Archiepiscopum Salisburgensem, & Albertum fratrem medius comparuit, & innox Casareis pedibus advolutus, audita mente Suae Majestatis, quam idem Vicecancellarius altius reperit, exaggerando Casaris officium consistere in castigatione delictorum, & promotione bonorum; proinde dixit Casarem ex plenitudine potestatis ipsum Maximilianum Sacri Roman. Imperii Electorem Archidapiferum declarare, eumque modo velle ad dicendum sacramentum solitum admittere. Dux actis gratis fidem dare paratus, accepto Electorali pileo, & pallio, tactis Evangeliiis, prælectum juramentum fidelitatis repetiit, & exosculato ense Casareo, actisque gratis, una cum Casare porrecta manu novæ dignitati adgratulante; ordine suo in arcanum conclave Casareum se recepit: ubi strata mensa, officio Archidapiferi defunctus, primam lancem assidenti Casari apposuit, deinde mensæ assidens ejusdem convivio exceptus fuit. Multa potuissent, & forsitan debuissent referri circa istud negocium translationis Electoratus, quæ & alibi, & in ipso Conventu Electorali Ratisbonensi evenerunt: attamen secreta Regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum. Supradictis ceremoniis peractis, dum Principes Electores variis Imperii negotiis intenderent; ego impetrata à Bavariæ Electori Bibliotheca Heidelbergensi, quæ & copia librorum, & raritate manuscriptorum omnibus aliis in Germania, & forsitan in Europa bibliothecis antecellebat, Romam transmittendam curavi. Sacris deinde vacare, & cœnobîa quædam nobilitate fulgentissima visitare constitui; ac primo S. Emerani, Ratisbonæ, & Superioris, & Inferioris Münsteri sacras ædes, in quibus remissa aliquantulum disciplina, media visitatione, correctis, quæ corrigenda erant; reparata fuit, singulari omnium voluptate. Quod cum paulo antequam Vienna movissem in celeberrimo monasterio Closterneoburgensi tentassem, semel atque iterum monitum Prælatum refractarium sensi, tum quia insolitum quid erat, ut inquebat, à Nuntiis visitari,

*Dux dicit Casari sacramentum.*

*Fungitur officio Archidapiferi.*

*Visitatio Monasteriorum instituta.*

tum quia favore magnatum sese exemptum fore sperabat; verum eisdem de causis animum sumpsi, & ne longa desuetudine periret jus Apostolicum, quod tum in cœnobium, tum in ipsum Episcopum exerceri potest, patrocinate Majestate Cæsarea, iusta auctoritate, ac bona intentione, visitationem intimavi, & renitentem præpositum, præmissis monitionibus, ne in contemptum veniret Ecclesiastica, ac Romana jurisdictione, censuris innodavi, & postea formalem visitationem institui. Quæ juris controversia tanti momenti fuit, ut deinceps cætera cœnobia in hæreditariis regionibus Cæsareis obsequentissima habuerim, in quibus alioquin auctoritas Sedis Apostolicæ periclitabatur. Hinc deinceps electionibus Abbatum interesse, ac præesse volui, sacrosque Canones ad unguem observari præcepi, ut in celeberrima Melnicensis Abbatis electione satis apparuit.

Initio hujus anni 1623, per obitum Abbatis vacavit Abbatia Fuldenfis, quam inhiabat Landgravius Mauritius Hassiæ præ cæteris hæreticis, eo quod esset opulentissima, & territorium fere haberet mixtum; præterquam quod in istis turbis aliquid audebat sperare, maxime si Elector Saxonæ, & Principes inferioris districtus ob translationem Electoratus, minus cum Cæsare convenirent. Mature tamen etiam transmissis ex Aula Cæsarea Commissariis, qui electionem Catholici promoverunt, periculo præventum fuit, & tertio mense suffectus Ioannes Bernardus Schenckius à Schuvinsberg, vir ad tuendam dignitatem aptissimus, qui & à Romano Pontifice, & à Cæsare confirmationem impetravit. Hoc ergo periculo liberati, in majus ratione translationis electoratus incidimus; nam Elector Brandenburgicus, Saxo, Brunsvicensis, & Pomeranus satis aperte translationem factam improbabant; summeque dolebant monita sua aliquoties per Legatos inculcata locum non habuisse, cum illa in Legibus fundamentalibus Imperii fuissent, ut arbitrabantur, fundatissima; quæ si tacerentur ab ipsis, non putabant se posse apud poste-

Offensa  
Brandenburgici,  
& Saxo-  
ni.

posteritatem excusari. Querebantur itaque, quod Palatinus punitus fuisset, antequam satis esset auditus; & quidem ab illis, penes quos non erat tam grave contra excelsam personam iudicium. moderationem etiam Cæsaris, qua filiis, & agnatis consulebat, non sufficientem esse, neque satis fundatam arguebant; cum agnatorum jura hoc pacto controverterentur, & incerto disceptationis eventui committerentur; quæ tamen innocentibus clara esse testabantur; & ratione quorum ingentes tumultus metuebant tum Cæsari, tum patriæ, suisque ditionibus, de quarum tutela solliciti jam à subditis moniti, de milite cogitabant. Quod responsum magnas curas Cæsari, omnibusque Catholicis, & Principibus injecit; maxime quia tunc innotuerat, Mansfeldium reparato exercitu in Frisia Orientali, quæ ad Imperium spectat, immaniter grassari, & Christianum Halberstadiensem, simili tyrannide savitiam exercere in Episcopatu Osnabrugensi, & una simul sollicitantes inferioris Saxonie Principes ad rebellionem; per Landgravii Hassiæ Mauritiû ditiones impetum in Palatinatum pro restituendo Palatino minitabantur. Cui periculo ut Cæsar occurreret, evocato Ratisbonam Tillio, quem ibidem in conspectu Principum titulo Comitum ornavit, de defensione Electoratus agi cœpit. Mihi incumbere Sanctissimo Domino decursum translationis significare, & addictos quinque mille milites ad illius defensionem urgere. Principes congregati primo Saxonie Electorem placandum duxerunt, in quem finem nomine omnium ad illum missus fuit Ludovicus Landgravius Darmstadiensis illi gratissimus, cui Cæsar ut tanto fideliorem operam navaret, paulo ante Marpurgensem successionem dudum inter ipsum, & cognatum Mauritium ventilatam, servata justitia secundum leges Imperii adjudicaverat, cum condemnatione Mauritiû, quod prævaricasset testamentum sui patris; & quod teneretur restituere omnes fructus, & commoda à tempore conventionis: destinaveratque Cæsar suos delegatos, Electores Coloniensem, & Saxonem, ut subditis Marpurgensibus, aliisque illarum ditionum fidem, & jusjurandum

*Mansfeldius in Frisia Orientali.*

*Sententia de Marburgensi ditione pro Ludovico Darmstadiensi.*

randum remitterent, & ad fidem Ludovico dandam hortarentur.

Ne autem Sua Majestas, vel Principes Catholici à Mansfeldio, Halberstadio, aliisque electoratus translationem minime approbantibus prævenirentur; commissum fuit Tillio, ut quam citissime copias omnes in Palatinatu hiberna agentes, relictis tamen necessariis præfidiis, in Vetteraviam conduceret, & illas cum Anhaltini copiis contra Mansfeldium, & Halberstadium pugnantis conjungeret. Sic enim Mauritiæ Hassiæ ditiones pro Cæsare securæ reddebantur, ne ille, vel deficeret, vel locum hostibus præberet. In hujus consilii celerrima executione non parva fuit difficultas; nam statim illi se opposuit Mauritius, qui nullo modo Tillii militem admittere volebat, cum tamen alias promptissime Halberstadii copias, in Moguntinensem diocesim irrupentes admisisset. Quare Cæsareis maximam suspicionem de collusionem cum Halberstadio, & Mansfeldio ingessit. Verum Tillius non segnem imperata sibi statione adipiscenda, Herberstorfium Heidelbergam evocatum octo millia equitum, & peditum conscribere jussit; ac cum illo collectis aliis præfidiis, assumptisque aliquot tormentis partim Hannoveriæ, partim Francofurti asservatis, in Hassiæ ditionem perripuit; atque mox ad litem Brunsvicensis ditionis castrametatus est, monito Brunsvicensi, se nihil hostile moliturum: Anhaltinus vero cum Corduba castris Mansfeldii Wiltshusium occupantis, & Monasteriensis civitatem cum tota diocesi ambientis, se opposuerunt; utque aliquid melius agerent, Lipstadium obsederunt, atque inde circum circa regionem ab incursionibus Mansfeldii, & Halberstadiensis tutati sunt.

Cæsar interim relicta Ratisbona, ac dimissa Augustissima Imperatrice, secundo Danubio Viennam per superiorem Palatinatum à Bavariæ Duce deductus Pragam properavit, quem semper una die ob communitatem hospitiorum prævenire debui, considerans majori opportunitate non sine sensu doloris ditiones illas profundissimæ hæresi immerfas, in quibus ne unum quidem Catholicum inveni, donec aliquandiu

per

*Copia Tillii in Vetteraviam, & Hassiam.*

*Tillius Castra metatur a-pud Brunsvicensem.*

*Cæsar in Bohemiam progreditur.*

per Sylvam Herciniam in Bohemiam progressus, ad Bischofftheimium deveni, ubi Archidiaconum illum loci obviam habui plenum querimoniis de occupatis pagis à prædicantibus, qui plerumque durante ista controversia inter Cæsarem, & Saxoniae Electorem, redierant, & maxime in limitibus Bohemiae hærebant, & in locis, ex quibus prædicantes exulaverant, nondum Catholici Sacerdotes fuerant substituti; nam & integra Bohemia Sacerdotum penuria laborabat, & regnum destitutum Archiepiscopo, qui ante aliquot menses è vivis decesserat, nec Episcopum, nec Suffraganeum, qui ordines conferret, aut desolatos tueretur pastores cum gregibus, Pastorem habebat. Cæsar post non longam deliberationem, applaudentibus Bohemis, Ernestum Harrachium Principem, virum summae prudentiæ, pietatis, & morum candore insignissimum ad Archiepiscopatum nominavit. verum cum ille adhuc Romæ subsisteret, aliquamdiu quasi officio Suffraganei in conferendis Ordinibus defungi debui.

*Archiepiscopus Pragensis designatur.*

*Præpositus Cottisoviensis juxta Pilsnam.*

In itinere obtulit sese seniculus nonaginta annorum, Virginum Ordinis Præmonstratensium Præpositus, qui aliquoties ad martyrium præparatus, ligatis oculis lictori cervicem præbuerat, quem diligentissime inter medios hæreticos clausuram arcte observantem suspexi, & consolatione plenum dimisi. Nihil illo sanctius, nihil modestius, ac simplicius; nam me in habitu Ecclesiastico, & Prælati quidem violacea chlamyde inter medios capellanos, aliosque oblongis vestibus incedentem, aliquamdiu pro Legato Regis Hispaniæ habuit, multaque de sui Regis laude, militia, ac patrocinio addidit. verum ut Sanctissimi Pontificis Nuntium me intellexit, in genua provolutus, nunquam se in istis regionibus Nuntium à septuaginta annis, quibus vixerat, vidisse referebat, suoque Sacerdotio congratulatus, cum Simeone Canticum Nunc dimittis, cantabat, inquit, se satis vixisse, quando in illis regionibus desperatis Legatos Pontificis vidisset.

*Pilsnensis urbis status.*

Pilsnam eadem die appuli, ubi desolationem Mansfeldii, restorationem Ferdinandi Cæsaris plusquam alibi notavi. in suburbiis enim amplissimis nulla domus

mtis remanserat. plures in urbe domus perforatae, ecclesie dejectae, & monasteria Dominicanorum, ac Franciscanorum fere desolata. sed quod in tantis malis mesolabatur, omnes cives Catholicos, & ne unum quidem haeticum (quod mirum erat, cum Mansfeldius urbem illam biennio, & amplius tenuisset, & Ecclesiam concionibus Lutheranorum violari curasset) inveni, ex quo cognovi verum fuisse, quod mihi fuerat dictum, hanc civitatem, eo quod semper in omnibus praecedentibus tumultibus antiquis, & modernis occasione haesum Fidem catholicam acriter servaverit; per speciale Breve à S. P. M. Gregorio XIII, susceptam fuisse in praecipuam Sedis Apostolicae protectionem; quem honorem Gregorius XV, me suggerente, per aliud breve confirmavit. Vice versa in proximo oppido Rokizzani praeter Parochum recenter institutum, atque ab omnibus contemptum, vix unum Catholicum vidi; nec deinceps Parochos, aut Catholicos Pragam usque reperi, devastatas ecclesias, incensa oppida, vicus, & ruinas quamplurimas. ad lavam monstratum mihi fuit castrum Sbiroff, sexto ab urbe Pragensi lapide, ubi proceres Bohemiae rebelles vita donati detinebantur, quorum consanguinei adventum Caesaris, ut liberationem impetrarent, non procul inde expectabant. Altera die locum felicissimae victoriae Pragensis pertransiens, non sine lacrymis, loco benedixi, diutius considerans commoditatem hostium in editiori loco castra habentium, munimenta, & vallum praeparatum, cujus adhuc vestigia extabant, hortum voluptuarium Stellae, atque non procul inde monasterium S. Margaritae cum pago usque ad civitatem Pragensem extenso, quae omnia, quia non profuerant, merito Divinae potentiae victoriam adscribi judicavi.

Tandem tertia feria hebdomadis Sanctae Pragam adveni, & urbem expectatione majorem vidi, frequentissimi solum Clero destitutam, quem in sacris Paschatis festis, tam in Cathedrali, quam in collegiis animadverti, (si monasteria excipiam) vix duodecimum numerum implentem. Tunc prius animum sumserunt sacerdotes munus aliquot Parochiarum suscipiendi, praesente

L

Caesare,

*Rokizzani omnes haeretici.*

*Arx Sbiroviensis.*

PP. Car-  
melita  
admissi  
Praga.

Cæsare, ad quarum administrationem multos inertes cogere debui. Religiosi Ordinis S. Mariæ de Carmelo Discalceatorum aliquandiu pro sua admissione in urbem institerant; neque illud facile erat, tum Bohemis etiam Catholicis, qui exteros difficulter admittebant; tum nonnullis Religiosis, qui suæ vicinæ metuebant, se opponentibus. major erat de loco difficultas; nam unam ex ecclesiis novis, de quibus, ut retulimus, fuit principalis controversia, ab hæreticis splendidissime ædificatam ambiebant; de qua tamen dudum disceptabatur, an, quia impendiis hæreticorum ædificata, esset destruenda; vel si integra esset servanda; an Præmonstratensibus, in quorum fundo ædificata dubitabatur, concedenda esset. Alii cives minoris partis, eo quod amplissimo cœmeterio condecorata esset, quod sepultura incolarum deservire posset, illam in Parochialem converti postulabant. Sed memoria Pragensis victoriæ, cui P. Dominicus à S. Maria interfuerat, Cæsarem etiam ad nostram intercessionem de ecclesiæ illius dispositione movit, ut inibi Ordo Carmelitarum fundaretur. illam itaque loco multarum ecclesiarum per hæreticos destructarum integram servari, & præfatis Patribus consignari mandavit. Opposuerunt sese statim Patres Dominicani è regione ad S. M. Magdalenam habitantes, & non leves difficultates in Bullis SS. Pontificum fundatas produxerunt; sed illa omnia Romæ ventilata tandem pro patribus Carmelitanis lata fuit sententia. Paulo post Patribus Ordinis Sancti Francisci de Paula alia ecclesia hæreticorum urbis veteris donata fuit, ad erigendum ibidem illius Ordinis Monasterium in compensationem eorum, quæ quondam rabies Hussitica perdiderat. subdam rem memoratu dignam, observatam à piis curiosis, quod in ecclesia, & in omnibus januis domus ecclesiæ adjunctæ, in qua prædicantes habitabant, & postea dicti fratres Minimi successerant, erat insculptum: Quod minimis meis fecistis, mihi fecistis. Certe hæreticis prophetantibus ecclesiam, & domum futuram esse præfatorum Religiosorum Minimorum. Præterea ex præcipuis Hussitarum ecclesiis Paro-

Datur il-  
lis Eccle-  
sia hæreti-  
corum  
parva  
partis.  
Ecclesia  
altera  
PP. S.  
Francisci  
de Paulo  
donatur.

Parochialis una fuit S. Galli, quæ Carmelitanis Conventualibus, sicut & alia S. Wenceslai, Patribus Ordinis Discalceatorum S. Augustini, altera S. Michaelis, Patribus Ordinis Servorum B. Mariæ ad commendationem nostram fuerunt assignatæ.

Ne autem tot Religiosi sine studiis virtutem exci-  
tantibus diutius sordescerent, vel inedia interirent; novellis istis Ordinibus occupatarum ecclesiarum red-  
ditus, qui in S. Wenceslao, S. Michaeli, S. Gallo, &  
S. Salvatore non exigui fuerunt; assignati sunt: Patri-  
bus vero Dominicanis, Franciscanis Conventualibus,  
& Augustinianis ad S. Thomam, ex ærario regio sem-  
minaria fundata fuere satis liberali reddito annuo, qui  
duodecim, vel quindecim Religiosis in studiis philo-  
sophicis, ac Theologicis alendis sufficerent. collegium  
Carolinum, quod celebre erat Hussitis, ubi suos erro-  
res profitebantur, & gradus male doctis conferebant;  
una cum omnibus collegiis, seu seminariis inde de-  
pendentibus, P. P. Societatis Iesu pro erectione Uni-  
versitatis Catholicæ donatum fuit, dummodo con-  
sensus Apostolicus accederet. Ac tandem, ne quid  
deesset sæculari Clero, Canonicæ portiones mirum in  
modum à Cæsare auctæ; Archiepiscopatus, Dignita-  
tes, Decanatus, Præposituræ, quasi de novo erectæ  
fuerunt. Imo jam de Clero in universum contempto, ac  
quasi ad opprobrium, & abjectionem deducto, ad  
pristinum statum, ex quo ante ducentos annos excide-  
rat, reducendo, ut inter Ordines regni numeraretur,  
& primum locum obtineret, actum fuit. verum hoc  
initio majoris molis, quam putaveramus, repertum  
est, nihilominus fundamenta tunc jacta sunt, quibus  
postea insistendum fuit. præterea, quia in usu Calicis,  
ex indulto quodam à f. r. Pii Papæ I V regno Bo-  
hemiæ finitimisque regionibus concesso laicis sub  
certa forma, & conditionibus, pro pacandis præfatis  
regionibus, permisso; debitus, ac statutus ordo non  
servabatur, seu à communicantibus non implebatur,  
quin potius variæ sectæ, & hæreses sub illa commu-  
nitione tegebantur, ita ut nec honor Dei, nec pax regni  
Bohemiæ, neque etiam ipsa Religio Catholica (cujus

*Alii Or-  
dines Prae-  
gæ admittuntur.*

*Augen-  
tur reddi-  
tus Cleri  
Canonicorum  
Decani, &c.*

alias augendæ gratia illa & concessio introducta fuerat) ullo pacto promovebantur, ex ordine Sanctissimi Domini de voto D D. S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, quibus de supradictis relationem feceram; Calicis usum laicis Bohemis, & aliis vicinarum provinciarum inhibui, contradicentibus nonnullis ex primioribus viris, spe inani deceptis uberioris fructus in Religione Catholica, si de novo cōcederetur.

In Moravia, me suggerente, Cæsar per particulare diploma prohibuit excursionem hæreticorum ad concionatores hæreticos; recuperavit jura patronatus ab hæreticis Baronibus occupata, ab Eminentissimo pariter Cardinali Dietrichstain, & ab aliis Religiosis viris, & Baronibus Catholicis fuit summopere laboratum pro conversione hæreticorum ad Catholicam Religionem. quare non solum multi nobiles, sed civitates integræ; ut Polnensis, & aliæ ad gremium S. Ecclesiæ Catholicæ redierunt, ad quod multum conduxit expulsio prædicantium à Zenoima; & quod Deus voluerit ostendere signa suæ pietatis, cum ob intercessionem S. Paulinæ Virg. & Mart. cujus reliquiæ coporis paulo ante fuerunt dono datæ à Gregorio XV Collegio Olomucensi, pestis sævissima in eadem civitate hoc tempore fuit extincta.

*Fœdus  
Arca-  
num pro  
restitut.  
Palatini.*

Interim in inferiori Saxonia de translatione Electoratus, quæ multis summe displicuerat, serio apud Ordines deliberatum est; & quia Tillius non procul à Brunsvicensi ditione cum exercitu sedem fixerat; sub specie districtum illum tuendi à milite tam Tillii, quam Mansfeldii adhuc in Frisia hærentis; inter Regem Daniæ, Electorem Brandeburgensem, Ducem Brunsvicensem, Ducem Holfatiæ, & Mechelburgensem, civitates Bremam, Lubecam, Hamburgum, Lüneburgum, & alias arcanum fœdus initum fuit, cui Christianus, Dux Brunsvicensis sese cum Imperio Præfectum præbuit. verum cum tantum ad defensionem dicerentur servituræ copiæ; Dux Lüneburgensis, qui jam à triginta circiter annis præfecturam ordinariam Circuli sustinuerat, hoc sui muneris fore existimans, collectis aliquot copiis nomine totius Provin-

*Modestia  
Ducis Lüne-  
burgensis.*

ciæ

ciæ moderata præsidia disposuit, magnaue modestia vim deprecatus fuit. Alii tamen præfato Christiano Brunsvicensi clam copias suas commiserunt, eumque bellico apparatu promoverunt, qui in proximam Westphaliæ aliquandiu secedens, ac cum Mansfeldio tractans plenis exercitibus in fratris sui ditionem, & in Halberstadiensem Diocesem revertens, propriis concivibus metum incussit, indignatusque Duci Lunenburgensi, quod alias tam frigide arma illius districtus movisset; & quod non ita pridem contra illius parentem Comitatum Grubenhagensem à Cæsareis Delegatis impetrasset, non modice ei, & Cæsari offende-  
batur; neque jam aliquis dubitabat, quin contra Cæsarem tam validum exercitum instruxisset, tum ut Palatinum cognatum suum restitueret; tum ut confirmationem secularem sui Episcopatus Halberstadiensis obtineret, & impune leges latas ab illius Capitulo, nec non ab ipso confirmatas, sacramentaque de novo exacta in præjudicium Catholicorum Canonorum stabiliret. nihilominus illius frater Ulrichus Dux Brunsvicensis, qui & ipse non parum Cæsari offende-  
batur, eo quod ad nostram instantiam investituram Ducatus Brunsvicensis ad instar parentis sui obtinere non potuisset propter bona occupata à suis prædecessoribus tempore Caroli V, Episcopatus Hildesheimensis, pendente lite in Camera Spirensi, iram dissimulans, Tillio, & per eum Cæsari persuadere nitebatur, Christianum fratrem nihil hostilitatis contra Cæsarem velle movere, atque ideo velle Mansfeldium equitatum dimittere, sibi Duci militare, nec in aliquo Circulo inferioris Saxonie, aut alium vicinum offendere, nisi prius lacefferetur. quare etiam Tillium rogabat, ut quietis amans, nihil contra inferiorem districtum moveret. verum hæc tantum eo fine dicebantur, ut Christianus impune meliora loca occuparet, aciem mature instrueret, & aditum sibi in Bohemiam aperiret. nam eo ipso tempore à Saxonie Electore transitus in Bohemiam petebatur, ab Eisfeldensibus collatio non exiguæ summæ pecuniarie impetrabatur, & copiae multo majores, quam opus esset, conscribebantur; jamque

*Disimulatio  
Brunsvicensis.*

Cum  
Bethlema  
conspi-  
ratio.

Halber-  
stadius  
primo  
aggre-  
ditur Ca-  
sareos.

Caesar ab-  
sum  
Praga pa-  
rat.

Christianus cum Mansfeldio copias unire studebat. Imo Fridericus, & Mansfeldius Bethlemum Gaborem & Bohemiam urgebant; tractatusque à Rege Anglia cum Hispanis institutos, se invitis omnem pacem ejurantibus, profectos esse testabantur. nec desinebant Christianus, ac Mansfeldius ditionem Westphalicam devastare, arcem Rettelianam invadere, aliaque loca, jam non sua, ut aditus Tillio præscinderetur, præsidium munire. Quare Tillius tum coactus fuit Brunsvicensis Ducem fratrem Christiani Halberstadiensis de mala fide, ac violentia arguere; & castra sua Hirsfeldiam, necnon in Eisfeldiam ad occurrendum violentiis Christiani promovere. Ibi cum aliquandiu substitisset, diribitorium occupata Eſchewega, Altendorſio, & Wiſſenhuſio instituit. ac nonnunquam cum Christiani Brunsvicensis militibus velitationes, quæ tamen insolentiæ militum potius adscribebantur, permisit. Bis Christianus Casareos milites primo insolentes aggressus, semel Francisci Alberti Lawenburgensis Ducis legionem in viarum angustias conjectam afflixit, eique omnia impedimenta ademit. Alias Einotenſis Tribuni legionem opprimere tentavit; sed ipse aliquot signa satis magna clade suorum amisit.

Cum interim hæ clades, & pericula Casari adhuc Pragæ hærenti renunciarentur, jamque fama percrebuisse de Bethlemi Gaboris apparatu; inconsultum judicans loco minus tuto diutius hære, Viennam festinavit, ubi mihi cæterum Bohemiarum, nec non partem Moraviarum videre licuit, sicut & aliam partem omnino desolatam; &, quod maxime desolebam, totaliter hæresi infectam, è qua non ita pridem prædicantes hæreticorum migraverant, & populus nunc à Religioso Polono, aut Germano in defectum Bohemorum sobrie satis instruebatur; tum ob defectum scientiæ, probæ vitæ, parvi respectus, paupertatis, diffidentiarum, tum vel maxime ob obstinatam voluntatem incolarum, quod patienter dissimulandum fuit, donec adesset in tanta messe major maturitas, & operariorum abundantia Sacerdotum. interim tamen ut à teneris assuescerent

scerent Catholicæ Religionis; in singulis locis, scholis præfici curavi Clericum Catholicum, cui etiam necesse erat in absentia Sacerdotum nonnunquam ad tres, quatuor, vel plures leucas distantium, necessarium Baptismi Sacramentum ministrare, & Cathedismum diebus Dominicis loco concionis, ac Sacri perlegere.

Antequam Praga discessissem, de restauranda principali Abbatia Hirsfeldensi, novissime à Tillio recuperata deliberare coepi, illam enim inter hæreditaria sua bona numerabat Mauritius Landgravius Hassiæ, qui eam filio suo secundo genito jure patronatus, vel potius summa injuria donaverat, neque unquam à Cæsare, vel à Sanctissima Sede tantæ Prælaturæ Ecclesiasticæ confirmationem acceperat, ac nihilominus integris fructibus fruebatur. Commendavi tunc Sanctissimo P. P. Gregorio XV Archiepiscopum, & Electorem Moguntinum, cujus in Germania ob Cancellariatus officium est maxima auctoritas, quem etiam uti illi loco vicinum Principem, ac zelo Dei percitum, judicavi facilius ad possessionem admittendum, juraque è Cancellaria Imperii eruta quam commodissime posse restaurare; prout ipse Sanctissimus Dominus optime consideravit, ac tanto beneficio, jure devolutionis ad ipsam Sanctam Sedem spectante præfatum Moguntinensem Electorem condecoravit. Et insuper ne deficiente Archiepiscopo Electore, iterum Abbatia occuparetur ab eodem Landgravio, Coadjutorem in eadem cum futura successione instituendum curavi Archiducem Carolum, ut cum sua, & suæ domus potentia illam tueretur.

Cæsar etiam antequam è Bohemia discederet; singulariter opus restaurandæ Religionis Domino Archiepiscopo commendavit; mandans suo relicto Legato, ut solius Divinæ bonitatis, ac justitiæ intuitu, nulli indulgeret; sed in omnibus, & per omnia Catholicæ disciplinæ præsentem manum adhiberet. Exemplo suo doctrinam, ac mandatum voluit stabilire: bis enim miraculosam B. Virginis ædem Brandisii tertio ab urbe lapide voluit visitare, atque liberali dono aliquot millium ducatorum (quod multum erat in tanta ege-

*Abbatia  
Hirsfeldensis  
disposita.*

*Decretum de  
Religione  
in Bohemia.*

*Decre-  
tum de  
restit. ba-  
norum  
Ecclesie.*

state, ne dicam necessitate) Ecclesie illius structuram promovere. Alterum decretum antequam abscederet in favorem Cleri pene exciderat de restituendis bonis ecclesiasticis, nam cum passim fortunæ reorum venderentur, essentque inter illas, quæ ad sacrum Ordinem quondam spectaverant, relictos Vicarios monuit, ne similes venderentur, vel jam venditæ alio beneficio non inæquali cõpensarentur. Hinc nõ multo post quolibet totius Bohemie Prælatos requiri voluit, ut scripto consignarent, quod, quale, quantum, quando, à quo fuissent bona Ecclesie ablata, & à quo tunc detinerentur, ut suo tempore posset Prorex à venditione talium abstinere, vel simili beneficio compensare.

*Cæsar in  
Austriam  
redit.*

Duodecimo post decessum die modicis itineribus Cæsar Viennam devenit, ubi mox memor quanto incommodo, & periculo vitæ, suarumque fortunarum in Bohemia, nec non in Germania eum vivere contigisset ob unam hæresim, quæ tantam excitaverat inter subditos, & hæreditarium Dominum diffidentiam, ut vix Dominus securus, & vix subditus quiete dies suos posset transigere; de restauranda Religione, saltem in hæreditariis Provinciis, serio deliberavit, hortatusque est eos, ad quos cura ecclesiarum spectabat, ut non minus doctos, quam probos animarum curiones, animabus præficerent. Deinde inquisitione facta, an in locis non privilegiatis, qualia erant oppida Austriæ, & majores vicus Cæsarei, alicubi esset exercitium sectarium; ubi intellexit adhuc in Grawenwerdt, Langenloise, & Forthoff, dissimulatum fuisse exercitium hæreseos; statim Andrea à Stadl, Casparo à Nienhaus, & libero Baroni Ioanni Ioachimo ab Aspan, respective illorum locorum jure oppignorationis dominis, omne exercitium sectarum interdixit; imo de facto Doctorem Schafflerum una cum Patribus Societatis Iesu è Collegio Cremfensi Langeloisum mitti voluit; civibus severis mandatis præcipiens, ut instructi statim Catholicam Religionem complecterentur; quia nunquam concessa fuerat Religionis libertas quarto ordini plebejo in minoribus oppidis, ac vicis, sed solum nobilitati in propriis arcibus, domibus, villis, & molendinis, aut in aliis locis proprio usui destinatis. Hinc

*Diverse  
prohibi-  
tiones hæ-  
retici ex-  
ercitii.*

Hinc ad minora oppida Cæsar conversus, omnes ci-  
 ves, aut incolas Catholicæ Religionis nomen dare vo-  
 luit, incipiens ab Entzestorfensibus, Pratersstorfensi-  
 bus, Modlingensibus, Bandensibus, ac Draskirchiis,  
 quibus in locis jus civium obstinatis in hæresi denega-  
 ri mandavit. Nec minus de Styria, Carinthia, & Car-  
 niola sollicitus Episcopo Lavantino restaurationem  
 disciplinæ Catholicæ commendavit, eamque ut satage-  
 ret disertis verbis præcepit. Et quia Iaurinenses tam  
 præfidiarii, quam institores plerumque erant turpi hæ-  
 resis labe infecti, à quibus tamen tanti momenti con-  
 tra Turcas repaguli conservatio dependebat, serio de  
 restitutione Catholicæ Religionis ibidem agi voluit,  
 mandans, nisi id obtineretur, locum Catholicis præfi-  
 diariis committi.

*Coguntur  
ad Reli-  
gionem  
Catholi-  
cam inco-  
la Au-  
stria.*

Sæviebat interim bellum in inferiori Saxoniam, ubi  
 Halberstadiensis miles acriter sese Tillianis opponebat;  
 jamque passim vicinis data fuerunt arma, ut milites  
 pabulatores expedirent; & Tilliani vice versa incendio  
 aliquot pagos castigarant. deinde arces duas in ditone  
 Brunsvicensis Ducis interceperant, quas & munire,  
 ibidemque castrametari cœperant; tanto confluxu co-  
 piarum, ut Ordines inferioris Saxoniam diem Lunebur-  
 gi indixerint ad restinguendum incendium, quod alio-  
 quin, ut prudenter prospiculabantur, integram vici-  
 niam erat pervasurum.

*Bellum in  
Saxonia  
inferiori.*

*Comitia  
Lunebur-  
gensia.*

Scripserat Cæsar ad præfatos Ordines congregatos,  
 eosque rogaverat, ut Christianum Brunsvicensem in-  
 tra modestiæ limites continerent, & ad acceptandam  
 Suae Majestatis gratiam jam pridem oblatam perduce-  
 rent, vel omnino eliminarent, cum tam pernicioso il-  
 lius exercitu; ne cogeretur præter suam mentem con-  
 trariis copiis illum prosequi, ac fidos sibi socios à tot  
 ruinis vindicando, etiam ipsis obesse. Quod cum Ordi-  
 nes Christiano proposuissent, neque adhuc (aliter sen-  
 tiente Luneburgico) illi adhærere decrevisent, absque  
 cunctatione Christianus exercitum suum Visurgim  
 transduxit per pontem Hammelensem; Comitatum-  
 que Lippensem tum infestare cœpit, incenso prius in  
 Eistia insigni monasterio Gerodiensi, quod ad Electo-

*Halberst.  
Cæsaris  
gratiam  
respuit.*

rem Moguntinensem attinebat. Cæsaris vero oblatam gratiam respuens, cum nondum conciliari voluisset; multa, quæ fugillaret, invenit. quare illa minime contentus ulteriorem veniam pro se, & pro omnibus illi militantibus, nec non iis, & sibi secundum illa omnia, quæ Daniæ Rex in novissima Viennensi Legatione à Cæsare petierat, satisfieri postulavit. Quibus verbis tecto nomine Palatini causam agens, illum ex integro dignitati, & fortunis omnibus restitui, & de aliis tam suis, quam fratris sui nondum ad investituram Brunsvicensis Ducatus absolute admissi, ob bona, de quibus diximus, Ecclesiæ Hildesheimiensi adempta; pacisci volebat, sicque Cæsarem in ordinem redigere, atque alia postmodum suæ familiæ, & sibi ratione Halberstadiensis Episcopatus impetrare cogitabat; ita ut sine pugna victor diceretur Cæsaris; & plus commercio, quam armis profecisse cognosceretur. Quæ cum præter Cæsareæ Majestatis dignitatem postularentur, essetque periculum, ne illa similibus commerciis degradaretur; Cæsar prudentissime postulata distinxit; & singulariter ipsi Christiano, ejusque militibus præsentibus, cujuscunque tandem conditionis essent; gratiose veniam indulgere promisit; hac sola reservata conditione, ut qui ex hæreditariis provinciis contra Suam Majestatem militassent; deinceps ex eisdem provinciis excederent, & oblata gratia infra octiduum à die publicationis uterentur, in cæteris prudenter dissimulavit absque alicujus personæ, causæ, aut occasionis explicatione.

*Cæsaris  
gratia ob-  
lata re-  
spuitur.*

Verum Christianus, qui nunquam paci animum applicuerat; his non contentus, insanire perrexit, & exprobrato prius universo Circulo Saxonico, qui illius audaciæ particeps esse noluerat, illumque extra limitem rejecerat; quam socorditer causam suæ patriæ otiosi defenderent, & quanto periculo Cæsari, longe altiora erga ditionem illam cogitanti, se suaque stolidè concrederent; exercitum suum in ditionem Monasteriensem, deinde Coloniensem, atque ita in Belgium Hispanicum abducere cogitavit, quo tandem spoliatis illis regionibus, & præciso nervo Hispanico,

in

in Belgium militem Burgundicum ex Palatinatu re-<sup>Intentio</sup>  
 vocaret, sui que brachii amissionem vindicaret; ac tan-<sup>Halber-</sup>  
 dem per illam viam Palatinum proscriptum patriæ <sup>stadiensis.</sup>  
 suæ regnoque Bohemiæ restitueret. Ast Tillius cum  
 suo exercitu fugientis vestigia premere constituerat, &  
 ut alicubi primas copias detineret; Anhaltinum evoca-  
 verat cum aliquot copiis Burgundicis, quo vires con-  
 jungerent ad prælium, si sese occasio ferret in eundem,  
 antequam Halberstadius Rhenum attingeret, & Hol-  
 landorum copiis, prout disposuerat, suas uniret. Favit  
 Deus bonæ intentioni Tillii, qui 31 Iulii Horem ap-  
 pulit, & prima Augusti per patentissimum campum  
 Samen copias suas in ditionem Ravenspurgensem  
 transtulit, ac tandem quarta die Anhaltini copias in  
 Greve suis conjunxit, cum paulo ante Halberstadiensis <sup>Prælium</sup>  
 etiam suas Embresam traduxisset. Intellexerat tunc Til-<sup>ad Stad-</sup>  
 lius Halberstadiensem prope Stenvordam consistere, <sup>loo contra</sup>  
 suosque ibidem in aciem constituisse, quare quo cer-<sup>Brunsvi-</sup>  
 tior de ordine, loco, numero, & castris fieret, Tribu-<sup>censem.</sup>  
 num Avandanium cum legione equitum aliquot  
 Croatis exploratibus adjunxit; ipsemet vero cum toto  
 exercitu optime disposito subsequutus est. reperit jam  
 hostem primos ordines Avandanii invasisse, quibus  
 continuo 500 sclopetarios submisit, quorum virtute  
 hostis retrocedere coactus est, non tamen ordines dis-  
 solvit; nocte autem succedente, data fuit utrimque  
 quies, sed Halberstadiensis tenebrarum beneficio usus, <sup>Fugit</sup>  
 usque ad sylvam prope Statloo devenit inter aquas, & <sup>Halber-</sup>  
 vallum, ubi sibi tutum fore refugium arbitrabatur. sed <sup>stadiensis.</sup>  
 Tillius circa meridiem locum prospiculus die 6 Au-  
 gusti (quo Romæ Sanctiss. D. Urbanus VIII Pontifex ad maximum Urbis, & Orbis bonum electus fuerat) Equitatum Ducis Adolphi de Holstain, & Tribuni Herberstorffii præcedere iussit, illisque succedere legionem Junioris Tillii, equitatum legionibus peditum Schonbergii, Furstenbergii, Ducis Henrici Iulii Lawenburgensis, & Erwitii, suffulsi, quibus rursus opposuit equitatum Linattenii, Lindloi, & Nucenhaimii. deinde ipsemet in medio totius exercitus cum cæteris legionibus consistens, signum pugnae dedit, ac mox spatio duarum  
 hora-

*Numerus  
occiso-  
rum, &  
captivo-  
rum.*

horarum totum exercitum Halberstadiensis, qui tri-  
ginta circiter millibus armatis constabat, adeo dissi-  
vit, ut 6000 in ipso loco sint caesa, quatuor mille sese  
dederint, caeteri captivi, laesi, ac fugati fuerint. Inter  
captivos numerati sunt tres Duces, quatuor Comites,  
sex Tribuni, & facile centum Capitanei cum ducentis  
signiferis, ac magni nominis ministris. Halberstadius  
ipse fuga sibi consuluit cum duabus equitum turmis,  
amissis duodecim tormentis bellicis, totoque exerci-  
tus bellico apparatu.

Accidit autem hoc tempore, quod Religiosus qui-  
dam reformatæ Religionis (cujus nomini parco) in-  
discreto zelo conjuncto cum summa propensione in  
domum Bavaricam (licet incio Electore) transfuderit  
socium suum ejusdem Religionis ad Regem Angliæ,  
illique in scriptis offerre jusserit talem propositionem.

*Propositio  
ad Regem  
Britanniæ  
à Religio-  
so quo-  
dam.*

Duplicem viam magnæ Britannæ Rex habet, ut  
negotium Palatini, & suorum filiorum terminet, ut-  
que rem sui regni consolidet. Prima quidem est cum  
Protestantibus se unire, cumque iis, qui Protestantes se-  
quuntur. Secunda vero cum Catholicis bene conveni-  
re. Ambæ quidem maximorum eventuum capita esse  
possunt: quoniam ambæ potentes sunt, & sicuti Prote-  
stantes auxiliari possunt, quippe qui amici sunt; sic et-  
iam alii nocere possunt, quia inimici existimantur.  
Quæritur nunc, utra harum viarum magis conferat ad  
easdem dissensiones componendas, regnumque firman-  
dum, an ut S. M. cum Protestantibus se uniat, an potius  
cum Catholicis bene conveniat.

Hujus quæsti veritas, ex qua bonum, aut malum re-  
gni dependere potest, ex tribus dependet. primo ex  
auxiliis, quæ Protestantes afferre possunt. secundo ex  
damnis, quæ in eos à Catholicis inferri possunt. tertio  
ex securitate, quæ haberi ab iis Catholicis potest.

De primorum auxiliis loqui possumus vel de facto,  
vel de possibili.

De possibili quidem multa esse, ac formidabilia affir-  
mo, quoniam totus pene Septentrio posset S. Majestati  
favere: Daniæ Rex, Saxo, Brandeburgicus, Hollandi,  
Hugonotti Gallia, Gabor, & Vngaria, & sic videtur  
quod

quod Angliarum Rex ex omnibus mundi partibus ipso immoto manente, motus excitare posset. Et cum ipse sese movere vellet, sui regni viribus contra quemlibet potentem Principem bellum gerere posset. De possibili ergo magna sunt auxilia.

Quoniam vero argumentum de possibili ad esse minime concludit, & in rebus publicis, & præcipue in rebus bellicis multos Principes in errores intolerabiles ingessit, proinde videndum, qualia sint auxilia de facto.

Ex quiete ad motum longior cursus, quam ex motu ad motum. Catholici profecto sunt in motu belli, & quod maximum est, belli, cui plaudit victoria. Qui auxilium ferre possunt, adhuc moti non sunt, ac majori impendio fiet ab ipsis, & majori apparatu se ad bellum promovendum accingent, quam inimici ad bellum profequendum. constat quantum dispendii fuerit in militia componenda, quæ hinc in Palatinatum missa fuit.

Hinc aliquis fortasse dicet in eo casu magis conferre Regi, quoniam ejus arma recentia forent, aliorum vero omnino fatigata, at responderetur minime fatigata esse, vel etiam si fatigata essent, in hoc prævalent, quod victricia sunt. Quare adversæ parti opus erit extraordinario conatu, supposito quod Catholici velint dimicare tanquam possessores ad simplicem defensionem.

Verum quod magni refert, quippe victores volent etiam offensivum inferre, & ideo de facto non concurrent multi eorum Principum, qui principalia auxilia possent subministrare, & quorum momentum maximi faciendum est, tanquam maxime intrinseci; iique sunt Germaniæ Principes, quoniam præterquam, quod sunt viribus exhausti, territi sunt etiam eorum exemplo, qui contra Catholicos investiti sunt, non obstante quod illis temporibus Catholici nec possessores erant, nec victores, immo viribus longe inferiores, & tamen in quem statum deducti sint, ignorat nemo. Quamobrem tanquam propriæ quietis amatores in indifferentia stare volent. immo eorum nonnulli; propter res privatas contrarii efficientur, sicuti visum est, & adhuc  
etiam

etiam videtur. Sed his omnibus datis, & concessis prudens sane Princeps maxime in belli materia, in qua non minus timore, quam spe utendum est: nunquam fundamentum ponet in alieno auxilio, sed necesse est, cum bono arario rem agere magis in re, quam in spe, & hac de causa Palatinus male consultus, pejorique adminiculo fultus, cum propter defectum pinguis ararii illo conatu, quo cœpit, prosequi non potuerit, in eum statum, in quo cernitur, redactus est. Nunc an regnum habeat plenum ararium ad multos annos (certum enim est ad multos annos bellum gerendum esse) immo an regnum ad multos annos subministrare queat illa auxilia, quæ supponuntur, qui bene novit hujus regni perfectiones, nec non defectus, jure optimo potest abnuere. Adde etiam bellicosum Caput deficientem, itemque unio, quæ adeo necessaria est inter Consiliarios, & regni primates, non reperitur. Deficientia ergo, & valde periculosa sunt auxilia per istam viam.

De damnis secundorum pariter loqui possumus de facto, vel de possibili.

De facto videtur illos bellum in Germania abstulisse, & in unum angulum prope mare illud constrinxisse, cum alieno statu potiti fuerint. Tali ratione precipuos bellatores suos hostes adeo humiliaverunt, ut non possint amplius hi caput extollere. Et stantibus rebus, prout stant, talia hæc damna sunt; ut ad iis medendum, tametsi omnia auxilia, quæ de possibili sunt, haberent; adhuc anceps res esset.

Et optime considerandum est istos inimicos Catholicos esse defensivi belli magis, quam offensivi, magisque vi, quam electione. De possibili igitur bellum geri potest offensivum, & per electionem. Nec tamen possibilitas ista à facto distabit, quoniam ingrediens Rex primam viam necessario contra Catholicos bellum includit, quoniam fit statim de Religione bellum; multi Catholici Principes unientur, ac Papa ipse primus erit. Nunc damna, quæ intulerit hæreticis, cum contra eos bellum actum est de Religione, quidque suas exerens vires Papa potuerit; qui historias caller, optime novit

Verum

Verum in quem statum redacti sint Protestantes inimici, eorumque sequaces, cum contra ipsos Catholici uniti fuerint; videri potest. Nam Palatinus propriis regionibus Cæsarem pœne privaverat, ac eum Viennæ aggressus fuerat, in qua quidem urbe plures habebat inimicos Cæsaris, quam amicos. Verum cum aliqui ex Catholicis Principibus simul una conspirarent, cum & ex iis, quas abstulerat provinciis rejecerunt, & iis, quas jam proprias habebat, spoliaverunt. Quare quemadmodum magna sunt damna, quæ à Catholicis Regi illata sunt in re Palatini; majora esse possunt, cum non bene cum eisdem Catholicis conveniet. Majora, inquam (& hæc deberent à S. M. & prævideri, & magis quam alia timeri) & cum Palatinus sua non habeat oppida ea existimans ob Regis defectum se non recuperasse (ut perpetuo dicent, ac de facto omnes ejus amici deblaterant, ac præcipue regni Puritani in Regem, ac Principem male affecti, ac adeo in ejus amorem propendentes, ut eos non pudeat palam proferre à se in illo regno eum desiderari) nunquam illud regnum internis dissidiis agitari desinet, propter magnam correspondentiam, quam ille ibi retinet, quæ in Regis Principis, ac regni perniciem tristem aliquam tragædiam poterunt excitare.

Ex duabus istis igitur, hoc est, ex debilibus auxiliis, quæ à Protestantibus habebuntur, & ex multis damnis, quæ à Catholicis inferentur, quasi ex duabus præmissis potest absque ulla dubitatione concludi, potius Regem cum Catholicis bene convenire, quam se cum Protestantibus unire debere.

Sed quia tota vis consistit in hoc; quantum Rex poterit se Catholicis credere, tanquam inimicis existimatis:

Dicitur tandē tertio, & ultimo loco, duo Catholicorum genera existere. Aliqui Majestatem Suam auxilio sustentare possunt, sed possunt pariter in eam zelotipiam injicere, in re maxime dominatui annexa. Alii vero Regi favere, & auxiliari possunt directe & indirecte; zelotipiam vero in eum injicere non possunt. si S. M. volet cum primis convenire, facere id poterit. poterit enim magna

magna

magna inde auxilia obtinere, omnino vero illis se credere non poterit. Si vero cum secundis bene conveniret, quales sunt Catholici Principes Germaniæ, alique libertati Imperii adhærentes; dico Majestatem S. debere omni ratione; si finem excitatis dissensionibus velit imponere; resque sui regni consolidare, cum his bene convenire; neque alia sine periculo iniri poterit. nam si se Protestantibus adjunget, eorumque assensibus, vel omnino, vel magna ex parte, bene cum Catholicis convenire, ac ab ipsis auxilia recipere non poterit. Sed si bene conveniat cum Catholicis; non tamen ideo cogeretur à Protestantibus dissentire, cum possint una omnes coire.

Declaravit postea oretenus bonus iste Religiosus tam Regi, quam suis Consiliariis, quod caput istorum minorum Principum Germaniæ quandoque erat Dux Maximilianus Baviaræ; cum illo deberet tractari unio, & compositio de negotio Palatini promovendo, licet inscio Cæsare, promittens reconciliationem Cæsaream, dummodo Palatinus filio vellet dignitatem cedere, vel post obitum Ducis Maximiliani officium Electoris concedere, & ad totam rem componendam Cæsarem certis pactis conditionibus de Catholica Religione asserenda, Archiducissam filiam Minorem filio Palatini desponsuram, qui educari deberet in Aula Bavarica; vel alterius Principis Catholici in Germania; & dum adolesceret, ipsemet Fredericus Palatinus totum Palatinatum gubernaret, & regeret tutoris nomine. Ista tractatio fuit instituta, & producta per aliquot hebdomadas, sed evanuit priusquam devenisset ad notitiam Cæsaris, & Regis Catholici; & si habuisset operatum finem, qui erat stabilire dignitatem Bavari quoquomodo poterat cum unione ejusdem Bavari, cum inimicis Cæsaris, etiam si S. M. & Domus Austriaca non fuisset; utique origo fuisset discordiarum inter Domum Austriacam, & Bavaricam, & ruinæ utriusque, quod semper procurarunt, & procurabunt hæreti-

hæretici; cum unio istarum duarum familiarum, sit unum ex principalibus fundamentis conservationis Religionis Catholicæ in Germania. sed sperandum est, quod bonitas divina disrumpet in futurum consilia impiorum, quemadmodum disrupit tractationem istam excæcando intellectum Regis, & Palatini, ne vellent consentire, præter alia, ut ejusdem Palatini filius educaretur in Aula Bavarica.

Bethlemus interim, ut addixerat, victoriæ ignarus arma in Vngaria moverat, una cum Turcis, & Tartaris, quos fidei datæ oblitus magna summa sibi coëmerrat; ideo Cæsar copias, quæ in Bohemia, ac Moravia erant sub Hieronymo Carafa Marchione de Montenegro, ad resistendum tanto exercitui quam celerrime collegit; conduxitque sex Cosaccorum millia, quæ prius in Moravia exauctorata fuerant. quem exercitum in Moraviam progredi iussit, sed jam Bethlemus occupato oppido S. Andreae, & accensis suburbiis Fillechensibus, Epporissium, Tirnaviam, multaque alia loca in suam potestatem redegerat, trucidatis quam miserrime militibus, qui ad eorundem locorum præsidia ex legione Tiefenbachi excubabant. Excurrerat eodem impetu pars una illius exercitus in suburbium Possoniense, ut in Austriam pervaderet; illamque provinciam more suo incendiis vastaret, sed Neusolium, & Commorra, quam plurimum procedentem retardavit, alia vero pars aditus omnes in Moraviam occuparat, quo postmodum integer hostilis exercitus, devastata Vngaria, se recepit; ut simili clade Moraviam affligeret, vixque tunc erat, qui tantis copiis se auderet opponere.

Quare in Bohemia, & Moravia timor maximus populos invaserat, qui passim Pragam deserentes locis tutioribus se, suasque fortunas credebant, tanto strepitu, & plausu hæreticorum, ut jam esset, qui auderet Catholicam Religionem ejurare, irridere, ac rursus Lutheranam, ac Calvinianam pestem sibi promittere. Sic suos concives consolabantur exules Bohemi, sic conabantur persuadere suis confœderatis hæreticis, qui in Palatinatu superiori, in Franconia, & in Germania

M

disperfi,

*Motus Bethlemi in Vngaria.*

*Pragenses, & Palatini gaudens.*

disperſi, in oppidis, ac civitatibus Imperialibus hærebant; ſibi que de Mansfeldii, Halberſtadienſis; & Bethlemi adventu congratulabantur. Cæſar Viennæ ſolicitus de tanta irruptione, & tali hoſtium apparatu per ſingulas eccleſias preces indici petiit, & vota Deo, necnon Glorioſiſſimæ Virgini Mariæ obtulit: prout in huiusmodi rebus mos ejus erat, maxime cum Cæſareus exercitus impar hoſtibus illis ſe non auderet opponere, ſed cogereſur latere, & impune latrocinia, incendia, devaſtationes, & cædes tolerare. Prudentiſſime tamen tunc Cæſaris exercitus ſelecto loco Ghedinenſi ſe incluſit, quo com meatum ſufficientem, & non ſpernendum belli apparatus contulerat. tumultuario etiam opere ſeſe ibidem munierat, ut hoſtem in Moraviam, & Bohemiam procedentem ſubſequentem intercluderet, vel redeuntem exciperet. quod animadvertens Bethlemus in initio Moraviæ ſubſtitit, & quaſi victor conditiones pacis ſuperbiſſimas Cæſari præſcripſit, pacem ſtabiliturus ſi Cæſar præter duos Principatus Sileſiæ, omnes civitates montanas Vngariæ illi cederet, ſi illum Vngariæ Palatinum crearet, ſi belli ſumptus reſarciret; & horum ſufficientem cautionem præſtaret. cum autem haud ei pro voto reſponderetur, velleſtque potius Cæſar, ut quantocyus tota Vngaria excederet, damna ſarciret, & nexos omnes Chriſtianos ſolveret; Cæſareum exercitum Ghedini incluſum maximis copiis Turcarum, & Tartarorum, quæ ad 60 millia aſcendebant, obſedit. Verum Cæſarei prudenter annonam dividentes, & valide tormentis ſeſe contra obſidentes propugnantes, fortiſſime obſidionem ſuſtinuerunt; atque interim Cæſar Tillium cum aliquot legionibus ex inferiori Germania evocaverat, ut ſuos obſeſſos, & jam in ediam ſummopere tolerantes liberaret. Bethlemus, ut advenire ſubſidiarias copias intellexit, & obſidionem diutius ex composito protrahi cognovit, pertæſus inſtante jam hyeme de ſolutione ejuſdem deliberavit. Deliberantem, & nonnunquam gravi damno impetum facientem ad obſidionis ſolutionem coegerunt Turcæ, ac Tartari, qui impatientes frigoris, ac pluviarum, etiam non obſenta facultate

*Cæſaris  
exercitus  
Ghedini.*

*Obſidetur  
Ghedini.*

cultate Bethlemi, imo maxima illius indignatione castra deseruerunt: quorum magna pars in manus Comitum Esterhasii stationem Neuhuseliam constanter defendentis, cecidit; & prædam adductam, quæ non exigua fuit, una cum vita plurimorum amisit. secunda, & tertia die Esterhasius contra hos elabentes una cum præfidiariis Commorensibus excurrit, & abrupto ponte ad Neutram plusquam 300 Turcas in fluvium adegit, qui frigore rigentes, & aquis hausti perierunt, præter 1200 captivos liberatos, adeptos octo camelos pretiosissimo panno Turcico, & argenteis vasis onustos, Prætorium vexillum, & Vexilliferum una cum pluribus nobiles, inter quos duo erant Budensis Bassæ, alteriusque purpurati filii, tanto cum Turcarum terrore; ut fugientes per ignotam sibi viam, in manus Preineriorum militum sese ipsos præcipitaverint. Quod idem cum Bethlemus sibi vereretur, & contigisset, maxime si obsessi tergis fugientium institissent; satius duxit cum obsessis, ac Cæsareis inducias pacisci, quæ tanto facilius admiffæ sunt, quanto illi majori inedia premebantur, nam vix per aliquot dies arctum panem, & aquam brevem, ut dici solet, habuerant. Neque multum Bethlemus postea à pace constituenda abhorrebat, nam & Turcas, & Tartaros spe sua frustratos infestos habuit, illique non semel objiciebant lanienam, ad quam fuerant conducti; quam non minus Ungari exprobrabant, & Poloni vindictam illaturi; omnem occasionem quærentes, solum Cæsaris mandatum expectabant.

In inferiori Saxonia cum Tillius magnam partem exercitus adduxisset, jamque limites Bohemiæ attigisset; nova consilia contra Cæsarem cudebantur, Daniæ Rex, qui paulo ante celebrem, de qua diximus, victoriam, milites aliquot superato Albi in districtum Saxonicum deduxerat, & Altenam, ubi Catholici Hamburgenses suis exercitiis intenti divina celebrabant; per suos cum oppressione eorundem Catholicorum expugnauerat; novam Legationem ad Cæsarem adornandam duxit, ut eum vel ad moderate utendum

M 2

victoria

Solvitur  
obsidio  
Ghedien-  
sis.Daniæ  
Regis con-  
silia.

victoria hortaretur, vel ad ferium bellum provocaret. Displicebat summopere Regi, quod miles Cæsareus peracto prælio Lipstadium serio obsedisset, & locum tam munitum expugnasset; sed magis, quod totam illam viciniam Sparenburgum, Herfordum, Ravenspurgum, aliaque loca versus Paterbornensem, & Hildefemensem dicecesim occupasset. imo maxime quod miles omnis in hyberna, Hassiam ad limitem inferioris Saxoniae deduceretur. quare non parum sibi, suisque, quos pro filiis prensaverat, Episcopatibus metuebat; jamque non contentus Ferdensi, Halberstadiensem, Bremensem, Lubecensem, ac Osnabrugensem, ut tanto commodius constitueret suum regnum Interamnicum, ambiebat. Hinc transmissio Comite Oldemburgensi ad Cæsarem, qui veniam Palatino impetraret, ipsemet Rex ad Ducem Brunsvicensem excurrit, & Magdeburgensem pseudadministratorem primo, deinde alios illius districtus Regulos, & præpotentes civitates ad arma cogenda sub alio prætextu provocavit.

*Legatio  
Oldeburgici.*

*Mansfeldius in  
Frisia Orientali.*

Quæ dum præpararentur, non feriabatur Mansfeldius in Frisia orientali apud Emdam (quem locum sibi pro refugio delegerat) Emdenses exercere; ab illis enim magnam pecuniæ summam exigebat, quam ut impetrare non potuit, loca pleraque unitis Ordinibus Hollandiæ oppignoravit, & cum illis agens de uniendo suo milite Saxonis inferioribus varias deliberationes Imperio noxias instituit, quibus posset fortuna Christiani Brunsvicensis restitui; verum propius accedens, dum illas ex Monasteriensi dicecesi putasset executioni demandare; jamque in eum finem ter milia peditum, & mille equites tam ex suis, quam ex reliquis exercitus Christiani Brunsvicensis collectis, in Westphaliam deduxisset, à Comite de Anholt, & Ervittio non procul à Warendorfio invasus amissis quindecim vexillis, prostratisque quingentis equitibus, & fugatis cæteris omni pene militia exutus est; ita ut cum paucis Lacunas Emdensium debuerit reperere; ibidemque donec aspiraret aura falicior, quæ illum in Hollandiam, Angliam, & Galliam deveheret, latitare. Ervittius interim cum commissa sibi parte exercitus

citum Comitatum Hoiensem, pro hybernis desumpfit, majoremque metum Daniæ Regi incussit.

Tot unius anni victoriæ, ac victoriis præmissa pericula, quibus tota Bohemia, Moravia, Vngaria, Austria, totumque denique Imperium occupatum trepidavit; aliquantum Religionis Catholicæ progressum ubique retardarunt: inter arma etenim ambigua feriabantur leges, nec quisquam audebat quicquam innovare, aut sua majori impetu pertentare. Paucis ex Imperio per sententiam obtigerat bonorum Ecclesiasticorum restitutio adjudicata, ut Præposito Elwacensi contra Oppidum Dagenfeldt ratione concionatoris hæretici in Eybah; quem jussit Cæsar avocari; & substituto Catholico curione ritus antiquatos restitui. Quod etiam in favorem Episcopi Augustani, Abbatis Campidonensis, & Decani Gronenbacensis, Volfango Christofo à Pappenheim detinenti bona omnia Collegiatae Ecclesiæ Gronenbacensis præceptum fuerat cum obligatione restitutionis Catholicæ Religionis, ut olim paulo post pacem Religionis fuerat: & pariter in favorem Episcopi Eistatensis contra Marchionem de Onolsbach occupantem Ecclesiam de Galloronevetz cum omnibus decimis, proventibus, mobilibus, & immobilibus ordinatum fuerat. verum hæc, uti & alia in favorem Equitum S. Ioannis contra Comites de Hanou civitatis de Dinkelspull, contra Comitum de Oeringhen passim intrudentem prædicantes, & antiquantem Catholicam Religionem; contra Comites de Stolberg pro restitutione monasterii de Wafersloft, à Cæsare decreta; postquam Cæsareus miles ex Imperio fuisset avocatus, serius executioni demandata fuerunt; immo aliqui horum neque isto, nec sequenti anno sua jura vindicare potuerunt.

Pariter sufflaminatum fuit per Bethlemi tumultuarias irruptiones id, quod Cæsar ad promovendam Catholicam Religionem, & ad extirpandam hæresim ordinaverat in Moravia per ejectionem Anabaptistarum, serio Cardinali à Dietrichstain, & Principi de Lichtenstein commendatam; solum ea, quæ Episcopo Labacensi pro restauratione Catholicæ Religionis in Carniola

Refor-  
matio in  
Carniola.

niola scripta fuerant, quamvis adhuc sobrie ob viciniam turbatam, locum habuerunt. In Bohemia, ubi multi inceperant apud suos subditos Catholicæ Religionis instaurationem, cum substitutione Catholicorum, quibus templa fuerant aliquibus in locis consignata; vix Catholici Sacerdotes securi poterant officii Ecclesiasticis defungi, tum ob vicanorum insolentias ad nomen Mansfeldii, Halberstadii, Bethlemi, aliorumque exultantium; tum ob trepidationem Catholicorum, passim cum pretiosioribus emigrantium.

Insolentia militum Casari.

Neque Catholicæ Religionis multo felicius fuit annus subsequens 1624, quamvis tunc à gravissimis bellis Germania, & Bohemia vacaret, quæ plerumque in Belgium, in Alpes, & ultra illas in Galliam videbantur adducta; nam tacitus quidam metus omnium animos invaserat, quod miles in hyberna deductus, primo vere insolentior ubique per Bohemiam, & Moraviam stipendia efflagitaturus; atque non absimilem ruinam ipse amicus miles, quam hostis alias inusserat, esset inussurus. Attamen in Bohemia Archiepiscopus non solum sua summa vigilantia, & prudentia, sed etiam præstantissimorum virorum opera, specialiter P. Valeriani Magni, ex strictiori Ordine Cappucinatorum, vere viri magni, verbo, opere, & corpore, quod hæresis fomes erat, extinguere cœpit. nam facultatem libros hæreticos imprimendi & vendendi substulit, bibliothecas Pragensium visitare, & scrutari per certos doctos viros mandavit; Decanis, Parochis, Rectoribus, & aliis curam animarum habentibus, ut à funeribus hæreticorum celebrandis omnino abstinerent indixit. Per totam Archidiecepsim suam ordinavit, & constituit præclaros, & selectos commissarios, quos cum amplissima facultate, & severioribus mandatis per amplum regnum Bohemiæ misit, qui omnes, ac singulas totius regni ecclesias eorumque ministros, Archidiecepsi Pragensi subjectos, personaliter visitarent, admonerent, corrigerent, & Clerum, quoad fieri poterat, pristinae morum gravitati, & sanctimoniam restituerent; laborarent præterea, ut omnium Parochiarum jura, bona, redditus in inventarium, & thesaurum ecclesiæ referrent,

rent, ut in archivo Archiepiscopali potuissent deponi; insuper quod vacantibus Ecclesiis, ex quibus prædicantes Hussitæ, Calvinistæ, & Lutherani, seu alii per publicum decretum Cæsareum fuerant expulsi, & proscripsi, Catholicis Parochis, seu aliis Regularibus personis impositis optime consulere; assignantes pro necessitate administrandorum Sacramentorum, uni viro Ecclesiastico docto, & pio plurium Parochiarum exercenda munia Ecclesiastica; quæ commissio, usque ad annum 1625 inclusive protracta fuit. quare ad supplendam istam penuriam Parochorum quantum fieri potuit, obtinui à Sanctissimo Domino, & ab Eminentissimis Cardinalibus Sacræ Congregationis de propaganda Fide, ut mandaretur omnibus Generalibus Regularium, ut transmitterent personas idoneas ad excolendam vineam Domini in tam amplo regno, ut postea factum est, & sic Regulares monasteria olim ab hæreticis ablata recuperarunt, & multæ Parochiæ Pragenses, quarum jus ad S. Majestatem Cæsaream devolutum erat, in monasteria conversa fuere.

Ex tota Moravia Cæsar mandavit per publicum decretum, ut ejicerentur omnes prædicantes hæretici, prout ex Iglavia, & ex multis aliis civitatibus, & locis fuerat exequutum. Duo Collegia Societatis Iesu fuerunt de novo constituta, alterum Znoimæ, alterum Iglaviæ, fundatore Comite Adolfo ab Altheim, viro nobilitate, & pietate præclarissimo, maxime ob institutionem cum aliis duobus Principibus Religionis militiæ Christianæ. Hoc eodem anno Imperator seminarium Olumucensè condidit; quod Ferdinandum vocavit, in quo alerentur trecenti juvenes nobiles, sed egeni, qui ad Sacerdotium aspirarent.

In Imperio aliquantulum audaciores Ecclesiastici executionem præcedenti anno omissam promoverunt. Archiepiscopus Moguntinus propter decreta facta à S. M. in Conventu Ratisbonensi ad nostras preces, & beneficio Hispanicarum copiarum Stradam montanam, quam olim antecessores illius Palatinis oppignora-

verant, & recenter Regis exercitus invaserat, recuperavit; moxque in illa exercitium Catholicæ Religionis magno animo instauravit, idem fecit Episcopus Spirensis in aliquot oppidis paulo ante recuperatis, & Herbipolensis Episcopus contra Comitem de Hanau apud Cæsarem restitutionem aliquot monasteriorum isto interim impetravit. Roma mihi Breve Apostolicum venerat ad Cæsarem, quo Sanctissimus D. Sua Majestatis brachium implorabat ad tuenda jura Sedis Apostolicæ in Præpositura Ecclesiæ Halberstadiensis, quam contra Jura Sedis Apostolicæ, & concordata Germaniæ, Rex Daniæ filio suo etiam emptis votis sacrilege addixerat, admotaque vi propugnare studebat, cujus violentiæ cum Cæsarem monuissem, magna diligentia Tillio imperavit, ut satageret jura Ecclesiæ Romanæ; & licet multos parati exercitus inferioris Saxonie deterrerent; non deterruerunt tamen Cæsarem, neque Tillium, qui officii sui memor sedulo rem Catholicam promovit. Et Cæsar non solum Regem, ut à concepto beneficio desisteret, monuit; sed Legato ipsius in Conventu, non ita post Ulmæ celebrando juxta Electorum, aliorumque Principum mentem, omnia sedanda promisit; & ne videretur timuisse inferioris Circuli minas, Halberstadiensi Capitulo revocationem temerarii decreti imperans; Canonicos, ac Præpositum propter tale decretum rejectos admitti mandavit; Religiosos S. Francisci Halberstadii monasterio suo restitui voluit, ac tandem Pseudoarchiepiscopum Magdeburgensem ad restituendam Præposituram in Altenbaldensleben, ejiciendumque intrusum condemnavit, & Abbatissam ibidem in Catholica Religione una cum toto virginum cœnobio servandam, nihilque innovandum strictissime præcepit.

Non multo post, ex decreto tamen Cæsaris, executioni demandata fuit sententia, alias contra Landgraviū Mauritium ratione Marpurgensis ditionis lata, contradicente, ac intercedente, quantum poterat, Landgravio Guilielmo Mauriti filio, in quem pater (qui jam tunc in Hollandiam abierat) discedens dominum transfulerat; in quo tantum compendii Catholica Religio

ligio fecit, quod ditiones illæ statim à Calvinismo ad Lutheranismum devenerint, vix ullo se opponente; ita enim facile Germani de Religione Principibus suis cedunt, cum non agitur de assumenda Pontificia, quam maxime hoc nomine, quod Pontificia sit, odio prosequuntur; non ita abhorrentes doctrinam, quam uti non valde profunde scrutantur, ita non multum curare videntur.

Magno bono Germaniæ sequenti mense Sleusingæ convenerunt Elector Saxonix, Elector Moguntinus, Landgravius, Ludovicus, & nomine Electoris Bavarix Tillius cum aliquot familiæ Saxonix Principibus; à quibus cum serio pericula Germaniæ examinata, & nonnulla diffidentia ob Electoratus translationem in Bavarix Ducem à Moguntino remotæ fuissent; confirmatus est Saxonix Elector in obsequio Cæsaris; ita ut non solum Bavarum in Electoralis Collegii fratrem, ac focium admitteret, sed deinceps ad conservandam Cæsareæ Majestatis auctoritatem operam suam addiceret. Hanc ut Cæsar rependeret, Fredericum Saxonix Ducem Altenburgicum, & Guilielmum etiam Saxonix Ducem Vinariensem, una cum Christiano Principe Anhaltino læsæ Majestatis reos clementissime in gratiam recepit, duosque alios Saxonix Duces è Neostadiano carcere liberatos, eidem Electori gratis remisit.

Bellum Germaniæ, ut diximus, totum in Belgium derivatum fuit; ibi magni nominis civitas Bredana à Marchione Spinola obsidebatur, quam ut propugnarent Hollandi, undique copias evocarunt. Huc Mauritius Hollandici exercitus præfectus descenderat, suaque castra castris Hispanorum opposuerat, ita ut vix medio milliari à se invicem distarent. Sed quia serius venerat, excitatis jam circumcirca muimentis Hispanicis; illa pervadere non potuit, ut obsessos liberaret, quare obsidentibus incommodare, commeatum arce-re, subsidia præpedire fategit, sed frustra; ita etiam impetu quodam castra Hispanorum dissolvere conatus, cum incassum successisset, undique postea in auxiliis conquirendis laboravit. Importune paulo ante

M 5

Rex

*Mutatio  
sectæ Mar-  
purgi in  
Hassia.*

*Electo  
Bavaria  
admitti-  
tur a Sax-  
onia.*

*Liberan-  
tur capti-  
vi.*

*Obsidio  
Bredana.*

*Fœdus  
inter  
Anglum  
& Gal-  
lum.*

Rex Angliæ telam matrimonii per aliquot annos inter filium illius, & Regis Hispaniæ germanam tractati abruperat, postquam de restitutione Palatini desperasset. quare inuito novo fœdere cum Rege Galliarum (cujus Regis sororem, pro filio ambiebat,) & cum Hollandis, de oppugnando Rege Hispaniæ, vel saltem de restituendo Palatino deliberavit; nunc Mansfeldii, nunc Regis Daniæ, & quotquot Domui Austriacæ officere poterant, auxilia imploraturus. quæ tamen facilius, tum à Cæsare, tum à Rege Hispaniæ tolerata, quia in sequentem annum rejecta fuere. nam Rex in Italia impeditus Vallem Tellinam propugnabat, suamque Bredam, nisi cum summo dedecore deserere non audebat. Hinc ne præpediretur à copiis Germanicis Spinola, Henricum Bergensem Comitem arma in Marcam circumferre jussit, & ipse interim in restagnantibus aquis coercendis, & in militibus, ac comitatibus acquirendis, hostibusque omnibus viis insidiantibus repellendis, à quibus plurimum negotii præbebatur; summa industria, ac solertia se exercuit; Mauritius vallum suorum castrorum fere usque ad castra Spinolæ promovit; eaque magnis operibus munivit Rosenthalii, quo etiam Mansfeldium evocaverat, quem cum Spinola negligeret, in Angliam ad sollicitanda auxilia transmisit, & ut divergis ab obsidione ipsum Spinolam deterreret, strategemate industrioso Antverpiam tentavit; missis eo aliquot peditum copiis, quæ intempesta nocte lembos in fossam arcis subduxerunt, & inusitatis instrumentis bellicis mœnia pene defensoribus vacua, invadere nisi sunt. quod strategema cum non successisset ob ventum vehementius flantem, atque scaphas uno loco consistere non patientem; alias artes, sed frustra excogitavit. ex Anglia etenim, Gallia, & Hollandia copias in partem Flandricam apud portum Caletensem disposuit, quas Rex Angliæ in Palatinatum, ad occupandum Franckendaliam, ubi induciarum terminus expirasset, mittendas curavit. verum & illæ copiarum, partim à tempestate afflictæ, partim inter se non satis convenientes, ibidem renitentibus indigenis parum effecerunt. Ne tamen alias aliquid efficerent, Belgarum

*Antver-  
pia ten-  
tata.*

Belgarum Infans à Cæsare aliquot legiones peditum, *Cæsaris copia.*  
& equitum impetravit; quæ in Bohemia, & Moravia  
disperſæ, tardè quidem motæ, ſequenti tamen anno  
Belgium ab invaſione hoſtium ſecurum reddiderunt.

Proſciebat interim Cæſar tam in Bohemia, quam  
in Moravia contra hæreticos edictis; nam proſcriptos  
prædicantes, tamen in Bohemia latitantes, ſerio per  
Principem de Lichtenſtein ad noſtram inſtantiam *Novis litteris urgetur proſcriptorum exilium.*  
perquiri, & arceri juſſit. Archiepiſcopus Pragenſis in  
ſingulis diſtriſtibus alios reformationis Comiſſarios  
inſtituit, qui evocatis in Synodum Parochis, ſingulo-  
rum gravamina adnotarunt, ſubdole latitantes pseu-  
domiſtros detexerunt, loca propinquiora inter ſe pro  
adminiſtrandis Sacramentis ſaltem ad tempus diſtin-  
xerunt, & modum reformandi diſcutientes, eundem  
commodiſſimum ſuggeſſerunt, vix ſcio diſtriſtum fuiſ-  
ſe, in quo tres, vel quatuor miniſtri diabolici ad men-  
ſem ejurata hæreſi non redierint. Præter hæc ſpiritu-  
alia auxilia, quoniam ſic tempus requirebat, ad tem-  
poralia magis ſenſibilia confugimus, & à Cæsare alia  
præter ſupradicta rigidiora decreta impetravimus, *Decreta Caſarca proſicua.*  
quibus Principi de Lichtenſtein mandavit, ne deinceps  
in Regis Bohemiæ oppidis aliquem civem non Catho-  
licum adſcriberet. Deinde, ut ubique Catholici ſoli,  
vel ubi aliter fieri non poterat, ſaltem modeſtiores  
hæretici in Senatum civitatum adſciſcerentur. & quia  
in Moravia, necnon in nonnullis etiam Bohemiæ lo-  
cis prædicantes à ſæcularibus dominis defendebantur,  
vixque erat, qui auderet, illis invitis, tales Pſeudeuan-  
geli miniſtros arceret: Cardinali de Dietrichſtein 27  
Decembris præceptum fuit, ut, non habita ratione  
quorumcumque prædicantes omnes arceret, & recalci-  
trantes per militarem manum (quam juſſus eſt Maxi-  
milianus à Lichtenſtein Cardinali præbere) ad per-  
petuæ emigrationis triſte, ſed juſtum officium com-  
pelleret.

Maximus tunc in Moravia ſtrepitus fuit contra A- *Arcen- tur Ana- baptiſta.*  
nabaptiſtas, quos paulo ante Cæſar assignatis aliquot  
terminis proſcripſerat, cum pluſquam vigintimillia illa  
labe infecti reperirentur, dominis ſuis in œconomia,  
in cu.

in curandis agris, in mercimoniis, officiis, hospitibus, & opera manuum valde utiles; quare gravatim illos dimittebant, præcipue qui patriæ imperabant. Verum Cæsar constanter etiam ipsis Principibus, nisi parerent, & suos Anabaptistas statim dimitterent, suæ indignationis comminationem indixit; quod ut Anabaptistæ viderunt, dum difficulter à patriis bonis, & ab officiis divellerentur; plusquam decem mille Catholicæ Religionis sese submiserunt. cæteri in Vngariam, in Transylvaniam, Vallachiam, & ad Siculos perrexerunt, pauci ad Polonos pervenerunt, ibique minus grati novo exilio mulctati manserunt.

*Prohibentur prædicantes intrare Viennam.*

Admirans laudavi hoc ipso anno ferventem Cæsaris in Austria reducenda zelum; in quo tamen nequaquam modestia desiderabatur; nam per ordinarios Magistratus, monitis prius civibus, ut qui Religionis Catholicæ nollent adscribi, libere solum verterent; prædicantes hæreticos arceri voluit, quibus ipse alias nonnullis in locis more majorum securitatem præbuerat; tunc vero ob novas insolentias diutius tolerare non poterat. Itaque de tacito Cæsaris consensu, Senatus urbis Viennensis in ipsa urbe, sub specie quæstionis Parochorum, quibus emolumenta ad sustentandam dignitatem Sacerdotalem necessaria detrahebantur, & cives corrumpebantur, prædicantibus Lutheranis exercitium Sacramentorum interdixit, solebant enim non procul à civitate commorantes in ipsa urbe hæreticos baptizare, matrimoniis interesse, & alia sua putativa Sacramenta secreto infirmis administrare. Deinde ne ad civitatem etiam sine misterio venirent; militibus ad singulas portas constitutis, cautum fuit, illisque mandatum, ut advigilarent in tam perniciosas personas, easque vel rejicerent, vel ad superiores deferrent.

Severius Cæsar in Austria superiori, armis Ducis Baviaræ jam dudum recuperata, & etiam tunc pignoris loco detenta; cum prædicantibus egit, bonis etenim mandatis 30 Augusti, & 4 Octobris, Viennæ editis, omnes Pseudeuangelii ministros è tota provincia eliminari iussit absque majori dilatione, non aliam causam addens, quam quod pristinae, ac novissimæ rebellionis

bellionis non parum ansam præbuisent. quapropter ordinati fuere novæ disciplinæ Catholicæ instauratores D. Abbas Gotvicensis, & Doctor Spinlerus.

Transmiserat Cæsar præterito anno Legatum suum D. Iacobum Curtium ad portam Ottomanicam cum solemnî Legatione, ac solitis muneribus, ad pacem stabilendam; contra quam, quia nihilominus Bethlemus recenter adhuc Turcarum auxilia impetraverat, habens tamen Cæsar hoc anno novas Sultani excusationes, & incitamenta, condescendit, certos Legatos in Vngariam transmittere; quibus commisit, ut una cum destinatis ab eodem Sultano in locum unum convenirent, illis indicarent Rom. Imperatorem aliquam causam habuisse, & quidem adhuc habere movendi bellum contra Ottomanum; cum jam sæpe sæpius sive illius, sive alterius culpa delusus, & à militibus præsidariis Budensibus, & Strigoniensibus, aliisque, ipsius regiones præter induciarum articulos fuissent inique satis devastatæ, atque in extremam fere perniciem deductæ; nihilominus S. M. declarare pro innata sua bonitate non parum se ad pacem affici, non ut nova aliqua pax condiceretur, sed ut illa quæ an. 1606 in Sithwarock fuerat conclusa, & anno 1616 explicata, ac confirmata, rursus ratificaretur; modo tamen conditiones diligenter observarentur, & nonnullæ clarius interpretarentur, & corrigerentur, cum hætenus in eorundem observantia fuisset peccatum.

*Commercia varia cum Turcicæ ratione induciarum.*

Querebatur enim Cæsar de transgressione pactorum circa pagos deditivos, de devastationibus, de captivis, de jure patronatus Transylvania, de subsidiis præstitis rebellibus, ac denique, quod Vazzium vi fuisset occupatum. quibus omnibus per contrarios articulos, & justam compensationem Cæsarei deinceps mederi postularunt. Sed tractatio ista in aliud tempus dilata, sæpius interrupta, ac rursus anno sequenti concepta, non nisi tertio abhinc anno stabilita fuit; nam Turcæ semper difficiliore se præbuerunt, quam anno 1624, quando Ottomanicum Imperium quorundam Consiliariorum imprudentia in præsentissimum periculum conjectum fuit, strangulato Imperatore Osman-

*Instructio pro Legatis Cæsaris.*

no, &

*Turcarum  
mutatio.*

no, & reassumpto, ac rursus octavo mense destitit Mustafa, & euecto Achimat, & ejecto Mehomet Giraio, qui Caffæ, quæ est Regia Tartarorum sedes rerum potiebatur, ac suffecto novo ibidem Rege, quem frater Mehometis, occiso Turcico Præfecto, seu Velario, fugere coegerat. Quæ inter Turcas seditiones res Christianam hoc anno 1624, & 1625, non parum quoque etiam reddiderunt, donec compositis istis turbis, & auctis Christianorum bellis, rursus Turcæ difficilior res sese erga Christianos præbuerunt, ut postea recepsimus.

Nec minus feriantibus in Germania armis, Cæsares suæ familiæ Austriacæ constituere fategit; divisit inter fratres hæreditate à Deo post obitum omnium filiorum Maximiliani Cæsaris ad filios Caroli devoluta; omissa etenim cessione Regis Hispaniæ in jure Bohemico, ad solum Ferdinandum, ejusque filios masculos pertinente (de qua forte adhuc inter Jurisconsultos fuisset quæstio) omissis etiam juribus Ferdinandi, jam ante firmatis in provinciis Stiria, Carinthia, Carniola, & Friuli, nec non in Archiducatu Austria; totus Comitatus Tirolensis, Landgraviatus Alsatiæ, provincia Brisgoiæ, & aliæ circumcirca ibidem adjacentes conditiones in tres partes fuerunt divisæ, quarum una Ferdinando Cæsari, altera Archiduci Leopoldo, tertia Archiduci Carolo obtigit. qui tamen sacro voto obstrictus nullo modo de ineundo matrimonio cogitans hoc suum jus postea reliquit Cæsari, contentus Marchionatu de Burgau, & nonnullis aliis dominiis in Moravia, & Silesia, dum viveret, præter annuam pensionem multorum millium florenorum. Cæsar etiam pro sua innata liberalitate, & animi magnitudine addidit libere hanc donationem Caroli eidem Leopoldo, suisque sui corporis hæredibus, & successoribus, eumque constituit Governatorem, dum viveret, alterius portionis, quæ sibi obtigerat. Pacta autem hujus conventionis fuerunt præter alia ut una parte invasa, eidem opitularetur, eam exponere, oppignorare, & pro sustinenda familiæ dignitate vendere, si necesse foret, cogerentur, insuper ad majorem natu familiæ, non ex-  
tante

tante alia prole mascula, devolveretur. Non omitam addere, quod tunc temporis in curia Cæsarea mirum fuit tam gravis tractationis prius fuisse detectam conclusionem, quam aliquam discrepantiam, ob dexteritatem, & summam prudentiam Ioannis Vlrici Ducis Cromavii Principis de Echemberg Directoris secreti Consilii Cæsarei, adjuvante Ioanne Baptista Verde libero Barone de Wertemberg, &c. per quos solos fuit directum, & conclusum tam arduum negotium. quare hac occasione sumpta, libere liceat mihi affirmare, tamquam testi oculato (cui multa fuerunt cognita per octennium tanquam Nuntio Sedis Apostolicæ; etsi aliis ignota) Principem quemlibet in tota Europa (quæ potissima pars est Orbis) ministros pietatis, prudentiæ, sapientiæ, & experienciæ, meliores his duobus non posse habere, similes vix, & cum summa difficultate. Horum potissimum industriæ (neque tamen aliorum laboribus derogo) Sedes Apostolica, & Germanicum Imperium eventus felices negotiorum politicorum, & Religionis post Deum, & Cæsarem debent una cum posteritate tribuere.

Difficilis omnino annus fuit Cæsari 1625. cuius nunc descriptionem aggredior, maxime si illius finem consideremus; initium enim non nisi in instaurationibus corruptæ disciplinæ peractum fuit: nam Cæsar de instauratione Religionis consilia initurus, me audito, & evocatis Antonio Abbate Chrinphanienſe, Doctore Schaffero, Spindlero, aliisque præcipui nominis Consiliariis, mandavit Præfecto Austriæ superioris (monito prius Maximiliano Bavariciæ Duce illarum ditionum detentore) reformationem Religionis in tota provincia, monitis prius omnibus incolis, ut mature sese ad illam disponerent, vel patrium solum verterent. quare, ut reformatio melius suum fortiretur effectum non multo post dicecesis Passaviensis Ordinario, ejusque substitutis Vicariis significavit, ut amotis Psendu-  
*Præcipitur Reformatio in Austria Superiori.*  
 angeli seminariis; alios magis idoneos sufficerent. Deinde Lintziensi Gubernatori Comiti de Hex-

» de Herberstorf injunxit, ut abrogato magistratu  
 » hæretico, omnino Catholicum institueret, im-  
 » nens Prælato in Gotwirs Georgio Falbio V. I. D. ut  
 » serio provinciam sibi suisque commilitonibus imposi-  
 » tam aggrediretur, in qua dum vicani, & oppidani ter-  
 » giversarentur, & in longum suam reductionem ma-  
 » cum instructione necessaria differri rogarent; alia sese  
 » incommoda obtulerunt, quæ Casarem etiam, quamvis  
 » avidissimum novæ disciplinæ, detinuerunt.

*Pestis in  
Bohemia.*

Bohemicam reformationem hujus anni plurimum  
 impedivit contagionis morbus, adeo in illo regno ve-  
 hemens, ut post hominum memoriam nunquam vehe-  
 mentior fuerit, ob quem fere toto anno, paucis primis  
 mensibus exceptis, Prælati, & præcipui Proceres è Bo-  
 hemia excesserunt. varia tamen media ante contagio-  
 nis malum ad extirpationem hæreseos adhibita fue-  
 rant; inter quæ non infimum fuit interdictum mati-  
 monium non Catholicis, & interdictæ bonorum per-  
 mutationes, emptiones, & contractus commerciorum  
 iis, qui obstinate Catholicam Fidem rejicerent, sed in-  
 venta lege, inventa fuit malitia; notatumque fuit plu-  
 res matrimonia clandestina contraxisse; alios scortum  
 aluisse, vel fecisse; ita ut neque hoc remedium suffice-  
 re visum est. Profecerat tamen in aliquibus alicujus  
 nominis Bohemis, qui ut ad matrimonia honestiora  
 pertingerent, aut filias suas elocarent gravioribus per-  
 sonis, Catholicam Religionem admiserunt. Magis  
 profuit bonorum per Casarem venditio, quæ non nisi  
 Catholicis vendebantur, & si forte possessor, aut præ-  
 varicator ad Catholicam Religionem posthabito erro-  
 re reverteretur; pœnarum, & multarum imminutio.

*Prohiben-  
tur ma-  
trimonia.*

*Bona ven-  
duntur so-  
lis Catho-  
licis.*

His etenim legibus nonnulli, ut bona sua servarent, &  
 » multam evaderent, Catholicam Religionem amplexi  
 » sunt; ut vidimus in Bohemia, ubi tertia pars regni sis-  
 » co adjudicata non nisi ad Catholicorum manus perve-  
 » nit; quæ ratio politica rem Catholicam vehementer  
 » auxit; sed in reducendis subditis plebeis, proleteriis, &  
 » civibus, maxime opificibus, maxima fuit difficultas, illi  
 » enim sine solo, ambulones solam suam artem circum-  
 » ferentes obstinatissimi, rigidioribus mandatis pressi,  
 » urbes

*Despera-  
tio Bohe-  
morum.*

urbes vacuas dominis suis reliquerunt; ut non semel, neque uno in loco accidit. nonnulli etenim incensis propriis ædibus, cum uxoribus, & liberis in sylvas se receperunt, alii vero scipionem manu gestantes, solum verterunt. Non procul à finibus Saxoniae in vico Marquesdorf vicani omnes aliquot pagorum, fere sexcenti numero, dum illorum dominus Henricus Ottho à Wartenberg rigidius introductioni Catholicæ Religionis insisteret, & alioqui ob alias causas suos subditos infensos haberet, ex condicto ipsa die SS. Simonis, & Iudæ castrum invaserunt, & eum cum paulo ante Sacro interfuisset una cum Domina è libera Baronum de Glosen Bavarica familia aggressi nocte tota arctissime obsederunt; mane vero vi facta irrumperentes illum una cum uxore ex propria arce extrahentes ad fimarium, palis, contis, & fustibus miserrime trucidarunt, neque propterea quisquam illorum locum deseruit, sed mox alios pagos tentantes, an idem suis Dominis vellent præstare, fere ad duos menses obstinatissime perstiterunt, donec Cæsareus miles à Tribuno Præinero conductus vicum circumdedit, & simul omnes delicti reos interceptit, ex his postea viginti coriphæi capti, aliis dispersis, crudelissimas supplicii poenas Pragæ subierunt: cives vero emigrantes in Saxoniam, vel in civitates Imperiales se receperunt, & sic perit expectatus fructus animarum, auctumque malum alibi non facile superandum. quod cum in multis Congregationibus de regni reformatione institutis animadvertissemus, adhuc aliquandiu super sedendum duximus, & Catechistas singulis locis instituimus, donec feliciores aura opportune rem veheret.

Calamitatum illarum partium additamentum fuit inopinata mors Caroli Archiducis, fratris Cæsaris, Episcopi Brixinensis, & Vratislaviensis, qui etiam post obitum Archiducis Maximiliani, Ordinem Equitum Teutonicorum Germaniæ titulo Magni Magistri gubernavit. is cum in Hispaniam fuisset evocatus, ut Lusitaniæ regno præesset, aliquando in Belgio substituendus, primis diebus, quibus in Hispaniam apulit infirmatus, pie decessit. vacarunt itaque post illius

*Tursukum  
rusticorum  
in Bohemia.*

*Obitus Serenissimi  
Caroli.*

lius obitum Episcopatus præfati, & Generalatus Teutonorum Equitum, de quo non levis inter Equites fuit controversia. Domus enim Austriaca plerumque illo Magisterio usa ob magnas expensas pro liberatione Prussia, & conservatione bonorum illius Ordinis aliaque beneficia præstita, non libenter talem dignitatem sibi eripi patiebatur, fueratq; Archidux Carolus nonnunquam illius mentis, ut sibi nepotem Archiducem Leopoldum Guillelmum in coadjutorem adficeret. quod tamen propter ætatis defectum ommissum fuerat. vacante ergo Magisterio, Ordini Equitum liberam electionem Cæsar reliquit, non tamen omnino filium excludi cupiens, & ideo ad obtemperandum S. M. desiderio quidam ex Ordine proposuerunt Magisterium cuiquam benemerito posse conferri; Archiduci vero quotannis pensionem duodecim millia florenorum inde solvi usque ad annum ætatis decimum octavum, quo electus, si superstes foret, locum Archiduci cederet, & tantundem pro sui sustentatione ab eodem Archiduce reciperet. Ordo itaque matura deliberatione præhabita, consentientibus suffragiis. Dominum à Wersternach alias Ordinis Vicarium ad Principatum evexit. & ille non ita post clavo affidens, multa bona Ordinis restauravit. Singulariter notavi in hujus Archiducis decessu Cæsaris modestiam; non solum quando æquissimè mortem fratris, & quidem fratris charissimi plusquam patienter tulit; sed quando Ordini Teutonico repetenti bona mobilia Ordinis, defunctiq; Archiducis; ea omnia concessit, quæ Cruce Ordinis signata reperta sunt. quam distinctionem tum in arce Neustadiensis, tum in Episcopatu Vratislaviensi, Nissa, & in Burgavico Marchionatu, ubi suas sedes habuerat Archidux, clementissimè admisit.

Non exigua fuit difficultas ratione Episcopatus Vratislaviensis, quem Canonici, ad quos libera spectabat electio, non illibenter Archiduci Leopoldo Guilielmo detulissent, ea spe firmati, quod ipsius patrocinio tuti in Silesia possent instantes tumultus evadere, & præteritas clades refarcire. erat etiam, qui illam dignitatem tenuiori Canonico addicere volebat, quod civibus

*Ordinis  
Teutonici  
Magisterium.*

*Episcopatus  
Vratislaviensis.*

Vratislaviensibus hæreticis, & egregie superbis, non parum placebat; ut tanto liberius virgam Episcopi, quæ adhuc exiguè illos premit, possent excutere, unà cum instauratione disciplinæ Ecclesiasticæ, si forte imperaretur. jamque non semel Canonici tantæ dignitatis avidi convenerant, socioque subarrhaverant; verùm Cæsar seposito privato commodo, per Legatum Fredericum à Tallemberg Diacasterii Bohemici Præsidentem, difficultates jurispatronatus, aliasque non exiguas ingerens, etiam ad mentem Summi Pontificis talem dignitatem filio Regis Poloniae Carolo Ferd. deferri maluit, dissuadentibus etiam hoc idem nonnullis Consiliariis, qui ex tali possessione posse innovari jura Polonica, quondam in Silesios habita, verebantur. Ægrius etiam hanc promotionem ferebant Silesiæ cum Vratislaviensibus tanti Regis splendorem extimescentibus, cui difficulter potest resistere Silesia, si semel, uti inceperat, manum restaurationi Catholicæ disciplinæ admoveret; quod, uti frequenter monui, successisset; nisi Mansfeldii miles pertinacior, & postea Cæsareus, ut alterum repelleret, (de quibus postea latius) adeo illas provincias infestasset.

De Episcopatu Brixinensi levior fuit difficultas. illius enim, ut extra periculum, electio Dominis Canonicis relicta, non multo post pacificè valde successit; fuitque illa dignitas uni Canonico ex Capitularibus jam pridem Collegii Decano consentientibus suffragiis collata; cujus confirmationem Romæ nos ipsi procuravimus.

Vix res Vratislavienses compositæ fuerant, quando certo nobis constitit obitus Cardin. de Hogenzolge Osnabrugi, quem adeo immaturè ereptum Cæsar, & Imperii Principes gravissimè tulerunt; nam vix in toto Imperio fuerat Princeps rebus tractandis aptior, & in rebus Imperatoris, Catholicique fœderis magis exercitatus. Amisit illa Ecclesia præcipue optimum Pastorem, cujus opera paulò ante, Nobilitate excepta, ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ redierat, absque ullo strepitu, quod non parum fuit in meditullio Imperii,

*Obitus  
Card.  
Hogenzolge*

*Mansfeldii irruptione.*

*Controversia de Episcopo inter electores Canonicos. Alia controversia.*

seu Circuli Westphalici, ad oram Circuli Saxonici, in oculis fere Hollandorum frequentissime excurrens, quando Sede vacante à Mansfeldii milite sine Augusti hoc eodem anno inuasa, gravi multè damnata fuit, & aliquot Canonicos nobiles, ac cives abductos deploravit. Magis tamen, quando quarto mense in electione novi Prælati schisma locum habere cœpit inter Canonicos eligentes, pars enim Metropolitano Archiepiscopo obsequens Franciscum Guilielmum Comitem à Wartemberg, Ferdinandi fratris Guilielmi Bavariæ Ducis filium elegerat: Pars vero neque infima eundem, quia nondum capitularem, repudiabat. quare tum apud Cæsarem, tum apud Sedem Apostolicam hæc controversia decidi debuit, & non nisi auxilio armorum Comitis Tillii decisa quietem accepit, non sine periculo, ne Daniæ Rex, qui Episcopatum illum pro filio ambierat, obtineret.

Eodem mense Imperator, cum tota curia ob scævissimam pestem, quæ Viennæ grassabatur, Neustadium se contulit; ubi paulo post prope portam quæ Styriam respicit, cum accensus in quadam parva domo fuisset ignis, mox mirantibus omnibus, ante horam, totam medietatem civitatis ex parte dextera ab ingressu portæ Viennensis combuffit. causam tam magni, ac repentini incendii nonnulli ventis valide flantibus tribuerunt; alii perfidiæ hæreticorum, cum eodem momento temporis fuerit accensus ignis in quatuor multum inter se distantibus locis civitatis, præsertim in domo Episcopali, in qua ego habitabam, sed illa combusta aliquot tallerorum millia de meis mobilibus deperdi, meamque vicem se doluisse ex benignitate, & mente Sanctissimi D. N. Urbani postea Eminentissimus Cardinalis Barbarinus literis significavit.

Isto interim operam dedi, ut omnino Lutheranae sectæ exercitium Viennæ intercideretur; nam postquam urbe prohibiti fuerant prædicantes illi animarum seductores; nova sese obtulerat occasio, illorum exercitium perturbandi, habebant enim illi uno miliari

liari Italico circiter ab urbe, in loco Hermols, qui vicus ad Helmsardum Iergerum in istis rebellionibus fere primarium rebellem, spectabat; de cujus causa, ac delictis, cum dudum disceptatum fuisset, tandem illo mortis sententia damnato, sed postea vitæ gratia impetrata, bona omnia fisco adjudicata, subditique mense Aprilis hujus anni in fidem, tutelamque Cæsaris recepti fuerant. Tunc subito concionatoribus Lutheranis injunctum fuit, ut loco cederent, illaque dynastia paulo post Cathedralis ecclesiæ Viennensis Canonici ad S. Stephanum tradita fuit, qui statim ibidem Religionem mutarunt, subditosque omnes illorum locorum ad Catholicam Religionem perduxerunt. Quoad hæreticorum exercitium, omnes decepti fuimus. nam illi deliberantes de loco sui exercitii, proximum urbi pagum, triplo tamen distantiorum ab urbe Viennensi, ad alium Baronem hæreticum, non reum alioquin spectantem, perniciosissimum illud transtulerunt, verum est, locum fuisse tali exercitio dignum, nam proximum habebat urbis Viennensis patibulum, quod loco imminebat, & quod præteriri non poterat, talem synagogam frequentare volentibus. Hoc tamen opprobrium non deterrebat, quominus singulis Dominicis diebus mille, & aliquando plures eo confluerent. quod non sine cordis anxietate vidimus, & ingenuimus frequenter remedium quærentes, & non inuenientes, nondum maturo flagello, quod sibi ipsis hæretici tandem tali suo zelo præpararunt.

Senatus interim Viennensis in nullo suis subditis obligatus, cum animadvertisset ex decreto alias facto non paucos cives loco cessisse, plures etiam ad maturandum discessum in præinctu esse; nullum deinceps à præstito juramento absolvere voluerunt: sed aliam viam ineundam arbitrantes, omnibus alienæ Fidei professoribus injunxerunt, ut cum uxoribus, liberis, & domesticis suis, conciones Catholicorum, eorumque templa frequentarent; absentibus vero primo Dominico constitutam pœnam, secundo duplicem, & tertio iterum duplicem indixerunt. quæ multæ non par-

*Admittitur  
hæreticis  
Hermols.*

”  
”  
*Hæreticis  
transfe-  
runt suum  
exercitium  
in Enze-  
storf.*

*Decreta  
Senatus de  
frequen-  
tandis Ec-  
clesiis.*

vum tumultum, ac odium seditioni proximum frequenter excitarunt; dum hi excusationes, illi absentias, & rursus isti præsentiam in diversis ecclesiis allegarent, alii vero, ut bruta animalia sese concionatoribus, & ecclesiis magis ad offendiculum, quam ad fructum offerebant.

*Reformationes in Stiria, & Carinthia.*

In Stiria, Carinthia, & Carniola multo feliciter reformationes successerunt. illarum etenim regionum Episcopis, Gurcensi, Lavantino, Labacensi, Seccoviensi, nec non Archiepiscopo Salisburgensi, ferè eodem tempore, cum Austriaci, Bohemi, & Moravi durius resisterent; calcar additum fuit, ut diligentissime reformationem suarum diocesium promoverent; eaque omnia quæ ad sæculare etiam officium spectarent, promotione Catholicæ Religionis adhiberent. Insuper Cæsar suis Legatis Gretzii relictis, seridè imperavit, ut diligentissime, ac promptissime manum tam sancto operi auxiliatricem præstarent. & quia tam in illis partibus, quam ferè in universa Germania plus sæculari potestati propter violentiam, & potentiam hæreticorum, etiam in Religionis negotio defertur, ipse Cæsar qui alias dum adhuc Archiducis tantum titulo illis ditionibus imperaret, evulsa hæresi, Catholicam Religionem plantaverat, suosque subditos ad suscipiendam Religionem armata manu adegerat; etiam modo irrepentes hæreticos, ac præcipuè in nobilium Dynastiarum, ac Baronum regionibus, apud quos Episcopi minus audiebantur, profligare debuit. Hinc solemniter scripto 26 Aprilis hujus anni edito in Stiria, & Carinthia Reformatores ordinavit Leonardum Episcopum Levantinum, Christophanum Vrsenbeckium, & Joannem Baptistam Vischerum, quibus etiam normam in expurgandis ditionibus præscripsit, ad quam Magistratus urbium, advocatos, procuratores, curiales, opifices, sceminas, tutores, pupillos, scholas, discipulos, ac pueros reducerent. Per illos juxta Cæsaris præscriptum mandatum, de libris prohibitis, de festorum observantia, & jejuniorum, de abstinentia ciborum, de ecclesiarum conservationibus, de hospitalibus, Xenodochiis, de bonis Ecclesiasticis, de Collegiorum fundationibus,

*Punctare-formanda à Cæsare præscribuntur.*

onibus, de Parochiis, de Confessionibus, & Commu-<sup>Zelus Ca-</sup>  
 nione circa festum Paschatis, de revocatione adole-<sup>saris.</sup>  
 scentum, qui in partibus suspectis, aut hæreticis, lit-  
 teris operam navabant, aut serviebant; ac tandem de  
 collaturis, & fæudatariis actum fuit, singulisque juxta  
 ordinationes Ecclesiæ Catholicæ, & maximè Concilii  
 Tridentini, ut ipse examinavi, provisum fuit, tanto  
 Imperatoris optimi zelo, quanto unquam in primitiva  
 Ecclesiâ Constantini, Theodosii, Iustiniani, aut Caroli  
 Magni sanctissimas leges sanctientium. Insuper ut rem  
 Catholicam promoveret Cæsar, adhortatus est Episco-  
 pos Bambergensem & Herbipolensem; qui nonnullas  
 dynastias in Stiria, & Carinthia obtinent; in quibus  
 plerumque solebant vulpeculæ delitescere, ut etiam  
 ipsi sua loca expurgarent, & unita manu lolium eji-  
 cerent.

Reformatio Religionis, hisce annis eum in Vnga-<sup>Excusan-</sup>  
 ria fælicitatis cursum, quem in aliis provinciis, tenere <sup>tur Vn-</sup>  
 non potuit. nam concessio libertatis Religionis pro-<sup>gari.</sup>  
 missionibus, ac diplomatibus regiis roborata perfringi  
 non potuit. Neque enim Vngaria armis reducta, sed  
 incolarum consensu, dictam Religionis libertatem  
 præferentium, ad obsequium Regis accessit. quoniam  
 ferè singulis annis, a 1619, usque ad præsentem, Vnga-  
 ria ipsa à Gabrielis Bethlemi armis subacta fuit, ibi-  
 que tanta persecutionis procella Ecclesiasticos, ac Ca-  
 tholicam Religionem pressit; ut quamplures Sacer-  
 dotes vel gladiis, ac tormentis, vel fame, & frigore in  
 montibus interierint; sicque Ministrorum ecclesiæ nu-  
 merus mirum in modum fuerit imminutus. Et quoni-  
 am scholæ Catholicæ toto hoc tempore sublatae fue-  
 rant, ne quidem subcrescere potuerunt, qui Sacerdotio  
 idonei essent. atque hæc una res fuit, quæ maximas,  
 atque arduas in progressu Religionis difficultates ob-  
 jecit. tantum enim absuit, ut ad loca hæresibus infe-  
 cta Sacerdotes mitti potuissent, ut ne quidem in locis  
 Catholicis decima quæque Parochia Curatos haberet.  
 sed vel unus Sacerdos subinde huc, illucq; discurrerit,  
 vel scholares sæculares postillas vernacula lingua per-  
 legendo, & baptizando, Catholicos in Fide conservarunt;

idque ex Ordinariorum licentia, unde Licentiariorum nomen habuerunt. Inter tot tamen & tantas Religio nis clades divina bonitas supra omnem humanam sper magna suppeditavit auxilia, quibus Religio Catho lica in regno sublevata fuit. Nam in primis magno rum virorum facta est ad Catholicam Fidem accessio in quorum amplissimis dominiis Sacerdotes Catholi ci collocati fuerunt, expulsis hæresum seminatoribus, adeo ut solus Comes Georgius Zerlin in locum plus quam viginti hæreticorum prædicantium Catholicos Parochos collocavit. Similiter Nicolaus Forgach, Comes Georgius Erdeordii, tota familia Iakosith, Andreas Balassa, & complures alii ex primis Comi tum, & Baronum familiis ad Catholicismum redacti, suas partes strenue præstitere. Deinde effectum est, ut omnia majora officia, & regni Magistratus ad ministrarentur per Catholicos, qui & ipsi Religionis rem potenter promoverunt. Ad hæc cum antea in Vngaria Academia, & scholæ nullæ, immo ne medi ocre litterarum exercitationes reperirentur; hisce annis aliquot introductæ sunt. Petrus enim Pasma nus Archiepiscopus Strigoniensis, nunc Cardinalis Emi nentissimus, vir pietate, litteris, & prudentia nemini in tota Europa secundus, Collegium Ternaviense, in quo plus quam mille scholastici numerantur (prout egomet præsens vidi) fundavit, tribus millibus Vn garicis talleris attributis. Instituit præterea in eadem civitate Seminarium nobilium puerorum Vngarici regni, qui in Catholica Religione erudirentur. Con tubernium quoque ibidem erexit pro pauperibus stu diosis, scholas R. PP. è Societate Iesu frequentanti bus, quibus ad numerum viginti quinque tunc ad scendentibus, alimoniam præstabat. Præter hæc Col legium Passoviense sub ipsorum Iesuitarum discipli na, ab eodem Cardinali, ac vero Vngariæ Apostolo fundatum est, depositis Viennæ quinquaginta millibus florenis ad censum perpetuum, è quibus singulis an nis tria millia Collegio tribuuntur. Domus insuper, quæ fuerat Sancti Adalberti, primi Strigoniensis Ar chiepiscopi, à quo D. Stephanus Vngariæ Rex baptis mate

*Petri Car dinalis Strigoni ensis fun dationes.*

mate initiatus est, pauperum Vngariæ studiosorum habitationi ab Eminentissimo eodem in prædicta urbe dicata est. Sed integræ nobilium, ac pauperum simul educationi, ac disciplinæ se providisse Eminentissimo eidem satis non fuisset; ni etiam Sacerdotum inopiæ subvenisset: ac proinde Viennæ Clericorum Collegium instituit; eique partim in censu, partim in donis centum triginta millia florenorum in perpetuum dedit. in hoc quadraginta circiter Clerici aluntur, & jam annis singulis novi Sacerdotes submitti solent. In loco limitaneo præsidio, nempe Iavaricensi, vulgo Rab Dominus de Dalos Episcopus ejusdem civitatis Collegium PP. Societatis Iesu erexit, applicatis inter alia etiam bonis deserti cujusdam in finibus Turcicis monasterii monialium. ubi monasterium etiam fratrum Minorum Sancti Francisci constructum fuit. Duo quoque alia fundanda Collegia præ manibus sunt; nimirum Scepusiense ex diversis Ecclesiasticis bonis à sæcularibus recuperatis, & Humanianense per bellicos tumultus interruptum. verum hoc, ut diu mecum egit Comes Humanianus non solum perfici, sed in eo, quod jam factum est, reparari, ac reedificari debet. Talibus incrementis status Ecclesiasticus notabiliter corroboratus est. sed nec minus, cum multa beneficia Ecclesiastica, sicut Abbatia Lescensis, & Præpositura veteris Budæ, quæ longum tempus in sæcularium manibus occupata permanerat, recuperata sunt, & in dies aliæ recuperantur. Nec Imperatoris pietas non maximam præ se tulit in Ecclesiasticæ rei promotionem. multa enim, & pergravia onera Ecclesiastici status substulit, me precante, & cum antea bona Ecclesiastica à fisco passim hypothecarentur; sua Majestas suo, ac successorum nomine promisit, nunquam in posterum beneficia ulla oppignoranda. Ac pariter perniciosam consuetudinem, quæ ab annis sexaginta irreperat, ut mortuo Prælato Fiscus omnia mobilia ad se raperet, Cæsar substulit, ac ut seminariis erigendis mobilia hujusmodi applicarentur mandavit. Insuper cum recenti, sed tantumdem intolerabili gravamine Reges obstrinxissent Prælatos ad certum mili-

*Cæsaris  
piissima  
concessio-  
nes.*

tum numerum eorum sumptu in confiniis alendum, quo facto omnes redditus Ecclesiarum in milite alendo impendebantur, nec ulla Ecclesias juvandi facultas remanebat: hoc quoque inconveniens per Cæsaream pietatem sublatum est. Denique cum aliquas obventiones Prælatorum Camera sibi usurpasset; eas Sua Majestas remittens, nominatim supradicto Cardinali, tamquam Archiepiscopo Strigoniensi, redditus concessit, quod est quadragesima octava pars cusionis monetæ aureæ, vel argentæ in mineralibus Ungariæ locis.

*Affectus*  
*Ungarorū*  
*erga Cæsarem.* Ex his aliisque multis Cæsaris erga regnum Ungaricum beneficiis natus fuit illius nationis erga suam Majestatem summus affectus; ita ut vivo adhuc, & vegeto illo, de substituendo in Regem successorem Ungariæ filio Ferdinando III, primo Ecclesiastici sponse sua, deinde sæculares Catholici, necnon politici à Catholicis, & Clero inducti cogitaverint; eamque admissionem adhuc hoc anno perficere maturaverunt; ut suo loco dicemus, postquam de bellis hujus anni, quæ maxime extra hæreditaria Cæsaris regna, singulari tamen beneficio Catholicæ Religionis, plusquam speraveram, gesta sunt; divina magis, quam humana gratia tot calamitatibus Germaniæ, per hæresim dissipatæ, finem fortiter præparante. Præteritis etenim bellis Italiæ, Vallis Tellinæ, Sabaudia, & Liguriæ; quæ ad nostrum institutum parum faciunt; non parum tamen progressum bellorum Germaniæ detinuerunt. Belgicorum, quæ etiam ab exercitibus regiis, & Cæsaris gesta sunt, libet meminisse. Nam Legionem Saxonicam Henrici Julii, Nassovicæ, Collalti, & Holsteynii in Belgium evocatæ, sub initium hujus anni appulerunt. Inibi vero singulari usui fuerunt ad repellendas Angliæ, Daniæ, Regum, & Ordinum Hollandiæ copias, ad liberandam Bredam, & irruendum in Palatinatum submissas; quibus, ut victoria non successit, mortuo jam Comite Mauritio, & fere eodem mense Jacobo Rege Angliæ, Junior Rex Carolus desponsata sibi sorore Regis Galliæ, novum foedus, prout fama

*Legatio.*  
*nes Cæsaris in Belgium.*

fama erat, cum Gallia, & Dania Rege, & cum  
 Ordinibus foederatis Belgii sancivit ad restituendum  
 Palatinum, & impugnandum Regem Hispania. quod  
 foedus, ut validius esset, separatam foedus mariti-  
 mum inter Angliae Regem, & praefatos Ordines Hol-  
 landiae initum fuit; quo integra armatorum classis  
 communibus expensis ordinata fuit, quae Regem Hi-  
 spaniae in ipsa Hispania, aut Lusitania invaderet, illi-  
 usque vires una cum viris consumeret. Sic statim in-  
 structa fuit classis centum & triginta navium, com-  
 meatu, rebusque omnibus ad irruptionem necessariis  
 refertissima. quam ut exciperet Rex Hispaniae, quam-  
 vis in Italia gravi bello implicatus, & in Belgio, nec-  
 non in Germania, immo quarto in Indiis detentus,  
 maritima loca suorum regnorum firmis extractis pro-  
 pugnaculis, excitatisque praesidiis, à finitimis populis  
 muniri mandavit. sed Deus ipse pro Rege, & Religio-  
 ne pugnare visus est; nam vix classis adornata littus  
 exierat, quando iterum portum petere coacta est,  
 ventorum verbera repercussa, ubi naves inter se  
 collisae inestimabile damnum dominis intulerunt.

Terra Rex Daniae cum subsidio aliorum Regum,  
 & auxilio totus districtus Saxoniae inferioris, cau-  
 te ad hoc bellum perducendae, Palatinum in locum,  
 quo exciderat, reponere decrevit. Hinc indictis il-  
 lius districtus Comitibus, variis per suos, quos seduxe-  
 rat, gravaminibus dissimulatis, cum semper causam  
 Palatini, & aliam, quae propriae ambitioni serviebat,  
 Ordinibus non proposuisset; ostendit, quam gravi ju-  
 go Caesar decrevisset illum districtum sibi subicere,  
 visitationes instituere, Catholicam Religionem in-  
 troducere, Episcopatus non Catholicis adimere; imo  
 feudatarios more majorum ab investitura excludere,  
 aliaque in non leve praedictum illius districtus  
 perficere. prolixo insuper sermone ipse Rex Daniae  
 hoc ipsum alias Tillium voluisse, quando in Brun-  
 vicensem ditionem irruerat, testatus est, ac de-  
 inde à praecipuis Ordinibus, se in Praefectum Cir-  
 culi elegi voluit, destituto seniore Duce Lunebur-  
 genfi, tanquam ad defensionem Circuli non idoneo.  
 quod

*Foedus in-  
ter Gal-  
lum, An-  
glum, &  
Hollandos.*

*Quatuor  
in locis  
Rex Hi-  
spania  
bella ha-  
bet.*

*Regi Da-  
niae appa-  
tus.*

*Causa hel-  
li inventa*

quod cum successisset, quo magis intentio illius celebratur, Legatione ad Cæsarem omissa, Tillio non procul ab illo limite excubanti significavit, præfati districtus Ordines ac Principes velle in Cæsareæ Majestatis devotione, & obsequio constanter perseverare, nec contrarias præparaciones bellicas admittere: quare obtestatus est eundem Tillium, ne aliquam vim inferret, qua tam devotorum Principum arma provocaret. Interea vero ipse in ipsa Dania præparaciones bellicas fecit, & annuentibus Ordinibus inferioris Saxonix, plurimas copias collegit, quæ etiam ne strepitum facerent; partim in Holsatia, partim ultra mare in Dania asservabantur. Evocaverat etiam ille Christianum Brunsvicensem, ac Mansfeldium, adhuc quidem in Bredanæ urbis liberatione impeditos, sed illos sibi arrha veluti manciparat; ut liberata, vel deserta urbe in Saxoniam accelerarent. Interim ut non tantum Tillio, sed & Cæsari imponeret; ad Cæsarem litteras dedit, quibus præparata Comitia Electorum Vlmam improbabat, & restitutis illis, qui Bohemix tragædiæ auctores fuerant; etiam deceptum Palatinum pristino loco restitui optabat; ut sic Romanum Imperium quieti restitueretur, & clementia Cæsaris semper apud Palatini gentiles, affines, & consanguineos, laudaretur. subjunxit paulo post alias litteras, quibus significabat, Ordines inferioris Saxonix ipsum uti Ducem Holsatiæ, ac membrum illius Circuli in Præfectum, & belli Ducem elegisse; nihil autem se velle moliri, quod Cæsareæ auctoritati officeret, sed solum Ordines suos, illumque districtum à tot incursionibus, & devastationibus, quas nonnulli minitabantur, velle defendere, maxime à Tillio, quem viderat, nec petitione Principum vicinorum, nec Cæsaris mandatis locum ullum intactum reliquisse; adeoque suis per ludibrium respondisse Cæsarianum militem aere vivere non posse. ad quas litteras Regis primo Tillius respondit, majores belli præparaciones, numerosum militem contra leges Imperii, incio Cæsare regnante, conscriptum, & cæterorum Ordinum legatos, suspicionem injecisse

*Decipula  
Tillio præparatur.*

*Revocatur Mansfeldius.*

*Regis Dania littera ad Cæsarem.*

cisse longe majoris momenti, quam esset illarum provinciarum defenso, quibus tum Cæsar, tum ipse vellet assistere; si contingeret provinciam à quolibet hostiliter invadi, rogans, ut ab aliis expeditionibus non satis prudenter, & cum maximo provinciarum detrimento susceptis abstineret. Cæsar vero illius nominem miratus dignitatem rogavit, & auctoritate, qua valebat in Germania, mandavit, ut insolitam externis Regibus dignitatem Præfecturæ Circuli deponeret, eamque curam Duci Luneburgensi, qui eam multis annis optime administraverat, committeret. verum hæc frustra fuere apud illum, qui bellum adornabat; quare statim nomine totius inferioris Saxonici districtus, quorum Legati Brunsvicum conveniant ad superioris Saxonici Circuli Electores, Principes, & Ordines scripsit, eorumque operam in repellendis Cosaccis imploravit, quos in Poloniae limite convenisse, & per illas ditiones velle irrumpere finxit. quod eo fine fecit, ut etiam illum Circulum in belli societatem pertraheret; & ipsis Ordinibus superioris Saxoniae metum externorum militum incuteret, & suos Ordines nullo alio fine bellum gerere, neque alterius culpæ participem se reddere assereret. sed Saxoniae Elector, illiusque provinciae Ordines melius moniti, suam quidem provinciam servare promiserunt; ipsumque Regem Daniae hortati sunt, ut idem faceret, & à vi contra Cæsarem abstineret. Bello hoc ingruente ad solamen Cæsaris, & Catholicorum pax Turcica mense Majo hujus anni stabilita fuit in aperto campo prope Gyarmatam, septem articulos comprehendens. & quia hi postea semel, atque iterum fuerunt corrupti, & rursus correcti, melius infra recensentur. nunc vero sufficiat dixisse hanc pacem non parum saltem ad famam Cæsari profuisse; cum à novis exercitiis appeteretur; præterquam, quod non nisi anno sequenti Turcarum invasionem senserit, quare hæc pax vere plurimum rebus Cæsareis conduxit.

Soluta interim per deditionem urbis Bredanæ obsidione, & obsidentibus hinc inde dispersis; etiam defendentes

*Cæsaris  
responsa  
sunt.*

*Pax Turcica.*

*Breda deditur.*

*Iter, &  
expeditio  
Mansfel-  
dii.*

fendentes urbem cum exercitu Hollandorum, qui frustra liberationem procuraverant], dimissi sunt. quare Mansfeldius cum magna parte exercitus ad Regem Daniae profecturus, duodecim mille pedites, & mille equites Genneppae Mosam transiens ad Cliviam deduxit, deinde prope Emmericam navibus Rhenum trajiciens, ibidem aliquandiu inter Resam, & Vesaliam substitit, ubi Christianus Halberstadiensis cum equitibus obambulans integram patriam dicecesis Coloniensis exactioibus infestavit, donec Anhaltinus cum octo equitum, peditumque millibus praedones insequutus; eos fugavit. qui dilabentibus hinc inde suis militibus, cum octo circiter millibus versus Monasterium, & Osnabrugam se receperunt. Caesaris interim copiae non minus, quam Regis Daniae auctae sunt; nam non solum legiones, quae in Belgio fuerant, redierunt; sed Anhaltinus, & Tillius ex Hassia, Veteravia, & Paterbornensi ditioe in proximam Visurgi stationem devenerunt; ut hostilibus copiis si ita necesse foret, sese opponerent. imo ne praevenirentur, Hoxteram, & Holtzmundam, qui insignes sunt ultra Visurgim aditus, occuparunt, incolasque arma deponere coegerunt. quod ut Danus intellexit; Hammelium, & Mindam suum exercitum deduxit; ibique aliquandiu subsistens, ut Tillii molimen expectaret; Hammelii inter lustrandas noctu excubias ex crepidine inceniorum in fossam cum equo lapsus, non exiguum vitae periculum subiit. quare post ea, tam Hammelium, quam Mindam deserens, ut majores copias expectaret, in Verdensem dicecesim secessit. Tillius vero desertam Hammeliam occupans, Mindam, exiguo praesidio trecentorum tantum militum immisso, sui juris fecit; illamque urbem postea magis ac magis munivit. cum vero Danicus exercitus in dies excreceret, constaretque, jam ex Anglia magnam vim pecuniae fuisse subministratam; eique praeter Mansfeldii, & Christiani Halberstadiensis copias in proxima Osnabrugensi ditioe grassantes; Vinariensis Ducis ter mille equites, quorum Legatus erat Fuchsius, item Obertrautii Equitum Magistri duas legiones

*Lapsus  
Regis.*

giones accessisse; moxque majores copias ab Hollan-  
dia, & Gallia expectari, voluit Cæsar etiam altero ex-  
ercitu Tillio multis præfidiis extenuato succurrere.  
Wallesteinio itaque Principi curam dedit; ut novas  
copias conscriberet, illisque militem veteranum ex  
Bohemia, & Moravia in formam integri exercitus u-  
niret. quod quam citissime exequutus, spatio duorum  
mensium exercitum viginti trium millium ad limitem  
Bohemie prope Ægram deduxit; illoque ibidem lu-  
strato, mox relicta ad levam Norimberga in Franco-  
niam optimo ordine perrexit, sextisque castris Magde-  
burgensium, & Brunsvicensium fines attigit. occurrit  
huic exercitui in viarum angustiis difficillimis Dux  
Brunsvicensis evocata Nobilitate, & vicinis quamplu-  
rimis militibus mixtis, per quos aliquantulum repul-  
sus Wallesteinus ad Gottingham octiduo subsistere  
coactus fuit; donec adveniente Tillii milite ad sex  
millia, & viam sternente tutiorem, aditum invenit.  
Tunc superatis semel sylvis, & anfractibus, plenis  
gressibus in inferiorem Saxoniam, non ab ea parte, qua  
Tillius castra fixerat, sed versus Halberstadium irru-  
pit; atque non ita post Halberstadium, Halam, & to-  
tam Magdeburgensem ditionem invasit.

*Nova co-  
pia Vval-  
lesteinii.*

*Resistit  
Dux  
Brunsvi-  
censis.*

Interim Tillius majori securitate, postquam frustra  
Nienburgum oppugnasset, & Regi Daniae nego-  
tium facessere non destitisset; in suis expeditionibus  
progrediebatur, hoste non parum metuente novum  
exercitum. Iamque semel Tillius satis magna cla-  
de afflictus, non solum cum Gardum, & Grotum  
Ducum Legatos amisisset; sed cum savientes rustici  
aliquot turmas Croatorum, & Wallonum dissipaf-  
sent; sese debuerat subducere, verum ad Wallesteinii  
accessum rursus irrumpens insignem victoriam non  
procul ab Hannobria 4 Novembris retulit: quando  
in confictu cecidit Fredericus Dux Saxonie Al-  
tenburgensis perfidus, qui dudum Neostadii captus,  
Cæsarique conciliatus sancte sponderat, se non  
amplius contra Suam Majestatem militaturum; &  
Obertrautius Danici exercitus inter equites Tri-  
bunus præcipuus, cujus obitu non parum Danici  
consternati,

*Tillius ce-  
ditur.*

*Cedit he-  
stem.*

consternati, pacis mentionem fecerunt; quæ tamen ut patuit ex decursu, non nisi ad colligendas vires temporisque extrahendum ordinata fuit.

Consolabatur Regem Daniæ Conventus prope em in Hollandia instituendus Legatorum Regum Angliæ, Sueciæ, Bethlemi, ipsorum Ordinum Hollandiæ, & aliorum inimicorum Domus Austriacæ, quæ omnes in Palatini restitutionem erant conspiratum. Liceat mihi hoc loco subjungere id, quod vulgo dicebatur de Christianissimo Rege, (quam vere alii viderint, nam me horum sententiæ non subscribo) dicebant enim ipsius Legatum apud Hollandos egisse, ut novæ induciæ inter Hollandos, & Hispanos, de quibus jam aliqua fama fuerat, locum haberent; in qua finem etiam Regem Hollandis submisisse quinquaginta mille libras Flandricas, aliasque promississe in tractatu Compiniensi, quod si ista non sufficerent pro eorundem sociorum conservatione, multa plura offerret. Dicebatur insuper quod Rex per eundem suum Legatum Dominum Despeffe monuerat Hollandos, ut curarent diligenter 80000 aureos solvi à Rege Angliæ pro Mansfeldicis copiis quatuor mensium, cum firmâ sponcione, se ad dictam summam pro eorundem mensium stipendio subministraturum. poterat enim dubitari, quod si Danus desereretur, & addicta stipendia statuto tempore non repræsentarentur, cum Cæsare conveniret, & Cæsari cederet loca omnia inferioris Saxonie; quod non nisi cum periculo reliqui Orbis fieri posse existimabatur.

*Conventus  
fœderis.*

Eadem ratio postea in Conventu præfatorum Principum proposita fuit, atque ideo Cæsar reprimendus, & ne potentia Austriacorum cresceret, in ordinem redigendus judicatum. nihilominus adhuc in illo Conventu mense Decembri instituto, nihil concludi potuit; Bethlemi enim Legatus sine sufficientibus mandatis comparuerat, alia tamen expectabat Suecus, necdum advenerant Legati aliorum inimicorum Principum Domus Austriacæ. Interim conditiones fœderis sancienti perpendebant; & quia remotiores minoribus periculis, ac odiis suberant, minoraque commoda expecta-

expectabant, hinc minoribus sumptibus gravari volebant. Alii etiam in fœdere faciendo segniores eo tempore, quo adhuc dubitabatur de commercio districtus Saxonici, Brunsvici instituto, manum cohibuerant; & rem communem paratiori animo tractandam in subsequenter Martium remiserant. Interea Angli susceperunt Legationem ad Regem Gallia; & Dani ad Saxonicum, & Brandenburgicum Electores; Hollandi ad civitates Hanfiaticas, Camerarius ab exule Palatino ad Regem Suecia; & cuncti in vigesimum diem Martii cum paratissimis mandatis ad ferendum fœdus comparere debebant.

Dum hæc in inferiori Saxonia varia adhuc fortuna agerentur, & viderentur magis Cæsari fore propitia, quam adversa; Cæsar suæ Austria non oblitus conceptam aliquando instaurationem disciplinæ Catholicæ serio promovendam duxit. evocato itaque D. Georgio Falbio Gottuvicensium Abbate viro præstantissimo, & meo amicissimo, aliisque Commissariis ad reformationem Superioris Austriae constitutis, eosdem ,, progredi voluit. ne autem in tam difficili opera titubarent, diploma diligenter à me, aliisque Ecclesiasticis examinatum, superioribus Austriae populis transmissum, & 10 Octobris Lintzii publicatum fuit. Cujus longe prolixior à Governatore, & Reformatorebus nomine Cæsareo talis facta est publicatio.

Cum omnibus satis, semperque notum sit, quo pacto maxima pars trium Ordinum, virorum illustrium, Equitum, & civitatum Archiducatus Austriae supra Onasum, nulla ipsis data occasione, graviter deliquerint, & in recenti hæreditariorum regnorum, ac provinciarum suæ Cæsa. Majestatis rebellionem, omnis generis hostilitates, sumptis armis contra naturalem hæreditarium suum Dominum, ac Principem exercere non sint veriti, in primis autem fidem ipsi dare, neglectis amplissimis legationibus, paternisque admonitionibus, & exhortationibus, insolenter, & proterve detrectarint; jus administrandi provinciam cum rebellibus, & hostibus iniverint, edicta, & mandata pro arbitrio publicarint, itinera, domos, & arces occuparint:

*Reformatio Superioris Austriae.*

rint: Infra Onasum Rapplstenii præsidium impostu-  
 rint, Melckam Deo dicatam domum obsederint, &  
 tormentis quassarint: Aisium diripuerint, multas ad  
 Parochiales expilarint, rebellibus Bohemis, & Mor-  
 vis, ut copiis Cæsareis tanto melius resistere, immo  
 illas oppugnare possent; Legionem ter mille peditum  
 & aliquot alas equitum tradiderint, quibusdam rebel-  
 libus Ordinibus infra Onasum permiserint, ut aperta  
 militem conscriberent, arma, pecuniam, hospitia, &  
 diribitoria in provincia illis concesserint; magnam pec-  
 unia summam contra Suam Cæsaream Majestatem  
 commodarint: rebellibus in Bohemia com meatum, &  
 annonam militarem submiserint, à Principe Transil-  
 vaniæ auxilium, & militem contra Cæsarem petierint,  
 eumque instigarint, ut regnum Vngariæ, & Stiriam,  
 Cæsaris provinciam hæreditariam occuparet; Legatos  
 ad Hungaricam electionem miserint electo putativo,  
 sicut & ante novo Regi in Bohemia gratulati erant: in  
 omnibus rebellium consultationibus Pragæ, Possomii,  
 Brunnæ, Hornæ, Relæ, Neuvenfolii, & alibi legatos  
 habuerint; cum fœderatis Oratorem ad Turcicam por-  
 tam miserint, integrum Ordinem in Archiducatu su-  
 pra Onasum extirparint, imo alium dominum adsci-  
 scere conati sint: quod non tantum in suæ Cæsareæ  
 Majestatis, totiusque inclytæ Domus Austriacæ detri-  
 mentum vertebatur, sed etiam in omnium vicinorum  
 Electorum Principum, & provinciarum cum magna  
 ipsorum inquietudine, sumptibus, curis, & molestiis,  
 ad totius Romani Imperii perniciem, cum summa  
 perturbatione multorum millium Christianorum cæ-  
 de, & pernicie, & universi Orbis Christiani periculosa  
 concussione, vastatione, ac ruina, vertebatur. ob quam  
 causam in pœnam læsæ Majestatis, & amissionis  
 omnium privilegiorum, vitæ, ac fortunarum in-  
 currerint: Cæsarem ad conservandum sibi à Deo  
 demandatum Archiducatum supra Onasum, &  
 tuendam inclytæ Domus Austriacæ dignitatem,  
 & existimationem commotum fuisse, ut Illustrissi-  
 mo, & Excellentissimo Principi Maximiliano, Co-  
 miti Palatino ad Rhenum, Duci superioris, &  
 inferioris

inferioris Bavariae, Sacri Romani Imperii Archiducipifero dilecto suo cognato, affini, & Electori mandata dederit, eumque jusserit pervicaces illos refractarios subigere, & ad obedientiam sibi debitam reducere: quod etiam ipse Elector, & Dux Bavariae perfecit, & exequutus sit.

Insuper non obscurum esse supradictae rebellionis, & contumaciae non postremam causam fuisse praedicantes, & qui hinc inde in provincia calumniosus, & seditiosus suis concionibus populum excitaverint, & animos auditorum contra suum magistratum exacerbaverint, à quibus tribunitiis concionibus necdum sibi temperare, sed audacter non cessare sacramenta & salutiferam Religionem exagitare, & traducere.

Quoniam igitur officii, & conscientiae ratione Cæsar hujusmodi auctores, & inventores turbarum in hæreditaria sua provincia, & Archiducatu supra Onasum diutius tolerare, nec, si id fecerit, ejus rationem Deo reddere possit; suam Cæsaream Majestatem gravibus de causis ad stabiliendum tutum quietum, & firmum regimen, omnes, & singulos supradictos concionatores ex tota provincia supra Onasum ejicere, & Religionis ipsorum exercitium prorsus abrogare, & intercludere constituisse.

In quem finem Suam Cæsaream Majestatem omnibus, & singulis provinciae incolis, cujuscunque dignitatis, status, & conditionis sint, apud quos supradicti concionatores sive in arcibus, urbibus, oppidis, pagis, sive in agris, & villis commorentur, injungere, & serio mandare, ut intra proximos octo dies post publicatum hoc generale decretum omnes, & singulos concionatores, eorumque ludimagistros dimittant, qui etiam confestim cum suis facultatibus certo, & infallibiliter ex provincia migrabunt, neque unquam in eam sub poena carceris, aliisque certis poenis, revertentur. Illustri vero Adamo, Comiti Herberdorff Sacrae Cæsareae Majestatis dilecto, & fideli Consiliario & Cubiculario, nec non Electoris Bavariae equitum Tribuno, atque hoc tempore Lintzii Praefecto, plena potestas

confertur, quæ etiam hoc publico diplomate, & Cæsareæ Archiducalis potestatis plenitudine, & certa scientia ipsi datur, ut hoc mandatum omni obsequio observandum curet, & eos, qui ei non paruerint, nec concionatores, & ludimagistros dimiserint, vel aliquid, etsi minimum, contra illud mandatum tentaverint, pro re comperta, & qualitate delicti, in horrorem, & exemplum aliorum, nullius personæ habitatione, vitæ, & fortunarum pœna afficiat. quod unusquisque sibi dictum putet.

Hujus decreti publicatio multum diverforum animos torfit, qui in dies consilia inierunt, ut Cæsaris animimum omnino constantem everterent. quare adventibus reformatoribus omnem lapidem moverunt, ut rem impedirent, ac tandem adulta hyeme illos attulerunt, ubi jam de bello Saxonico, & de adventu Bethlemi desperassent; sed parum ex auditu profecerunt, nam aures, ut aspides surdæ, obturaverunt, suosque concionatores in annum sequentem remiserunt.

*Comitia  
Vngarica.*

*Propositiones  
Comitiarum*

Plurimum universæ Ecclesiæ, & causæ familiæ Austriacæ profuerunt tunc Comitia in Vngaria habitata, ad quæ Cæsar sese præparaverat, & Ordines Vngariæ in mensem Septembris, ac postea in 13 Octobris convocaverat, ut de imminentibus Vngariæ periculis, de Cæsareis mandatis impostero promovendis, eorumque violatoribus puniendis, de polygamia matrimonium dehonestante, de Turcicis Canisensis præsidii excursionibus refrænandis, de prædonibus castigandis, de Arrabonis fluvio purgando, aliisque regno necessariis consulerent. Cum autem Neostadii nuncium de Saxoniam inferioris exercitu percepisset, & de Gabrielis Bethlemi bellicis apparatus variis hætenus rumor fuisset, de quo pauci dubitabant; cum constaret, eum à Regibus, ac Rebus publicis ad arma contra Austriacorum Domum sumenda fuisse sollicitatum, Cæsar undique copias ad tuendam Suam Majestatem conscribi voluit, inter cætera Bethlemi animum tam de Comitiis, quam de belli societate jam suspecta tentare placuit, atque ideo Georgium Nozzatorh, Legatum

Legatum misit, qui in illius ditionibus nomine Cæsaris facultatem militem conscribendi peteret, eumque ad Comitia convocaret. Ad quæ Bethlemus Cæsari adhuc Neostadii hærenti æque caute respondit, amplissimis verbis gratias agens pro titulo Serenissimi recenter oblato, dans etiam non solum dictam facultatem militem conscribendi, sed mandans Generali militiæ suæ Præfecto, ut Cæsareis Ministris in conscriptione militum omnem operam præstaret. Comitia indicta eodem contextu, opportune fuisse indicta testatus, seque suos Commissarios juxta pristinam regni consuetudinem transmissurum promisit. Ferebatur Bethlemus paulo ante Cæsaris filiam in matrimonium ambivisse, tecto quidem nomine, ita tamen, ut non deesset, qui ambitionem notaret; nam per Legatum Cæsari significaverat, se jam statuisse secundas nuptias inire, atque ideo rogare Majestatem Suam, ut dignaretur illi aliquam ex Imperii Principibus invenire. cum vero Cæsar dubitaret, erga quam inclinaret, litteras ad Electorem Brandenburgicū impetravit, una cum facultate illius sororem libere per Imperii limitem conducendi; ex quibus tantorum verborum ornamentis plerique sibi omnia sincera pollebantur, prudentiores tamen, aliquoties decepti, nihil non sinistri latere augurabantur.

Interim Cæsar indicta die una cum Augustissima Imperatrice, filiis, & filiabus, totaque Aula Neostadio movens, Sopronium versus iter instituit, habens pro custodia præter Prætorianos equites, ac pedites, mille Cathaphractos, & Legionem integram Germanorum. exceptus autem fuit ab universa nobilitate Vngarica latissimo aspectu; quæ media fere hora antequam Sopronium attigisset, Suæ Majestati occurrit, ubi Cardinalis Pasmanus Archiepiscopus Strigonien-  
 sis elegantissima oratione latina fælicissimum adventum Suæ Majestatis nomine totius regni adgratulus; communem omnium plausum expressit, rogavitque dignaretur hunc occursum regni, loco devotæ subjectionis recipere, & civitatem suam attingere, universamque Vngariam splendore suæ Majestatis recreare.

Cæsar Sopronium proficiscitur.

Occursus Vngarorum.

*Cæsaris  
ingressus  
Soproni-  
um.*

Ad quæ cum Cæsar gratissima voce respondisset concenſo equo præcedentem nobilitatem, ſolemni-  
tatem, ſumma gravitate ſubſequentus eſt, præmi-  
ſis pretioſioribus equis, Ephebis, nobilibus, Baroni-  
bus, Conſiliariis, Principibus, me, & Legatis Hiſpa-  
nico, & Florentino. & penes nos erant feciales ſingu-  
lorum regnorum trabeis ſuis, tunicisque ſignatis, &  
ſingularibus cujuſlibet regni inſigniis, quos ſequebatur  
Aulæ Mariſcalcus cum denudato gladio juſtitiam re-  
præſentante, qui immediate præcedebat Archiducem  
Ferdinandum Erneſtum; & penes eum Cæſar ipſe e-  
ques, necnon Imperatrix cum Archiduce Leopoldo  
Gulielmo, & utraque filia in ſplendida rheda, quam  
ſequebantur quinquaginta aliæ cum mundo muliebri,  
& penes illas Prætoriana cohors.

*Comitia-  
rum Pro-  
poſitio.*

Ad portam urbis Magiſtratus civitatis ruruſus Cæſa-  
rem perhonorifica oratione excepit, cui cum S. M.  
reſpondiſſet; urbem ingreſſus, ad eccleſiam Patrum S.  
Franciſci de obſervantia deſcendit, dictoque laudis  
cântico DD. Ambroſii, & Auguſtini, ornatum palati-  
um ſubiit, in quo die ſequenti coram Ordinibus regni  
poſt invocatam gratiam Spiritus ſancti, Supremus Au-  
læ Cancellarius Ordinibus propoſuit: Sacraſſimam  
Rom. Cæſaream, Vngariæ, Bohemiæque Majeſtatem  
Dominum clementiſſimum omnino ſibi perſuadere,  
inter tot univerſi pene Imperii factiones, deſtructis re-  
gnis, & ditionibus Majeſtatis ſuæ hæreditariis per gra-  
viſſima bella civilia; nihil eſſe quo opportuniuſ reme-  
dium adferri poſſet ad conciliandam turbatæ rei publi-  
cæ tranquillitatem; quam Comitia indicere, quæ cum  
ubique habuerit, maxime tamen ſollicitudinem, cu-  
ras, & cogitationes, omneſque tractatus, & conſilia  
ſua eo direxiſſe, ut inclytum, ſibi que cariſſimum Vn-  
gariæ regnum Orbis Chriſtiani antemurale, tot anno-  
rum ſævis, & inteſtinis contentioniſ agitatum, quo-  
cunque modo reſpirare; jactisque ſolidis, & in mul-  
tos annos duraturæ pacis fundamentis, ſtabiliri poſſet.

*Cæsaris li-  
beralis in-  
dulgentia*

Quem in ſinem neque ſumptum, neque laborum diſ-  
pendia ſubterfugiens Sua Majeſtas, etiam temporum,  
in quæ inciderat, calamitati indulgens, factas olim  
inducias

inducias cum Turcarum Imperatore feliciter renovavit; motus, cum extremo Vngariæ periculo excitatos, composuit; & sincero, serioque affectu ad pacem restituendam adlaboravit. Nunc vero eisdem sollicitudinibus insistens, ne quid ad regni Vngarici conservationem pertinens desideraretur; fidelibus Ordinibus generalem regni conventum in hac urbe Soproniensi indixit, clementissime confidens, futurum, ut quemadmodum Ordines isthuc prompte confluerant; ita quoque de negotiis ad securitatem, & incolumitatem publicam spectantibus, prout patriæ, & posteritatis suæ amantes cives decet, quam maxime necessariam, & salutarem deliberationem instituerent, ut nihil dissidiis, simultatibus, vel id genus animi affectionibus tribuentes, quin potius sincere, & candide solum Deum, & regni conservationem præ oculis habentes, citra strepitus, & pretiosissimi temporis jacturam ad ea, quæ necessaria essent, non modo consilia, sed etiam opem, operamque suam libenter impenderent.

Et prius quidem habita consideratione, quod in regno Vngariæ peculiari fortassis infelicitate hætenus rarissime pax semel facta, diu conservata fuerit, nullumque satis firmum, validumque videretur habere fundamentum, quibus modis eadem conservari posset, actum est; ne tam facile ab excursionibus, infestationibus, deprædationibus, aliisque ejus generis calamitatibus turbaretur, ex quo postea regnicolæ, dum sæcula aurea sibi pollicentur, improvise opprimi solent: quod annis proxime superioribus luctuosus docuit eventus. Ideo status, & Ordines regni maturas rationes disquirerent, atque Majestati suæ suggererent, quomodo à perpetua formidine, damno, & periculis regno sufficienter caveri, & adversus turbatores pacis publicæ stabilem securitatem parari posse existimarent. nihil vicissim eorum, quæ ad hunc finem assequendum videbuntur opportuna, Majestatem Cæsaream Regiamque sua ex parte intermissuram.

Ante omnia vero primo perquam necessarium judicare, ut auctoritatis, & mandatorum regionum accuratior,

*Primum  
punctum  
inobedi-  
entia.*

*Auctori-  
tas Regia  
stabilien-  
da.*

ratio, quam hactenus à nonnullis factum sit, ratio haberetur; & acerrimæ pœnæ contra prævaricatores decernerentur. de præsidis etiam Canissa excurrentibus, unde Turcarum infestationes five induciarum, si ve belli tempore cohiberi possent; probe recordari Suam Majestatem Cæs. Regiamque, quod status anni 1618 sua ex parte sese facturos promiserint, ac proinde confidere ea omnia, quæ ablegatus Commissarius, ut oculatus testis de loci situ, & opportunitate retulerit, illos citra moram, operis, laboribus, ac sumptibus necessariis prospectis, esse facturos. cum vero universæ regni salus in eo sita esset, ut arcibus limitaneis; & confinatio militi de sumptibus in restauratione, de commeatu, stipendiis, aliisque necessariis debito modo, & tempore provideretur, & cum in hos à tempore suscepti regiminis Sua Majestas Cæsarea ultra ditiorum suarum subsidia cum ordinaria, tum extraordinaria, ex propriæ Camera, Mensæque suæ redditibus, ingentes pecuniarum summas affectu paterno erogavit; clementissime requirere, ut Status, & Ordines, descriptis, liberisque fortunis suis liberalem contributionem usque ad futura Comitia instituerent, ita de frumento, aliisque commeatibus in alimenta confiniorum providerent: ordinarent etiam labores ad reparanda, & munienda confinia, ante hæc quidem limitata, sed neglecta. quare & pœnas contra eos ponerent, qui hoc in fraudem auderent, supradictorumque annorum decreta innovarent.

*FamiliaritasTur-  
cica vi-  
zanda.*

Additum etiam, usu compertum esse, nimiam familiaritatem regnicolarum cum Turcis, ex qua correspondentia, tractatus, & machinationes iniri solerent, regno plerumque fuisse perniciosam. quare articulum alias conditum adversus illius farinæ homines non modo renovari, sed & contra transgressores certam pœnam superaddi, suspectosque inquiri, & reos repositos acriter puniri publice interesse.

*Prædones  
coercendi*

Nec minus constare, vagabundos, & prædones, qui in confiniis, totoque regno rapinas exercebant, & latrociniis vias, & itinera reddebant infesta; quotidianis querelis, & subinde etiam ipsis Turcis speciosi prætextus

tus occasionem præbere, quasi illorum injuriis laceffiti in ultionem merito exurgerent, ex quo facillime fieri poterat, ut tanto labore, ac studio conclusæ induciæ tempore importunissimo dissolverentur; cogitare igitur debere Status, & Ordines de rigorosis pœnis ac mediis, quemadmodum alias quoque fuit sancitum, & ut contra illos, qui post ultimas factas inducias hac in parte noxii fuerant deprehensi, in aliorum terrorem procederetur.

Quo commodius, & minori cum dispendio arcibus, & præsiidiis limitaneis de pulvere tormentario, qui plerumque ex Imperio magnis sumptibus, & ob itinera non satis secunda haud absque periculo curari deberet; imposterum per Majestatem Suam Cæsaream, Regiamque posset provideri, benignissime postulare, ut articuli alias conditi de salnitro, cujus regnum ferax est, nequaquam extrahendo, sed in usus regni imponendo, renovarentur.

Obstructus fluvii Rabæ alveus propter diversa molendina aggeribus congestis, ab aliquot annis in eodem erecta, cum maximo præsiidii Iaurinensis incommodo, necnon pagorum, è quibus solebat Iaurinensibus de comœatu prospici; nunc in paludes redactorum, necessario debere inspici, ac remedium adhiberi, sicut alias fuerat decretum; hinc Suam Majestatem postulare, ut aliquis serius ad medelam tantorum malorum ordinaretur, eique de modo, & mediis prospiceretur, ut aggeres destruerentur, quo constantem, & antiquum suum alveum fluvius haberet, & tum beneficio pagorum, tum etiam præsiidio tanti loci confuleretur.

Adlaborandum etiam esse, ut articuli alias conditi contra eos, qui variis collusionibus trigessimorum proventus defraudare satagebant, renovarentur, & in effectum deducerentur. Multum præterea incommodi emerfisse ex dicatoribus Communitatum, quorum nonnulli tardius comparebant, alii segnius munus suum absoluebant, vel omnino negligebant. Hinc videri, & illis terminum indicendum juxta articulum anni 1542, videlicet, ut ex prima statim die post Dietam in Comitatu celebrandam, omni dilatione semota, dicatores

tores emitterentur, proinde supradicti articuli renovationem, & observationem videri quam maximè necessariam.

*Securitati comm-  
mercioris  
consulendum.*

Itinerum & viarum securitatem, quæ plurimum conferebat emolumentum, tum commerciis, tum comm-  
meatibus trigessimis, aliisque proventibus, spectare ad officium supremorum Comitum, vel illorum Vicecomitum, quemadmodum ea cura sapius per regni decreta est commissa; nihilominus tamen experientia quotidiana constare, prædones passim debacchantes itinerantium mercatorum fortunis, & sanguini infidiari, quod causa erat, ut periculis hisce absterriti, ab omni negotiatione abstinere, vel in alias regiones mercimoniam suam transferre cogerentur, cum ingenti jactura proventuum regionum. Proinde articulos in hac re sancitos, non modo repetendos, verum etiam contra prævaricatores pœnas executioni mandandas.

Porro Sacratissimam Cæs. Majestatem clementer nonnullas adhuc regni constitutiones superiori Dieta sancitas, quas ad effectum deduci licebat, pro satisfactione regnicolarum magnopere considerare; quia tamen varia intercesserant impedimenta; motus in regno excitari, tractatus cum Turca de pace constituenda, occupationes in Imperio, Commissariorum defectus, multaque alia idcirco hisce in Comitibus præsentem Suam Majestatem benignè provisuram, omniaque, quam citissimè expedituram. Eoque magis confidere fideles regni hujus Status, & Ordines officio suo facturos satis, prædicta omnia prudenter expensuros, & se nihil neglecturum, quod ad commodum regni fore cognoverit.

*Gravamina.*

Dum his de rebus Ordines divisim inter se partibus, ac factionibus consulebant; exigua quædam gravamina à nonnullis proposita fuere, quæ potius particulares personas, militum licentiam, iniqua tempora, Bethlemi infidam vicinitatem, & Turcarum protervam libidinem; quam Cæsaris officium inculpabant; quibus tamen omnibus Cæsar quantum fieri potuit, pro innata suæ clementiæ bonitate & prudentia ad  
votum

votum ipsorum Vngarorum providit, maxima omnium, etiam eorum, qui aliquando averfi fuerant, satisfactione, ut nihil in Sua Majestate amplius desideraretur.

Optabant vice versa Ordines Cæsari in omnibus satisfacere, & quia per paucos proponebatur successio Archiducis Ferdinandi Ernesti (quam solus Archiepiscopus Strigonienfis, Episcopus Quinqueecclesiensis Vngariæ Cancellarius, & Comes Esterhazius Cæsari placere intellexerant) multi hanc successionem (repugnantibus omnino hæreticis) majoris molis, ac difficultatis fore arbitrabantur. Non enim Catholici omnes advenerant, & hæretici pares, aut superiores in votis facile propositionem rejecissent. Legati etiam Bethlemi subodorantes simile quid esse præ tali electioni se opposuerunt, multosque in suam sententiam etiam usque ad strepitum, & minas pertraxerunt. submiserat etiam Bethlemus præternatos ad Comitata solemnem legationem, una cum Secretario, ut Principes viros omnes, & procerum præcipuos ad instantia suarum nuptiarum solemnia invitaret: per hos itaque extra ordinem singulis electionem Ferdinandi dissuadens, correspondentibus suis, ac hæreticis suggestit, hoc fore contra regni jura, contra libertatem voti, & contra decorum, singulis Polonorum exemplum quasi speculum apponebat, ut inibi fortunam suam periclitantem intuerentur. Illi etenim, ut ferebat, rigidissimi sui juris observantes, quamvis quarto requisiti à Rege pro filii promotione, vivente Rege, semper ejus postulata, & Vladislai electionem repudiaverant, ne libertati, & suæ fortunæ cederent, quam forte post obitum parentis in filio non reperirent. Hæc, inquiebant Legati Bethlemi, est vestræ fortunæ imago, nunc ad oculum servientes adorabitis, quem postea adorasse pœnitebit, quando adultior, & defuncto parente, non vestris votis, sed parenti suo electionem se debere arbitrabitur. Accedebat & alia non minor difficultas ratione Legatorum Comitatuū, & ditionum, penes quos erat votum, sed restrictum ad propositionem. cum autem hæc electio propositioni non

*Vngari-  
ali-  
qui filium  
Cæsaris in  
Regem po-  
stulans.*

*Legati  
Bethlemi  
se opponunt.*

*Exemplū  
Polonorum  
adducitur.*

*Legatorū  
insuffici-  
ens aucto-  
ritas ad  
votandū.*

non fuisset inserta, neque delegantibus significata, non poterant delegati suam auctoritatem majoris expendere. quare plures ob has, aliasque rationes de electione Archiducis desperabant, Cæsar ipse quasi horum omnium ignarus, promotionem filii prudentissime dissimulabat.

*Conatus  
Catholico-  
rum.*

Laborabant tamen in illa Archiepiscopus Strigoniensis, Cancellarius Vngariæ, & Esterhæsius, qui apud suos jam de successu electionis desperantes, vivis rationibus necessitatem imminentem, periculum evidens, & decentissimam actionem electionis promovebant, ne defuncto Rege, periculosum interregnum neminis nisi his, qui commodum è tumultibus querebant utile contingeret, ne Bethlemus aliquando aspiraret, vel Turca minus potentem invaderet. Quæ omnia quam maxime regno cavenda prolixè differebant, eademque opera contraria argumenta solvebant. Neque enim, ut bene illi inquiebant, eadem est ratio regni Poloniæ, atque Vngariæ, cum nunquam in Polonia vivente patre, filium coronatum acceperimus; quod frequenter in Vngaria contigisse constabat. Addidisset alius, longe majorem esse libertatem electionis Poloniæ, quam sit Vngariæ, cum hæc ad proximum sanguinis, si aptus fuerit, & si aliquis è Domo Austriaca extiterit, vigore pactorum, & meritorum restringeretur; illa etiam externum, Gallum, Belgam, Germanum, Vngarum aut Transylvanum, & Bohemum, aut alium quemlibet complecti poterat. Quod attinebat ad Legatorum Comitatum commissionem, ea multorum judicio sufficientissima videbatur: nam præter propositionis responsa, quilibet ex vi generalis clausulæ commissioni insertæ poterat una cum aliis suffragari rebus in utilitatem regni tendentibus. cum autem hæc electio in evidentem regni utilitatem foret, ad sopiendas aliquando enascuras difficultates, nullus non se auctoritate munitum ad tam sanctum opus electionis arbitrabatur, quod facillime sibi Catholici omnes persuadebant, & modestiores hæretici non contradicebant. Crescebat omnibus ad electionem animus; jamque audebant propalam de illa sibi aliquid certi promittere,

*Differen-  
tia inter  
Poloniam  
& Vngari-  
cam  
coronam.*

mittere, quando destinati regnorum Sclavoniæ, Croa-  
tia, & Dalmatiæ Catholici fere omnes accesserunt; ita  
ut Cæsariani fortiores plurimis votis alios renitentes  
superarent. Nihilominus quia res erat summi momen-  
ti, ex qua fere integra Cæsaris auctoritas dependebat;  
non videbatur expedire absque majori cautione fortu-  
nam experiri in Archiduce; sed prudentiores electio-  
nem Palatini præmittendam censebant, firmam spem  
conciplentes, si ad placitum Cæsaris Palatinus eligeretur,  
longe certius regiam electionem Archiduci Ferdinando obventuram.

*Electio  
Palatini.*

In experimentum itaque gravioris electionis propo-  
nebatur Ordinibus Palatinus eligendus unus quidem  
ex quatuor nominatis. nominaverat enim Cæsar duos  
Catholicos, & duos hæreticos juxta constitutiones, &  
consuetudines inviolabiles regni, commendaveratque  
ex Catholicis unum præcipue Comitem Esterhasium,  
cui facta scrutinio cesserunt centum & quinquaginta  
vota propitia, sexaginta vero contraria. Hinc securius  
de electione regis licuit conjicere; quæ tamen, ut se-  
curius obveniret in re tanta, majori nixu curatum fuit  
à nonnullis, ut etiam ex istis sexaginta nonnulli (certa  
aliqua diligentia adhibita) impetrarentur, quod succes-  
sit, ita ut nullus amplius electioni futuræ diffideret.

Soli Bethlemiani cum paucis aliis sese opponebant,  
& quod mireris, audaci fronte scæmina Budeani quon-  
dam vidua, & Junioris Budeani mater; utque præci-  
piti rotæ baculum injiceret, Augustissimæ Imperatrici  
periculum privatæ suæ causæ suggessit: si hæc electio  
admitteretur, decideret Sua Majestas à suo jure regio,  
ac regiminis, quo alioquin poterat gaudere vidua us-  
que ad novi Regis coronationem, ac confirmationem,  
si post obitum Cæsaris superfuisset. verum Impera-  
trix prudentissima in hoc, sicut & in aliis, habitis  
gratis pro benignissimo affectu, post Cæsarem nolle  
vivere, multo minus regnare, totumque illud filiis  
Cæsareæ Majestatis se velle conferre asseruit, ac de fa-  
cto contulit.

*Budeani  
vidua op-  
positio.*

Electio igitur in animis eligentium firmata, &  
jam, ut apparebat, certissima, tamen differri debuit ad  
aliquot

*Discuti-* aliquot dies; nam inter arcanos Cæsaris ministros  
*tur Regis* satis convenit de coronatione Regis, electioni indubi-  
*coratio.* addenda. nam aliqui differendam, alii maturandam  
 censebant, vocatique fuere ad hujus difficultatis discus-  
 sionem præter arcani Consilii præcipuos, Archiepisco-  
 ,, pus Strigoniensis, Cancellarius Vngariæ, Esterhásius  
 ,, recenter factus Palatinus, Legatus Hispaniæ, & ego  
 ,, Sedis Apostol. Nuntius, quia argumenta pleraque  
 ,, Religionem concernebant; neque illa deerant in ut-  
 ,, tramque partem, quibus suaderetur promotio coronæ  
 & quibus eadem dissuaderetur. Consilarii qui coro-  
*Argumē-* nationem immediate adjiciendam dicebant; existima-  
*ta pro co-* bant, illa omissa, Archiducem non secure Regem fore  
*ronatione.* illam enim ob causam Bethlemo Gaborio regium ti-  
 tulum fuisse detractum: nam quamvis electus, nun-  
 ,, quam tamen Rex coronatus fuerat. apud Vngaros e-  
 ,, nim inconstantes multum proderat coronatio, jura-  
 ,, mentum, & externa illa pompa animis hominum lon-  
 ,, ge profundius infixæ. addebant hi, coronationem pro-  
 ficuam fore Archiduci si forte ad Comitæ Imperialia  
 deveniretur; deinde ad ineundum matrimonium cum  
 infanta Hispaniæ videbatur coronatio necessaria, ut il-  
 ,, la non electo Regi, sed coronato desponsaretur. Imo  
 ,, electus Regis titulus Austriacis Principibus hæredita-  
 ,, rie regnum sibi adscribentibus non parum displicebat;  
 ,, ne quod juris esset, gratiæ adscriberetur. alii tamen a-  
 ,, liter sentiebant; nam præproperam istam pompam o-  
 ,, derant, non quod inviderent debitum hunc honorem  
 ,, Regi, aut Cæsari; sed quod Religioni Catholicæ ti-  
 merent. non enim admisissent Ordines Regem ad co-  
*Argumē-* ronam nisi eadem privilegia, jura, immunitates, ac  
*ta contra* Religionis præstitutæ libertates jurasset, quas parens  
*coronatio-* sacramento suo firmaverat illo tempore, cum in ma-  
*nem.* ximis versaretur periculis, quando necessitate quadam  
 compulsus coactus fuit, majoris boni ergo, aliquo mo-  
 do cedere graviora urgentibus: ad quæ adeo enormia  
 nunc nulla necessitas filium adigebat. sperabant  
 in dies, vel per obitum Bethlemi, vel per continuatas  
 victorias meliora tempora successura, & sic expunctis  
 iis, quæ Catholicam Religionem præpediebant, posse  
 aliquando

aliquando mitius juramentum præstari, neque certe aliquis istorum audebat, tam teneram conscientiam adolescentis tam scædo vinculo adulteratæ Religionis irretire, quo perpetuo irretitus forte aliquando suspirasset, & suæ ætatis Consiliariis culpam prostitutæ libertatis adscripsisset. Qui ærario præerant coronationem ob ingentes sumptus erogandos, & amplio-rem Aulam, quæ Coronatum Regem decebat, deinceps alendam, differri volebant, maxime instantibus jam Comitibus Vlmensibus, quæ si à coronato Rege frequentarentur, ingentem summam requirebant; verum hæc Cæsari semper liberali exigua videbantur, suamque Majestatem solum urgebat res conscientia, quam nullo modo gravari volens, omnino coronationem pro nunc omittendam fore indixit, atque ita per Palatinum Ordinibus regni solam electionem filii concedendam insinuavit. Ast Ordines regni, vel consilium animadvertentes, vel forte casu, prout magis credidimus, electionem fecerunt cum ista conditione, ut ab Archiduce promissa, juramento firmarentur regni privilegia tam sacra, quam profana; cum tamen juramentum istud soleret fieri in coronatione Regis. Itaque ex arena Consilium desumendum fuit, periclitabatur enim non solum electio, sed multorum etiam bonorum aver- sio; qui privilegia sua tenaciter satagentes potius electionem, & regnum, quam jura amisissent. imo jam aliqui potius ad Bethlemum, & quemlibet alium; quam ad tergiversantem Ferdinandum converti volebant. quare omnium sententia judicata fuit necessaria privilegiorum jurata stipulatio. Illam tamen in communi factam minime Regem obligaturum sperabant. Palatinus ipse omnem nobis anxietatem in rebus Religionis exemit, asserens etiam juratos regni articulos, servatis servandis posse everti; si Rex una cum regnicolis mutationi decretorum assentiretur. In speciali, inquebat, res Religionis facile corrigendas, si plures Catholici fierent, & una cum Rege Religionis incommoda, aut dedecora abrogarent, quod non tam facile fieret in civilibus privilegiis, quorum conservacioni omnes inhæbant; dum

Argumē-  
tum Ca-  
mera  
Ærarij.

Ordinum  
Vngaria  
sententia.

Palatinus  
Vngaria  
votum.

numquam

*Offertur  
Cæsars e-  
lectio filii.*

numquam proprium commodum exuebant. His rationibus permotus Cæsar non solum in electionem sed & in coronationem (quæ pondus addit auctoritatis multumque movet ad constantiam Vngarorum animos, dum Regem suum vident corona S. Stephani redimitum) præmissa privilegiorum confirmatione non secus à filio, quam à patre faciendam, consentit. Quare Ordines die S. Catharinæ sacro frequentate Cæsarem adierunt, consiliumque suum de successore (post tamen obitum Suae Majestatis) eligendo exposuerunt. quod minime absurdum videri debere asserunt Archiepiscopus Strigoniensis, cum mors æquipedem pulset pauperum tabernacula, regumque turres, hoc ad totius regni tranquillitatem spectare, si certum, ac designatum successorem haberet regnum. Itaque Cæsar gratias agens Ordinibus pro ea benevolentia, quam filium in patre, & patrem in filio prosequerentur, sibi hanc Ordinum mentem non displicere ostendit; tantumque habuit, quicquid in hoc disponderent, dummodo filius, non nisi defuncto, aut lassato parente, regni gubernacula assumeret. Postero itaque die processerunt, & Ordines in Curia magna frequentia congregati, postquam per Archiepiscopum Collocensem Serenissimo Ferdinando Archiduci denunciatum fuisset, quo illum Ordines prosequerentur affectu, quo desiderabant illius patrocinium, ac tutelam regia corona insignire; & Archidux ipse invictissimo Patri morem gerere decrevisset; peractisque gratiis Ordinibus, tantam propitiam in se voluntatem agnovisset, consentientibus votis illum in Vngariæ Regem elegerunt, simulque ante publicatam, peractamque electionem, revere[n]tes litteras ab eodem de servandis eorum privilegiis receperunt; quem postea populo Regem proponerunt ingeminatis vocibus, vivat Rex, Rex vivat. quas voces deinde bombardarum strepitus, tormentorum, & tympanorum sonus, gratissimusque totius populi clamor excepit.

*Electio  
Denun-  
ciatio.*

Hoc strepitu nonnihil remisso Ordines, præeunte semper Archiepiscopo Strigoniensi, Cæsarem sub tribunali sedentem salutarunt, coram Archiduce adhuc in pedes

in pedes ante parentem consistente; dixeruntque Ordinibus Vngariæ complacuisse S. C. Majestatis filium Ferdinandum Ernestum Archiducem in Regem suum eligere, quod si placeret Cæsareæ Majestati, eidem vellent hoc significare. Id cum Cæsar annuisset, Archiepiscopus conversus ad Archiducem, altius exorsus est telam electionis ab Ordinibus in favorem illius factam exponere, rogans ut tali electioni pro bono patriæ, pro felici regimine, & familiæ augmento vellet consensum præbere. quo habito, Archiepiscopus Archiducem primo Regem nominavit, & grandibus verbis omnia fausta novo Regi suo comprecatus est, quod idem præstiterunt nobiles omnes, ac Barones. Rex vero suum patrociniū, & favorem omnibus deferens, non minori humanitate, quam preparata eloquentia, vitam longissimam Augustissimo suo parenti, & devotam eidem obedientiam, ut utriusque Spiritus sancti assistentiam ad regendum in pace populos sibi à Deo commissos, comprecatus; solium sibi præparatum apprehendit, & tunc prius supremus regni Cancellarius Vngarico idiomate totam electionis, promotionis, & obtenti consensus decursum Ordinibus universis, nobilitati, & populo explicavit. Accurrerunt postea singulari studio omnes, ut dexteram Regiam exoscularentur, quæ caremonia in longam noctem protracta fuisset; nisi Augustissima Imperatrix cum Archiduce Leopoldo Guilielmo superveniens, & novo Regi familiaria precans; turbam ab illo separasset, eundemque una cum Cæsare ad proximam ecclesiam deduxisset. In illa solemnī pompa Deo actæ sunt gratiæ, choreis musicorum, tympanis, tubis, & organis mira harmonia resonantibus. Reboarunt postea singula oppida, ac civitates magno tormentorum strepitu; & ubique solemniter extructi fuere ignes lætitiæ indices, ita ut viderentur omnia tali electioni applaudere, & præ gaudio novus dies exilire. Fama autem hujus electionis Strigoniam, & Budam usque perlata, ubi Turcis non minor, quam Bethlemo invidia, & indignatione laborantibus, animus desidit.

Vienna mox, & aliis à locis, quæ ad coronationem

P

faciebant,

*Plausus  
populi.**Laudes  
Divinae.**Corona  
delata.*

faciebant, allata sunt: missi quoque è præcipuis principibus, qui regium diadema cum regalibus insignibus Possonio asportarent, quæ omnia solemnissimo ritu Sopronium ultimo Novembris allata sunt. Tunc primum mihi videre licuit mirabilem illam coronam quam Benedictus VII Pontifex Romæ pro Mescorone seu Menceslao Poloniae Principe præparaverat, sed à vino monitu Stephano Principi Vngariæ, primo ibidem Regi Christiano transmiserat, qua idem Stephanus postea propter vitæ innocentiam Catalogo sanctorum adscriptus perpetuo usus fuerat. Miratus sum in illa corona non artem, quæ rudis est, sed gemmarum aurum, variis pauci pretii carbunculis miro artificio distinctum. & quod omnibus admirationi est, coronæ additum est paludamentum regium byssinis, aureisque filis intertextum, ab annis septingentis adhuc integerrimum; sceptrum insuper, gladius, & globus, quæ omnia D. Stephano anno 960 servierunt, & tunc Ferdinando Ernesto consignanda delata sunt. Totum agmen deferentium regalia insignia præcedebant Germani tubicines, harmoniam facientes; sequebantur Baro Aurspergius, Lebelius, & alii equitum Magistrum cum suis signis cataphractorum: deinde Vngaricorum procerum præcipui cum magno nobilium comitatu, quos sequebantur tres gubernatores regnorum Dalmatiæ, Croatiae, & Sclavoniæ, qui Banni dicuntur, inde equitabant quinquaginta circiter è Palatini Vngarici ministris, leopardorum, tigrum, aliorumque animalium pellibus tecti. Palatinus deinde ipse medius inter Germanicos, atque Vngaricos Barones, Consiliarios, & Principes. Post hos corona regia, currui Cæsareo imposita, & à custodibus asservata, vehebatur, quam quadraginta Reges jam gestarant, tanta gravitate; ac si Rex ipse rhedæ insedisset. Agmen clauderant rhedæ quinquaginta, partim ad solam pompam vacuæ, partim Prælatorum vectioni servientes, una cum Prætorio milite, & perpetuo custodia coronæ assignato præsidio, & tres aliæ turmae cataphractorum Germanorum.

” Dies octavus Decembris, qui Gloriosissimæ Dei  
Matris

*Coronæ descriptio.*

*Ordo præcedentiū.*

Matri Virgini sine labe conceptæ facer est, destinatus fit coronationi Regis, publicato prius edicto sub pœna capitis, omnibus, ac singulis, ut tumultus evitarent, & quilibet suo officio intenderet. ejus diei summo mane, dato signo majori tormento, omnis nobilitas convenit, regem inaugurandum comitatura ad ipsam Regiam. Imperator, Imperatrix, & filia una cum solito famulatio, quos comitabantur ego, Legatique Regis Catholici, & Magni Ducis Etruriæ, descenderunt in templum solemniter deducti à fecialibus Imperii, Bohemiæ, Austriæ, singulisque ministris cum Imperatoriis, ac regiis insigniis. postquam vero Cæsar corona Cæsarea redimitus cum Imperatrice coronata sub uranisco confederunt ad sinistram chori partem; accessit Rex inaugurandus cum sua quam maxima pompa ad thronum in dextera parte chori præparatum; divisus hinc inde nobilibus, ac generatim ministris Imperatori servientibus penes suam Majestatem Cæsaream manentibus. Venerunt distincti ministri regii, qui soli hoc die ministerium suum exercere solent. præcedebat fecialis Vngaricus, & decem vexilliferi decem regnorum Vngariæ incorporatorum præferentes insignia, vexillis impressa, penes hos Comes Zerinius nudatum enses, Terschertius Francipani Crucem, Allegius sceptrum, Nadastius gladium S. Stephani, Palsius pomum regium gestantes; quos sequutus est Esterasius Palatinus regni, totius actionis supremus director; postea rex, quem venientem mox Archiepiscopus Colocensis, & Episcopus Agriensis excepturi occurrerunt in habitu Ecclesiastico, & ad fores Ecclesiæ data aqua benedicta illum attalica veste Vngarorum more indutum exceperunt; eumque ad præparatum thronum deduxerunt. inde post paululum quietis dum singuli ornamenta regia altari imponerent; rursus Regem ad altare coram Archiepiscopo Strigoniensi Episcopalibus ornamentis induto, & Prælati ministrantibus circumdato, deduxerunt; rogantes clariori voce Archiepiscopum, ut hunc in Regem regni Vngarici coram universis regni Ordinibus consecraret. Quæ-

*Regis coronatio.*

*Rex præsentatur  
consecrati.*

*Rex in-  
augura-  
tur.*

renti vero Archiepiscopo, an Principem oblatum idoneum agnoscerent, atque ita fieri vellent; omnibus acclamantibus se velle; Archiepiscopus surgens Sacrum celebravit, sub quo solitis caeremoniis, ut Pontificale Romanum illas exprimit, Rex inauguratus fuit; extra has caeremonias Rex ipse ascendens primum altaris gradum, gladium S. Stephani evagavit, & Palatinus ante coronæ impositionem ad cornu Evangelii consistens, coronamque de manu Archiepiscopi accipiens; ad populum conversus, Vngarico idiomate tertio stentoria voce clamavit: O regnum inclytum, O Vngari, quotquot estis; vultisne Serenissimum Ferdinandum Ernestum Archiducem Austriae sacra corona S. Stephani solemniter inaugurare? respondentibus omnibus constantissima voce, Volumus, omnis nobilitas dixit; Amen, vivat Rex, vivat Rex. & Archiepiscopus coronam recipiens de manu Palatini illam Regio capiti imposuit, Rex vero chlamydatus coronatus, cæterisque regalibus insigniis redimitus non procul à sede Majestatis Cæsareæ secessit ad aliam sedem, quæ majorem aram respiciebat pro offertorio, oblata magna quantitate auri, exosculataque manu Archiepiscopi; ibique toto tempore solemnis Sacrificii mansit: ubi etiam devotissime Sanctissimæ Eucharistiae Sacramento sub una specie absque ablutione, ne forte aliquis aliud sibi persuaderet, refectus fuit; & paulo post Christo plenus versa sede ad populum viginti quatuor equites quemlibet ter percutiendo cum gladio S. Stephani creavit.

*Cæremonia Vngarica.*

Absolutis omnibus sacris caeremoniis, totaque pompa eodem ordine è templo egressa, novus Rex regio adhuc ornatu condecoratus, extra oppidum inclivum, qui à dextera parte est proximior rectæ viæ, qua itur Viennam; equum adegit, ubi educto gladio, ut illi genti Vngariæ mos est, quatuor ictibus versus quatuor mundi plagas auram diverberans; suæ dignitatis, ac conservationis regni speciem dedit, & in signum liberalitatis futuræ pecuniam recenter suo nomine cusam, trutinæque, ac verbis justitiæ, & æquitatis inscriptam in populum frequentissimum aliquoties

quoties per duos suos ministros sparsit. In palatium deinde regressus regali convivio universam aulam excepit; quod non pigebit hic adscribere, ut & sessionis ordo, & sobria frugalitas cum liberalitate notetur.

In majori aula Palatii sub uranisco erat oblonga mensa, cujus sola prima pars uranisco tegebatur, caput mensæ occupabat Imperator cum Imperatrice, ad latus dextrum ipse Rex adhuc sub uranisco. ab eadem parte, tamen extra tegumentum uranisci, sed parvo intervallo mihi locus fuit assignatus; vacuum autem ab alia parte locum implebat Baro Vngarus dapibus Cæsari, ac Regi scindendis destinatus, qualem etiam habebam subtrus ad latus dextrum nostræ mensæ desertivum: deinde sedebant Archiepiscopus Strigonien-<sup>Sessionis</sup>sis, & Colocensis, ab alia vero parte mensæ juxta Baronem Architriclinum mihi è regione erat Legatus Hispaniæ, & Legatus Magni Ducis Etruriæ cum Palatino Vngariæ. Rex chlamyde Regia indutus, & corona ornatus vescebatur, sed ad primum haustum coronam Regiam pateræ imposuit, eamque ad dexteram suam toto tempore convivii servavit. ministrabant, & assistebant mensæ Cæsareæ, Regiæ, ac nostræ præcipui Barones Vngariæ. in alia aula minori excepti fuere ceteri Ordines Vngariæ, qui voto suo Comitia ornaverant; multique ex illis uxores conduxerant una cum aliis Germanicis; reliquaque aula in quinquaginta mensis extra ordinem præparatis dapes opiparæ magnifice ornatae præbitæ sunt, plerumque tamen Vngarico modo excultæ, ac tali ordine dispositæ, ut vix patenæ mappam alicubi vacuum relinquerent, sed sibi invicem duplici gradu superimpositæ; & tertio mutatae, totam mensam tegerent, soloque fere odore hominem explerent. Aves non nisi centum quinquaginta diversi generis; rara tamen sobrietate vinum gustabatur ab omnibus, sesquihoræ spatio, quo suavissimo concentu paucarum vocum elegantia magis, quam ciborum varietate, quæ tamen non deerat, recreati sumus. Exceptit convivium splendidissimum de nocte tripudium ab octo equitibus, totidemque nobilibus,

*Sessionis ordo.*

*Musica in convivio.*

nobilibus, quæ Imperatrici in cubiculo serviebant, rubra holoferica veste indutis, ab omnibus aliis distinctis, institutum, quod ad multam noctem prodegitum est,

*Comitia  
pacifica.*

Octiduo post, peractis, ad quæ veneramus, Viennam adulta jam hieme, per nives rediimus. Gratias Deo in Christi Natalitiis persolventes de Comitibus pacificis peractis, quod cum rarissimum esset, singulariter Divino Numini adscripsimus. nam ab annis sexaginta vix nulla Comitia habita fuerant; in quibus non Ordines inter se digladiati, tum ministri Germanici cum Ungaricis decertantes, non aliquot vita privassent, vel vitam ibidem amisissent.

Enituit præcipue hoc anno in Moravia pietas Cardinalis à Dietrichstain, cum illius opera cives omnes Olomucenses præter unum tantum ad Catholicam Religionem redierint; sicut etiam cives multarum aliarum civitatum, & locorum particularium dominorum; ex civitate vero Sterberga, quæ est sub dominio Principis Munsterbergensis (licet Lutherani, & de progenie Regis Bohemiæ Poleibracci) fuerunt eiectiones omnes prædicantes hæretici. Præterea ad augendam pietatem, & Religionem Catholicam in populis illis tam ampli Marchionatus, idem Eminentissimus Cardinalis ædificari fecit eodem anno, in civitate sua Nicolsburgensi sacellum ædificiis, picturis, & mensuris simillimum Sacrosancto Sacello Lauretano, obtinuitque à Sanctiss. D. N. Urbano Indulgentias in forma Iubilei, quas ii omnes consequerentur, qui devote illam visitassent in festo ejusdem Matris Dei in Cælos Assumptæ. quare convolarunt ad illam ex Ungaria, Austria, Moravia, & ex aliis remotis partibus innumeri populi. omnes civitates Moraviæ, & in vicinia sitæ prælatis Crucibus, vexillisque venerunt, pagi itidem vicique insignibus, agminibusque discretis, alii nudis pedibus, alii explicatis brachiis incesserunt, omnes Deo, & Beatiss. Deiparæ non sine symphonia, laudes, & carmina canentes. in quibusdam etiam agminibus; multi flagris nuda, & cruenta sibi terga verberarunt, numerus iniri non potuit: initus tamen est utcunque

utcumque numerus eorum, qui ad Sacram Mensam accesserunt, fuitque decem millia hominum. Quæ pietas imo illis inſedit pectore, ex illo etenim cœperunt Nicolsburgum confluere tanto numero, ut nec civitas, nec suburbia eos cæperent. præſertim in diebus Beatiff. Virgini ſacris, ſeptem, octo, novem, nonnunquam etiam decem integræ civitates, labaris ſacris ſplendentibus venerunt; tantoque pietatis ſenſu modulati fuere, ut multorum ex oculis, prout ipſe vidi, lacrymæ ſpiritualis jubili teſtes ubertim fluerent. nec modo venerunt, quos vel fortuna, vel natura ſuis opibus cumulavit utcumq; ſed Principes ipſi, Imperator, & Imperatrix; prole Auguſta comitante. Frequentiam, & celebritatem auxerunt miracula. multi enim, quorum vita deſperata jam erat, implorata Beatiffima Virgine Lauretana Nicolsburgenſi, convaluerunt. Virgini etiam opem ſenſere alii variis calamitatibus implicati. infans mortuus vitam, & ſpiritum recepit, ſtatim ut mater vovit, ſe filio redivivo, Nicolsburgum Beatiffimam Virginem ſalutandi cauſa venturam. Ommitto cætera, quæ à viris præſtantiffimis, & doctiffimis veteri more diligenter examinata candido calculo approbata ſunt, nam publicis literarum monumentis ab aliis mandabuntur.

Sed ex Moravia in inferiorem Saxoniam properandum eſt, ubi ſub nive ardentibus bellis, ut ſupra tetigimus; Rex Daniæ Stolizenavium recuperaverat, magna Tillianorum clade; qua victoria insolentior evaſit, maxime ubi intellexit, Mansfeldium Stadenſem civitatem attingiſſe, atque ibi multorum tormentorum bellicorum apparatu inſtrictum copias velle cum ſuis conjungere. eum tamen Tillius, impetrato Kalenbergio, ac tunc Hannoveram ambiens; magno conatu ſtudebat præpedire. quod Danus animadvertens, Hannoveram præſidio ſex millium firmans, ipſum Mansfeldium in agrum Bremenſem cum decem millibus hyberna molientem expectavit. Habebatur interim Conventus Ordinum Brunſvici, quo Saxonix Elector, nec non Brandenburgienſis, & Pomeranus ſuos Legatos miſerant, ut Ordinibus inferioris

Rex Daniæ occupat Stolizenavium.

*Magde-  
burgenses  
monentur  
à Cæsare.*

*Insolentia  
rusticorum  
in Hartz.*

*Tractatio  
de pace.*

Saxoniarum, majora bella adornantibus pacem perfunderent; quod cum difficile foret apud bello incensos animos; undique tympana pulsabantur. Magdeburgenses civitatem suam festinatis operibus munierunt, & com meatum sufficientem ad annum integrum collegerunt, duorumque millium praesidium conscripserunt; quo insolescente, ac nonnunquam comminante Caesareis multoties velitationes, militari potius licentia, quam ex hostilitate contigerunt. Ne autem tamdiu Magdeburgensium fides dubia Caesareis incommodaret, Caesar fecialem Magdeburgum transmisit, ac per eum moneri iussit Magistratum suae fidei, & officii, vel omnino hostilitatem publicari mandavit. cives vero ad fecialem, & adjunctorum tubicinum adventum consternati, Caesaris devotioni sese commiserunt; nihilque hostibus subsidii ab ipsis praebendum fore sancte addixerunt. Multum detrahebatur Caesaris exercitui per vicinos in Hartzcynia sylva, qui integras equitum turmas prostraverant, & jam militibus similes, professique militum hostes formidandi, non nisi legionibus aliquot poterant compesci. quare tam Caesarei à vicinis afflicti, quam Regis Daniae, atque Ordinum inferioris Saxoniae milites à Caesareis, & Bavaricis, omnem regionem infestantibus perterriti; ad pacem, vel ad inducias aliquas cogebantur.

In illarum constitutione laborabant Legati Brandenburgici, ac Saxonici; neque jam multum ab illis abhorrebat ( quantum colligi poterat ) instante hyeme Rex Daniae; qui ut rebus Danicis, propter illius absentiam periclitantibus, consuleret; in Daniam, & Holsatiam properare volebat. quapropter non multo post in inducias quindecim dierum ad tractandum de longioribus induciis consensit; postea vero induciae trium mensium constitui debebant, in quibus coram Brandenburgicis, & Saxonis Legatis tota ditionis inferioris Saxoniae controversia discutienda, & cum voto Saxonici Ducis, & Brandenburgici ( consensu tamen partium ) terminanda erat. verum has Mansfeldiustotam fere

Lune-

Luneburgensem ditionem feliciter occupans, prae-  
divit; benignitate tamen Caesaris postea reparata est.

Magna interim auxilia Rex Daniae ab Hollandis,  
Anglis, & Gallis expectabat; dubius postea de eorum  
fide Legatos expedit; apud illos tamen tarda erant  
omnia. Rex Galliae quidem pecuniam aliquam per  
Epeffum Legatum suum, prout fama vulgatum fue-  
rat, trans miserat: sed Angliae, & Hollandiae Ordines  
tergiversabantur, nam infeliciter Anglicana classis  
cum decem mille peditibus, & aliquot equitibus,  
centum, & quinquaginta navibus insolitis instrumentis  
bene instructa, & in Hispaniam ad portum Caletensem  
delata, ibidemque exposita, male pugnaverat; acriter  
stationem sibi commissam defendente D. Ferdinando  
de Giron, cujus industria, & fortitudine in vno praelio  
octingenti Angli, & 300 equi interierant, acquisitis  
octo tormentis bellicis; post quam victoriam fere to-  
tidem dispersi milites in terra profugi perierant: cae-  
teri vero exiguo satis numero in reditu tempestatis in-  
juria perculsi, & com meatu destituti, infirmique in  
Angliam sub finem hujus anni redierant, nullo omni-  
no fructu suae expeditionis collecto. quare postea non  
modica regni, Ordinum, & particularium mercatorum,  
partem in hac expeditione habentium lis orta  
fuit; quam ut Rex sedaret, suos aliquamdiu domi con-  
tinere, ut vires resumerent, omnino debuit. Ex hac  
etiam infelici expeditione non parva inter Angliae  
Regem, & Hollandiae Ordines controversia, diffiden-  
tiaque nata est; quam ex crescentem aliquoties Rex Da-  
niae, & Galliae voluerunt componere, ut feliciter foedus  
contra Caesarem initum pro restitutione Palatini, suc-  
cederet: sed serius illa composita fuerunt, & Rex Da-  
niae tanto facilius in praeparatas inducias consensus.  
pactis induciis miles Caesareus partim in agrum Hirtsfeldensem,  
partim in Hassiae hyberna deductus fuit, ut com meatum  
sufficientem obtineret. Rex vero Daniae suos ad justam  
disciplinam militarem 140 articulis complexam constrinxit,  
& nulla habita ratione inducarum, eos ad Lawenburgensem  
ditionem perduxit. Halberstadius vero, & Mansfeldius  
lustratis suis copiis,

*Rex Daniae sollicitat auxilia.*

*Infelix expeditio classis Anglicanae.*

*Pacis tractatio.*

de

de aggrediendis Wallesteinianis deliberarunt; & pa-  
latim cum essent Lubecensibus oneri, non aliter qua-  
si hostis per districtum civitatis grassaretur, Lubecensium  
occisione aliquorum hostilitatem mulctarunt.

In pacis autem tractatione strenuissime laborabant  
Saxonici, & Brandenburgici Legati, Brunsvici utriusque  
partis Legatos sufficienter instructos examinantes  
& audientes. proposuerant enim inferioris Saxoniae  
Provinciales alia media ad stabiliendam pacem, peten-  
tes, ut Comes Tillius exercitum ex Saxoniae inferiori  
locis occupatis abduceret, damna illata refarciret, pro-  
vincias illas ab armorum metu etiam in posterum libe-  
raret, atque harum rerum idoneam cautionem praestaret.  
quare voluerant, ut Tillius nomine Caesaris promitteret,  
quod in Principatibus suis tam hereditariis, quam libera  
electione acquisitis, contra Imperii de pace Religionis,  
aliasque constitutiones; in primis circa liberum exerci-  
tium Augustanae Confessionis Principes non perturbarentur:  
quare non solum Bohemicum, & Fridlandicum exerci-  
tum abduci, sed in electionibus, postulationibus, ac  
decretis suis libertatem atque a Caesareis sententiis,  
poenalibusque clausulis immunes in causa Religionis  
essent. Voluerant enim, ut in monasteriorum  
visitationibus per peregrinos Abbatibus aliquando  
factis sine consensu, ac praesentibus Principum,  
liberarentur, & ut in male possessis provinciis, ac  
regionibus Ecclesiastici juris stabilirentur. Quae omnia  
si Tillius praestitisset, spondebant se exercitum suum  
dimissuros. sed haec ut valde iniqua postulata, ut  
discuterentur, inducias concedere detrectabant, immo  
potius eadem imperare praesumebant. verum cum illa  
postulata prima fronte multis acerbiora viderentur, ut  
Saxoniae Dux ipse judicaverat, (& vere si Caesar illa  
concedere voluisset, jam victas manus praebuisset,  
& Caesarea auctoritati quam plurimum detraxisset,) tam  
Caesar, quam Saxoniae Dux tali petitioni irridentes,  
alias pacis propositiones fieri, & sufficientes inducias  
constitui postularunt. quas ut Saxoniae, & Brandenburgici  
Electores avide pararent, Caesar amplissima ipsis  
mandata concessit, quae ut intimata fuerunt, utrinque

*Postulata  
ordinum  
inferioris  
Saxoniae.*

que à prima Decembris in dies quatuordecim proximos, deinde in tres menses fuerunt induciæ constitutæ. *Articuli induciarum*  
 postea quasi aliis pacis articulis editis, petierunt, ut constitutis die, nocteque induciis, nulla invasione, aut oppressione violandis; nullæ etiam exactiones fierent, nullas antea jam debitas exigerent, nulla præsidia inveni-herent, nullas hostilitates exercerent, deprædationes, & depopulationes viarum vitarent, prævaricatores punirentur, & in principali causa articulos alios propositos, rursus produxerunt, & urserunt. Cæsarei è contra ægre ferentes articulorum arrogantiam, postulaverunt, ut Regis Daniæ, Ordinumque inferioris Saxonie copie exauctorarentur, de Mansfeldio, Christiano Brunsvicensi, aliisque contra Cæsarem, arma ferre gestientibus, traderetur cautio, quod deinceps nunquam Imperialis Aquilæ patrocinium subterfugerent, neque quicquam contra illam agerent. Nulli etiam milites absque expressa Cæsaris licentia conscriberentur, nulli exercitui suppeditaretur contra Cæsarem commeatus, annona, aut transitus. Præterea ut damna Cæsareæ Majestati, & Principibus ejus Imperium venerantibus illata refunderent; maxime, quæ Christiano Seniori Duci Luneburgensi illata fuerant. Tandem ut occupatos Comitatus Hoiensem, Diepholtzanum Bruckherfanum, aliasque urbes, & arces restituerent, præsidia imposita dimitterent, ac paci Religionis conformiter viventes, serio obtemperarent. sed de hoc posteriori puncto, uti de prioribus fere omnibus, non levis orta fuit quæstio, quam pro pacis Religionis observantia intelligi deberet. Cæsarei enim ad jura sese referentes, facillime se ab ista quæstione explicabant. Danici vero, & inferioris Saxonie Ordines in abusibus consistentes, uti hæctenus consueverant, tutos, & immunes in omnibus libidinibus sese fore putabant. idoneam deinde cautionem à Cæsare de non vexanda amplius provincia exigentes; & Mansfeldii societatem dissimulantes, defensionis provincie modum sibi reservare præsumebant: neque unquam promissione Tillii, aut Wallesteinii, aut ipsius Cæsaris verbali sponsione contenti esse voluerunt. *Disceptatio de pace Religionis.*  
 quod

*Postulata  
Cæsaris.*

*Disceptatio de pace  
Religionis.*

*Reniten-  
tia Cæsa-  
re. mori. m*

quod cum indignè tulissent Cæsareani, nullo modo co-  
pias suas primo è provincia abducere statuerunt, ne  
ante Mindam, vel Hoxteram restituere, nisi prius Rex  
Daniæ militem suum abduxisset. damnarunt etiam  
Principes, & Ordines Saxoniae, quod nunquam ad ar-  
ticulum illorum principalem de juramentis Halbersta-  
dii, & alibi contra jura, & leges editis, respondere vo-  
luissent; ac tandem omnem compositionem desperan-  
tes Mindam, & Hoxteram, tanquam extra Saxoniam  
ditionis districtum oppida, restituere noluerunt, neque  
aliam cautionem Cæsaris dare potuerunt, præter eam,  
quæ Imperialem Majestatem deceret. imo clare re-  
spondentes, nihil Principibus inferioris Saxoniae in  
causis Episcopatum, Collegiorum, Capitulorum pro-  
mittere voluerunt, & ea omnia in antiquis terminis  
Duci Brunsvicensi minus addicti, Cæsari reservarunt.  
E contrario vero Principes liberum Religionis exer-  
citium, & jurisdictionem in suis ditionibus tam hære-  
ditariis quam acquisitis, salva libertate Germanica,  
juxta pristinum statum pertinaciter postularunt. quare  
sperata pax obtineri non potuit, & quilibet peracta fe-  
re hyeme, arma præparavit. Daniæ Rex majori spe ful-  
rus nihil audebat, (nam peractum erat fœdus, de quo  
supra diximus, inter Anglos, Batavos, Suecos, & al-  
ios ad reprimendam Domus Austriacæ potentiam; in  
quo singuli sua subsidia pecuniæ, militum, & instru-  
mentorum addixerant. in hoc fœdere expectatus fuit  
Legatus Bethlemi cum amplioribus mandatis; sed is  
non nisi tertio mense postea advenit. Rex quo secu-  
rior esset de fœdere, & de Brunsvicensi ditione, loco  
ad belli impetum sustinendum delecto, suspectum Du-  
cem Vlricum Fredericum Brunsvicensem majorem  
natu, ad se in Holsatiam evocatum ditione propria  
spoliavit; eique animosiores Christianum Halbersta-  
diensem Pseudoepiscopum substituit non sine Ordinum  
Ducatus Brunsvicensis aliqua indignatione; eo quod  
non Christiano, sed Vlrico sacramentum dixissent; ne-  
que facile ludum istum pilæ instar admitterent; sed Rex  
factum ex necessitate, & ad tempus tantum, cui servire  
oporteret, excusavit.

*Postulata  
Principū.*

Cæsar

Cæsar interim quo hoc commercium fuit institutum, rebus suæ familiæ intentus, postquam jam dudum ante de Archiducis Leopoldi matrimonio ad propagationem proles deliberatum fuisset; dimisso Archiduce Romam; ut necessarias Pontificis dispensationes obtineret, & sponsam Florentiæ præparatam deduceret; factis jam ante renunciationibus Episcopatus Patavien-  
 ensis, & Argentinensis, nec non Præposituræ Constantiensis; quam libere ad manus Pontificis in favorem filii Alberti Bavariæ Ducis deposuerat; de Episcopatibus Patavienfi, & Argentinensi pro Leopoldo Guilielmo, una cum capitulis Cathedralibus utriusque Ecclesiæ agere cœpit. neque enim invitis Canonicis electoribus Cæsar filio dignitatem aliquam pacisci cogitabat; sed proposita necessitate Ecclesiarum, ære alieno gravatarum, & periculorum in mediis Germaniæ turbis in dies magis ac magis excrecentibus, necnon congruentiis, quæ maxime locum pro Austriaco Principe in diocesi Passaviensi habebant; Canonicorum vota præsentabat, eaque à Canonicis honestatem, decentiam, & necessitatem suarum Ecclesiarum expendentibus obtinuit, ita ut paulo post in utraque Ecclesia Leopoldus Guilielmus Episcopus electus fuerit, ut Cæsar apud ipsas Ecclesias promeretur cum utroque Capitulo convenit, ut stante minorennitate filii usque ad annum decimum octavum ætatis (decimum tertium enim tunc agebat) omnes Ecclesiarum redditus ad extinctionem debitorum applicarentur, & Capitulum interim gubernaret, quæque ad promotionem essent Ecclesiarum, satageret. Passaviensis Episcopatus administratio demandata fuit Marquardo Swendio; Argentinensis vero Comiti Hermannò à Solms, illius Episcopatus jam pridem contra Mansfeldium, & Brunsvicensem conservatori.

Cæsar etiam, ut proximiorum Ecclesiam Patavien-  
 sem promoveret, sub initium anni 1626 intermissam aliquantulum instaurationem disciplinæ Fidei Catholice ob Ungaricam coronationem, & graviorem bellitumultus; urgere perseveravit, novis litteris compellans Abbatem Gotvicensem, aliosque reformationi destina-

*Resignatio Leopoldi, & promotio Guilielmi Leopoldi.*

*Reformatio Austriæ superioris.*

destinatos, ut sedulam manum operi reformationis exhiberent. quæ ut facilius esset, rursus sub initium Februarii Ordinibus Politicis scripsit; ut reformatio quæ tam proficua paci, ac necessaria saluti animarum est, morem gererent, ac prioribus decretis serio factis prompte obedirent. quæ cum Provinciales solitis excusationibus protrahere voluissent, atque sub initium Martii longiorem pro instructione termini dilationem postularent, eundem omnino præcidit, quod Bavariæ Duci, adhuc Austriam loco pignoris obtinenti, ejusque ministris Austriam superiorem regentibus necnon designatis reformatoribus significavit, ne quovis modo in officio incepto præpedirentur, vel hæreticæ spe longioris dilationis luctarentur.

*Austria inferioris reformatio.*

*Universitatis reformationes.*

*Lites universitatis.*

In Austria vero inferiori Cæsar non minus de Religionis sollicitus, minorum oppidorum cives fere omnes ad Catholicam Religionem perductos, à suis Magistratibus tam Politicis, quam sacris in eadem Religionem servari jussit. quare Viennensi universitati sermo imperavit, ut expunctis iis, qui hæresim sapiebant, universitatem ex solis Catholicis membris constituerent. nam præter juristas aliquot, & pragmaticos plusquam viginti erant in civitate Viennensi Medicinæ Doctores, qui Lutheranam doctrinam profitebantur, quorum nonnulli in consiliis universitatis votum habebant, & non infrequenter bacillum Rectoris Magnifici, aut Decani munus in suo Collegio gerebant. Hæc ut totaliter deinceps caverentur, Sua Majestas universitatem cum omnibus Collegiis hoc anno Collegio Patrum Societatis Iesu univit, solas duas professionis Theologicæ lectiones Ordinibus mendicantibus S. Dominici, & S. Francisci reliquit. de Collegio Austriaco Patribus Dominicanis annexo, ac fere in ipso Monasterii fundo ædificato, atque hæcenus ab ipsis Patribus Dominicanis, quasi pædagogis gubernato, non levis fuit difficultas: major erat ratione officii Cancellariatus, quod Ordinario Viennensi hæcenus debebatur, illudque valide propugnabat, sed qui Cancellariatum obtinere non potuerunt, Vicarium munus reportarunt. Ex his contentionebus nata fuerat alia controversia ambitioni proximi-

proxima, quæ in omnibus locis membra universitatis, aliis omnibus quamvis eruditissimis, antiquissimis, religiosissimis, ac dignissimis præferebat ita, ut non solum in actibus universitatis, sed etiam in aliis exercitiis alibi etiam in Ecclesiis aliquando habendis, cuncti litterarum professores postremo universitatis membro debuissent cedere. ex quo jurgia, contentiones, invidiæ, simultates, & scandala oriebantur eo periculosiora, quo inter doctiores, qui se invicem poterant sugillare, & ingenium aliquando in perniciem Christianæ charitatis exercere. Sed hoc decretum revocavi, & mandavi, ut singuli locum suæ professionis, ac Ordinis, extra actus universitatis, nullo habito respectu ejusdem fervarent; quod etiam publico edicto in singulis Monasteriorum Archiepiscopis perpetuo asservando nomine Sanctissimi Domini Nostri Papæ Urbani VIII declaravi.

Saniori consilio etiam hoc ipso anno laborarunt in ipsa urbe Viennensi pro sua admissione Patres, ac Fratres S. Francisci de Paula summo rigore singularium Ordinis sui abstinentiam servantem. quorum admissioni non unus, neque infimus se opposuit; quare nec uno in loco debui eorundem protectionem assumere, quos sciebam, & Cæsareæ Majestati gratos, & Ecclesiæ Dei proficuos fore. Locus itaque illis obtigit extra portam Italiæ in celebriori suburbio, ubi anno subsequenti fundamenta Ecclesiæ fodit ipsa sua Majestas Cæsarea, & Regia Vngariæ, & nunc celebre monasterium ædificatur.

In Bohemia hic annus Religioni Catholicæ fuisset longe felicior, nisi bella proxima, de quibus infra, iustas moras injecissent. nam & Archiepiscopus illius regni Ernestus Adalbertus ab Harrach primis diebus anni 1626 ad Cardinalitiam dignitatem evehctus, diligentissimam operam Ecclesiæ suæ impendere decreverat; in quem finem Theologorum Congregationem singulis hebdomadis coram ipso habendam instituerat; & aliunde non sine expensis viros animarum salutis præficiendos impetraverat, verum vicariorum

*Admissio  
Minimorum*

*cc  
Promotio  
Cardinalis  
de Harrach.*

in

in Austria rebellio, & Silesiorum, Moravorumque, alia parte Bohemiæ oppressio, medios Bohemos destruit, strictamque reformationem in aliud tempus recit. In eadem tamen Bohemia tunc cæteris animosus Magnus Prior equitum Melitensium, omnes suos subditos, quorum non pauci erant in civitate Pragensi ad Fidem Catholicam perduxit, duobus exceptis, quos etiam à suo fundo eliminavit. paulo ante idem fecerat Abbas Strohoviensis, & ad illius imitationem nonnulli alii Religiosi. sed hoc cum extra civitatem attasset in Benislavii vicinia Comes Paulus Michna, videlicet non ditiones una cum vita, exorta periculosissima seditione, amisit.

*Reformatio Palatinatus.* Imperium procul ab istis turbis aliquantulum pacatiori tempore non parum in Religione Catholica profecit, præeunte, & minoribus regulis animum facientem serenissimo Bavariæ Electore in Palatinatu Heidelbergensi; ubi post duorum annorum tolerantiam, castigata jam satis civium fortuna, Catholicæ Religionis professionem, primo diligenti instructione seductorum, deinde minis, propositione immunitatis, præpositis præmiis, denique obstinatorum ejectione, postmodum revocavit. Bavariæ Electorem imitari voluit Comes Ioannes de Nassau in Belgica Regis Hispaniæ militia educatus, ibidemque Principis Lignaiici gener factus, non procul à Moguntia Principatum obtinens hereditarium per decessum sui parentis Calvinianam hæresi infecti, verum constantia bonæ voluntati deerat, & nimius metus bono Principi oberat. animum itaque non semel volenti addidi, & à Cæsare aliquoties litteras tum ad Principem talia imperia anhelantem; tum ad subditos à mutatione Religionis abhorrentes, procuravi; quibus tandem effectum fuit, ut omnes illius subditi ad Religionem Catholicam devenirent, lepide quidem, sed vere. Princeps enim is Catholicus suos ex Calvinismo ad Lutheranismum pro tunc perducere moliebatur, aut saltem se hoc moliri fingebat; ne, inquit, tam procul abessent à suo Catholico ritu, & ut Religioni in Imperio admittæ obtemperarent, cum spe, & minis, se alias faciliiori modo Catholicam

*Reformatio ditionis Comitis de Nassau.*

licam Religionem inducturum. Quod cum à subditis intelligeretur, ipsimet pertæsi tam frequentem mutationem, potius ad Catholicam Religionem, tunc transferri desiderarunt; ne, prout dicebant, infra paucos annos iterum cogamur Religionem mutare, & semper pueri esse, quam gratiam à Comite Catholico facillime impetrarunt, paucosque dissentientes ipsimet in vicinam Galliam ejecerunt.

*Præfertur  
Catholica  
Religio  
Lutheranif-  
mo.*

Hortabatur eadem opera Cæsar Comitem de Marcka Ordinis Theutonici Magistrum, & plures alios Principes Catholicos, ut animosius, & ferventius de instauranda Religione cogitarent illo tempore, quo felicitior, & facilius fieret progressus; si non ab uno, sed à pluribus opus tam arduum promoveretur. Ipse Cæsar, ut suis exemplo esset, quamvis undique bellicorum tumultuum mole pressus, hoc tempore affligeretur; justitiæ tamen, & Religionis curam non deponens, novam Concilii aulici faciem, & ordinationem instituit, & Consiliarios ad Catholicam Religionem, paucissimis exceptis, qui ob libertatem Imperii tolerabantur, perduxit. Hinc conversio D. Melandri, Wendolii, & aliorum.

Magnam constantiam multis indidit victoria Wallesteiniana à Deo, ipsa D. Marci festivitate, ad pontem Dessaviensem concessa. Postquam enim, ut supra retulimus, pacis commercium inter Daniæ Regem, & Cæsarem evanisset, Rex novis Hollandorum, Mansfeldii, & Halberstadii copiis auctus, sexaginta millia militum in suo exercitu numerabat; illosque in tres turmas tribus exercitibus similes divisit. unam Halberstadius regebat, & cum illa Episcopatum Osnabrugensem, Hildesheimensem, Mindensem, aliosque infestabat, ut comitatum, & pecuniam extorqueret. alteram Rex ipse juxta Weseram gubernabat, quæ Tillio ibidem progredienti opponebatur; eratque illa inter duas alias media, ut cæteris laborantibus consilio, & auxilio adesset. tertia turma viginti millium Mansfeldio commissa fuerat ad Albin, triginta habens tormenta bellica, & quingentos currus annonæ, cum qua castrametatus fuerat deserto Lauwenburgo, & Hagelberga,

Q

berga,

ferga, totumque tractum Albis fere Magdeburgum  
 Sue occupaverat, ut Wallesteinium è tota Magdeburgi  
 ditione pelleret; & in Silesiam ad evocationem Be  
 lemi contenderet. Summopere autem illius intentio  
 oberat munimentum Wallesteinii ad Dessavium, &  
 pontem, per quem commode posset transmitti exer  
 tus, Cæsarei muniverant. Quare postquam Sam  
 vium, Rathenavium, & Brandenburgum transisset,  
 tamque illam ditionem Ducis Megapolitani, atque  
 lectoris Brandenburgici misere devastasset; ad præ  
 tum pontis munimentum exercitum applicuit, occu  
 to prius Serbstio, quod Anhaltini Principis erat. De  
 dies in oppugnatione munimenti insumpsit, & fructu  
 quidem sexcentos tormentorum ictus explosit, stren  
 munionem Dessaviensem defendente Ioanne Aldri  
 gero; ipsa vero Paschatis die reversus oppugna  
 nem urfit, tertio locum illum summo impetu aggre  
 sus. Quæ cum à Wallesteinio Fridlandiæ Duce per  
 perentur, Comitem Slickium cum turmis aliquot  
 quitum ad præfatum Aldringerum ablegavit, &  
 mandans universis copiis, ut 25 Aprilis juxta pontem  
 convenirent, pontem tela linea tentoriis deservire  
 obnubilari præcipiens, ut si quæ copiarum traducerentur  
 nec numerari, nec cognosci possent. Mansfeldius vero  
 25 Aprilis summo conatu pontem aggressus Cæsare  
 nos omni ex parte oppugnavit, sed fortiter resistentibus  
 præfidiariis, omnis oppugnatione irrita fuit; ita ut o  
 ciso Hollandicarum copiarum Præfecto Nienhove  
 & magna clade exercitus accepta, oppugnationem de  
 ferere cogentur. Quare Wallesteinius hora matutina  
 na, non expectatis reliquis copiis, cum iis tantum, quæ  
 advenerant, summo silentio pontem traduxit, & mu  
 nitionem, quam Mansfeldius tantopere oppugnaverat,  
 egressus, aciem instruxit, præparatamque Mansfeldii  
 aciem adorsus, eum locum deserere coegit. restant  
 nisus est Mansfeldius turbatos ordines, sed equites  
 mul cum ipso in fugam versi, & pedestres copias o  
 mnes turpiter deserentes, (quæ omnes fuerunt Cæsareæ)  
 victoriam Cæsareanis insignem reliquerunt, trucidatis  
 viginti tribus turmarum Præfectis, & signis milita  
 ribus

*Oppugna  
 tur muni  
 mentum.*

*Dissipa  
 tur Mans  
 feldius.*

ribus triginta quatuor, tribus equestribus, tormentis sex, & impedimentis omnibus amissis.

Hac tam celebri victoria incensi Wallesteiniani, subito civitatem Servestanam sibi dedi postularunt, eamque parum renitentibus civibus, fugientibus duabus equitum turmis, ibidem pro praesidio relictis, obtinuerunt. Inter captivos fuere Kniphufius cum vigiliarum Praefecto, & duobus Bohemis Michalovitz, & Chukovulkio, qui alias Caesareas partes deseruerant. signa autem cum Questembergio Viennam Caesari transmissa sunt. Interim Comes Anhaltinus, & Lindlous, Bavaricarum copiarum Praefecti Osnabrugum cum suis copiis profecti, ut inde Christianum Halberstadensem fugarent; Windeburgum strenue oppugnaverunt; quo reddito, nihil de Osnabrugo erat dubitandum. verum non tamdiu Christianus expectavit, sed fuga sibi consulens etiam istam ditionem egregie afflictam reliquit. Suas vero copias Regis Danicae copiis conjunxit, ut Horchimiensem civitatem obsessam liberarent, Gottingam annonam inferrent, & Tillii copiis resisterent, quod dum molirentur, monasterium Steinheim dicecesis Moguntinensis, & nobilium conobium Hoheim Hassiae ditionis, oppidum etiam cum arce Naumburg Altstalter, aliaque loca omnia usque Visurgim incenderunt. parumque abfuisset, quin magnam partem exercitus Tilliani rupto ponte ad Visurgim perdidissent, nisi Tillius beneficio vicani cujusdam vado reperto copias suas insigni equitatu stipasset. Mansfeldio fugitivo sese conjunxit administrator Hallensis, seu Pseudoarchiepiscopus Magdeburgensis cum non contemnendis copiis, qui novum exercitum instruxerat, & dispersas copias collegerat Brandenburgi, atque in tota Brandenburgensi Marchia additi sunt praetore Mansfeldio ter mille pedites, qui paulo ante Naumburgum appulerant; & equitatus tribunus Fuchsi; ita ut unius mensis spatio rursus exercitum quindecim millium collegerit, quo rursus fortunam Servesti, & Dessavii tentare decreverat, sed tantus tremor adhuc equites detinebat, ut ab illis locis abhorrentes, alio se convertere maluerint, quod animad-

*Osnabruck  
recuperanda.*

*Damnè  
Danorum*

*Mansfeldius  
instaurat  
exercitum.*

Q 2

vertens

vertens Mansfeldius, & ipse consternatus erecta munitione ad Tangermundam, versus Havelsbergam duxit; totamque ditionem Mechelburgensem, & Brandenburgensem Marchiam depopulatus, vires sui militis reparavit. Hærente autem Mansfeldio diutius in ditione Brandenburgensi, cunctis infesto deprædatorum, & æqualiter hoste, Elector Brandenburgicus copias suas ministerio Præfecti Krachen Brandenburgum, Stendæ, lam, Garlebium, & alia in loca introduxit: ut copias ejusdem Mansfeldii protunderet: voluissentque incolæ ultionem spirantes fortunas suas deperditas vindicare. Verum renuente Præfecto omnes impuniti manserunt: sic in non parvam suspicionem temerariæ collusionis Elector incurrit: quam Legatio Regis Daniæ ad ipsum Electorem Bethlemi cognatum auxit, maxime nonnulli ex illius copiis ad Mansfeldios accesserunt, & passim eisdem tutum iter, cum abundantiam committu in Silesiam progredientibus, Rotemburgi ad Teberam, & per totam Marchiam præbitum fuit.

*Obitus*

*Halberstadiensis pseudoepiscopi.*

Diximus supra, quomodo Rex Daniæ destituto Vrico Frederico Principe, ac Duce Brunsvicense, junio rem fratrem in præcipua arce Wolfenbuteliana substituerit, ut temporarij serviret. quod factum præterquam quod Ordinibus displicuerat, etiam Deo visum fuit displicuisse: nam Christianus substitutus, licet initio more suo fervidus in Hassia militem conscripisset; et quo rursus Mauritius Hassius, & Hassiaci perfidia notati sunt, nihilominus secundo sui domini mense infirmitate percussus, inter extremos dolores, tyrannicis iconoclastis sacrilegis Ecclesiam Dei infestantibus familiaribus, ex hac vita desperabundus decessit. eviscerato corpore, præter maculata intestina vermibus inventis fuit in corpore vivus aliquot ulnarum, qui in illo anno, nec ex una causa prognatus vitam adolescentis vix vigesimum nonum ætatis annum attingentis præmature absumpsit, cæterisque Ecclesiam Dei, sacra Lipsiana, & sacras fortunas infestantibus horrorem incussit.

*Bethlemi Legatus.*

Advenerat paulo ante expectatus Bethlemi Legatus, qui ad diem vigesimam Martii adesse debuerat, &

tunc

tunc soluto Conventu Regum, ac Principum, ad Regem Daniæ, Ducem Christianum, Ordinumque inferioris Saxonæ delectos admissus, eleganti oratione subsidia, præcipue peditum aliquot legiones, ingentem pecuniæ summam, & Legationem nomine omnium ad portam Ottomannicam, superbe non minus, quam pro Christianis impie postulavit, quibus habitis insignem Cæsari cladem non in Imperio, sed in hæreditariis provinciis Austria, Moraviæ, Bohemiæ, & Styriæ inferendam pollicebatur. Hæc cum Rex Daniæ, cæterique Principes, & Ordines inferioris districtus non parum probassent, Legatum cum oratore ad Ordines Bataviæ, & ad Regem Angliæ dimiserunt; ipsi vero interim Mansfeldio iter in Silesiam imposuerunt. Quæ omnia cum sint Christiano nomini probrosa dedecora, ut melius intelligantur, libet eandem orationem Legati Bethlemi hic de verbo ad verbum correctam, non viciatam, qualis illa fuit, inserere.

Illustrissimi, ac præpotentes Confoederati Belgii Ordines, Domini Observandiss. A quo Sereniss. Sac. Roman. Imperii, ac regni Transylvaniæ Princeps Dominus meus clementissimus ad hoc sublime regiumque fastigium à Deo evectus est, nihil quicquam prius, nihil antiquius habuit, quam ut languenti Reipublicæ Christianæ inservire, oppressis, ac sub jugum misere redactis subsidio, & auxilio esse possit. Majores enim ipse cum ex libero populo oriundi, sua Serenissima etiam Celsitudo in libero regno nata, & educata sit, ab ipso supremo Numine, natura, ac sanguine majorum inbibit libertatis amorem, ut hinc earum gentium vices non possit non dolere; imo pro viribus eas ope, & consilio juvare, quæ patrum, ac majorum laboribus acquisita in libertate molestiam, & injuriam indigne pati coguntur. Cujus eximiæ voluntatis ipsa facta, diversæque in hunc finem susceptæ ipsius, ac notæ expeditiones testimonium perhibere poterunt. Præsentem itaque Europæ statum cum sæpius animo revolvat, unusque regnatricis Domus astu, & ambitione tam variis casibus plenum, præliis atrocem, seditionibus discordem, ipsa etiam pace sævum animadverteret, & omnia

hoc fine, ut Regibus, Principibus, cæterisque liberis populis sub jugum intolerandum missis, illa universalem, quam tandem in animo concepit, in familiam suam tandem constituat Monarchiam: initio nunc factum, si fas est dicere, ab ipso Sacro Romano Germanico Imperio.

Hujus enim, pròh dolor, quæ est facies? quis regnum habitus? quis procerum, Principumque status liberae ditiones, & provinciæ quamplurimæ in Domui Austriacæ subjugatæ, plurimæ depopulationibus, & incendiis devastatæ, reliquæ calliditate & insidiosæ pacis, ociique libertate captæ ad libidinem, & servitutem paratæ; proceres alii bonis conditionibus exuti, in exilium missi; alii belli impetoria ad extrema redacti, cæteri, qui vel tempestanti inclementiam, subjugationisque sævitiam, & si pacificissimi effugere; ita illius potentiaæ metu, & terroribus fracti, ut vix hiscere audeant. Ut jam præter antiquæ libertatis, Imperiique jurium, & Majestatis vana nomina, & omnium eorum vnam statibus, & Imperii columnis sit reliquum. Et hoc quidem in novo Principatu prudenter ad exemplum Augusti, & Tiberii astutia, & Iberica calliditate imitatum. Verum cum adoleverit, erumpet, & nemine adversante paulatim insurget, & quicquid hæcenus intactum, munia Senatus, & Magistratum, legum, Principum, & Electorum in se palam trahere, & victam armis libertatem in dominationem vertere non intermitteret. Subacta autem Germania, convulso hoc Imperio, & tanto cruore auctæ Austriæ vires, quid Galliæ? quid Britannia? quid Daniae regnis? quid cæteris vicinis? quid denique, & in primis vestrae inclytæ Reipublicæ discriminis id illaturum putamus? certe hæc tantorum annorum virtute, & industria majorum coacta compages, convelli, vel sub unius absoluto dominatu redigi sine vicinorum exitio non potest. Hunc itaque concussi Orbis motum, Imperiique ruinam, & ex hac omnium vicinorum certum periculum, cum Serenissima sua Celsitudo secum considerat, &

rat, & imminente tanto malo remedium cum requirit, nullum aptius; salubriusque inveniri, adhiberi que posse existimat; quam ut omnes, qui in immensum unius crescentis potentiam merito suspectam habent, exemplum Hispani, & Austriacorum imitantes consilia, vires, & opes consocient, & sese in sui, suorumque amicorum, & oppressorum mutuan defensionem inviolabili fœdere, ac nexu colligent; commune periculum, communem hostem concordia, communibusque viribus submoveant. singuli enim ut hactenus dum pugnant, omnes victos nullum est dubium. Et in hunc finem Serenissimus Princeps meus cum huic communi negotio ut sua etiam ope assistere velit, sæpius esset interpellatus; me præterito anno ad Serenissimos Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ Reges, & Brandenburgicum Electorem ablegaverat, inscius tamen, quod in hoc salutari consilio à dictis Regibus cogitationes ipsius essent præventæ, & Conventum ob id Hagæ Comitum indictum. Itaque ex relatione mea, & mandato à Sereniss. Regum, Illustrissimorumque vestrorum Grædinum Legatis, & deputatis hic Hagæ tunc temporis mihi dato; summam omnium benevolentiam, singulare studium, confidentiam, & in se affectum, quo conjunctionem, fœdusque cum Serenissima sua Celsitudine inire, & propositis tunc à me conditionibus confœderationem illam recipere desiderabant, grato admodum animo percepit. Cum autem tum ob utriusque partis mandatorum, plenipotentiæque tabularum defectus; tum propter Ioannis Rutgerii, Serenissimi Regis Sueciæ Residentis, ex hac vita discessum; negotium ad optatum finem perducere non potuisset: & hisce, aliisque de causis novum Conventus diem, nimirum 20 elapsi mensis Martii eodem in loco indicere necessarium dicti Legati existimaverint; Serenissimam etiam Celsitudinem ejus, ut Legatum sufficienti cum mandato, & instructione, quo cum agi, concludique omnia possint; eo ablegare vellet; petierunt. Id Serenissima sua Celsitudo grate agnovit, indeque, quanti per-

ti personam ejus confœderati faciant dijudicans, sum-  
 mas cum cæteris, tum vobis, Illustriss. ac potentes  
 unitarum provinciarum Belgii Ordines, pro hac ve-  
 stra in Serenitatem suam propensa voluntate gratias  
 habet; suaque studia, & sinceri animi reciprocam vo-  
 luntatem cum propensissimis in Rempub vestram, rem-  
 que communem officiis, per me vobis offert: valde sibi  
 gratulans, ac partem suæ felicitatis existimans, hac  
 tempestate tam propitiam commoditatem, occasio-  
 nemque sibi oblatam, qua cupiti sui, votique diu desi-  
 derati compotem se fieri posse videat; ut cum inclytæ,  
 ac totius Orbis facile celeberrimæ Reipublicæ pre-  
 dentissimis Senatoribus, & Statibus notitiam, & ami-  
 citiam inire, fœdusque tractare possit. Nihilque ma-  
 gis desideravit sua Serenitas, quam ut statuto tempore  
 quispiam è suis huc redire potuisset. verum tum nup-  
 tiarum solemnia, multa que suæ Serenitatis negotia;  
 tum ingens locorum, terrarumque distantia, & evi-  
 dens interceptionis periculum, moram hanc injicere  
 coegerunt, & ad dictum diem redeundi non sat temporis  
 dedere. Ne tamen quidquam in se Serenissima sua  
 Celsitudo desiderari pateretur, & præclarum in rem  
 communem totius Orbis Christiani affectum, singu-  
 laremque suam ea in re voluntatem palam testaretur;  
 haud prætermittendum putavit, personam meam cum  
 sufficienti mandato ad vos, Illustrissimi Ordines, ablegare;  
 ut si quid deliberationes, & publica consilia ju-  
 vare posset, quilibet suæ Serenitatis pro salute commu-  
 ni, extrema etiam obeundi promptitudinem re ipsa  
 deprehenderet. Quod etiam eo evidentius apparet,  
 quod licet Serenissimam Celsit. suam ab hac confœ-  
 deratione præterita tempora, & successus, cætera que  
 incommoda, plurimæ etiam, æquissimæque rationes  
 maxime & merito absterre possent, quas hic enarrare  
 supervacuum duco: & quisquis status Transylvaniæ  
 moderni non ignarus, neutiquam inficiabitur; ita ut  
 Serenissima sua Celsitudo alta pace in florentissimo  
 suo regno, cæterisque provinciis fruens (Deo imprimis,  
 & tanto Monarcha, quem qui viribus hisce nostris  
 temporibus æquet, reperiatur nemo; protectoribus)

horum

horum bellorum finem, & exitum expectare quiete  
posset. Inprimis etiam, cum ex hac conjunctione pa-  
rum utilitatis, & securitatis, tam in suam personam,  
quam in ditiones redundare possit; utpote confede-  
ratis maximo terrarum, marisque spatio à sua Serenita-  
te, provinciisque remotis, periculo aliquando immi-  
nente, quod hoc foedere necessario in se, suasque diti-  
ones provocat; cum us eidem vel serio, vel nunquam  
auxilio esse possint. Tamen ne unius Domus insolentia,  
& fastu summa imis, divina humanis confundan-  
tur; pro communi Orbis Christiani salute, & liber-  
tate, amicorumque oppressorum defensione, omni-  
bus incommodis, propriisque periculis postpositis,  
minime illis defuturum; sed se operam suam, & vi-  
res libentissimo animo Reip. causa impensurum, pro-  
mittit, & pollicetur, admissis eis, quæ antea à me pro-  
positæ fuerunt, conditionibus. Quibus ut etiamnum  
Serenissima sua Celsitudo inhæreat, tum rationes æ-  
quissimæ, tum maxima, plurimæque rerum incommo-  
da suadent; & primo, ut hoc inito fundamento, ali-  
quorum scilicet potentissimorum Europæ Regum, &  
Principum Rerumpublicarum, belli tam inferendi,  
quam sustinendi confœderatione, res tanti momen-  
ti, & periculi aggrediatur; persuadendi causas  
nullas esse putat, sed commune periculum commu-  
nibus viribus propulsandum arbitratur. Itaque ul-  
tra modo confœderatos, etiam Christianiss. Galli-  
arum Regem, Serenissimum Sabaudia Ducem, Ve-  
netorumque Rempub. huic foederi ut se jungant,  
milite, & pecunia in communi collata ad hoc  
publicum commodum pro viribus promovendum;  
serio invitandos esse. aut illud facere si graventur;  
saltem eo inducendos, ut in Italia bellum continu-  
ent, neque hostium vires inde egredi patiantur. In-  
primis etiam illa, quæ nuper de solemnî confœderato-  
rum Legatione ad Portam Ottomannicam instituenda,  
Imperatoremque in partes nostras omni conatu, & vi-  
ribus pertrahendo, ut confœderatis proponerem, Se-  
renissima sua Celsitudo in mandatis mihi dederat, nunc

Qs

ac

ut denuo repeterem, serio mihi injungere pro singulari suo in Rempub. ardore, & vigilantia præterire nullo modo potuit. Ut si unquam utilem, & necessariam illam Legationem judicaverint, nunc utilissimam, summeque necessariam judicent. Etenim suæ Serenitati per homines secretos, ac fide dignos tam Vienna, quam Constantinopoli iteratis vicibus innotuit, Domum Austriacam Hispanicam, considerata imminentium periculorum magnitudine, modis omnibus anniti, ut potentissimam gentem Ottomannicam in partes suas pertrahat, & venales Vizirios mira calliditate ad libidines suas disponat. nunc etsi Serenissima sua Celsitudo non omni aura moveatur, levibusque rumusculis fidem adhibeat, diligentius tamen investigans, & considerans, quos sub hac conjunctione, Domus Austriaca sibi fines præscriptura, quot partium nostrarum Regib. mala procreatura sit, de ipsa Germania, totiusque Christiani Orbis destructione non injusta sollicitudo mentem ejus subiit. Nam cum nostris temporibus nemo reperitur, qui Turcam viribus æquet, ac tam numerofo milite, aliisque ad bella necessariis Austriacorum fines potentius invadere, aut etiam Regum nostrorum conatus impedire, & ut adjunctus focus, vel adversus, grande momentum rebus afferre possit: nullum est dubium, quin Domus Austriaca validum Principem arctiori amicitia, ac fœdere sibi devincire velit, ut regna semper ferro, flammisque exposita à tam potente hoste tuta reddat, ipsiusque tela in suos adversarios vibret, ac detorqueat. Nec à vero quidquam abhorret, Casarem Catholicum, & afflicti Orbis Christiani caput tali modo crudeliter in propria membradesavire. Cum toti mundo constet, quam graviter non ita pridem de clandestinis Ferdinandi cum Domo Ottomannica consiliis regni Bohemiæ status conquesti sint. Cui accedit quod ante paucos menses fama percrebuit, etiam Hispaniarum Regem hæctenus de sanctitate sua, & acerrimo contra infideles odio magna jactare solitum, cum Musulmanis nunc in communis Evangelicæ rei exitium tractare, pacemque emendicare. Quod eo credibilius est, quo gentis Ibericæ

Ibericæ usû probatum axioma clarius innotuit : Nihil turpe, si conservandæ dominationi conducatur, Imperiique molem sustentet. Præterquam quod Pontificiis Principibus alias solemne sit, ut in extrema necessitate paganorum auxilium prompte admodum implorent, quod Arragones, & Sforzas, & alios fecisse liquido constat. unde in primis necessarium est, ut emolumenta, quæ ex inito cum Turcis scedere ad Austriacam Dommum redundant; accurate ponderemus, & tam publici discriminis magnitudinem metiri, quam periculi nostri causas investigare non prætermittamus. Nam apud peritos rerum extra dubium est, pace inter Cæsarem, & Ottomannicam gentem stabilita, Vngariam, utramque Austriam, Carinthiam, Stiriam, Carniolam, Bohemiam, item Moraviam, & Silesiam semper tutas, ac pacatas; simulque bello in regnis nostris accendendo fomitem, alendo materiam fore. cum è contra turbato statu ipsa Vienna, cor, ac sedes Cæsaris parum securi, & magna auri copia, ingens militum numerus, ac omnis consiliorum, actionumque vis contra Turcas vertenda, & proprio Austriacorum patrimonio hostis adeo potens, & immanis arcendus sit, ut prætereamus, quod Musulmanorum gens Romano Imperio, cæterisque Regibus, & Principibus tot horrendis factionibus divisis, præstare non valeat, præsertim si fato permittente, Austriaci nobiscum aliquando infeliciter pugnant, & appropinquante tam diuturnæ dominationis periodo, finem, ac interitum familiæ suæ ante oculos haberent, & sic in desperationem acti, ruinæ suæ totius Orbis Christiani exitio parentare velint. Qua ipsa rabie Hungariæ regnum majori ex parte amissum, & Trapezuntini Imperii magnitudo tandem prostrata. Accedit ad hæc, quod prudenter animadvertendum, pacta confœderatione cum Domo Ottomannica, inclytæ unionis scœdus ex parte concessum iri. dubio enim procul Veneta tunc Respub. ab amicitia nostra abstinere, ac Serenissimum Transylvaniæ Principem ab hac conjunctione dehortari non intermittet. Hispanorum quoque littora sua classe infestare desinet, maritimisque viribus vos oppugnabit. Quibus omnibus accurate observatis

servatis

servatis nullum aliud tanti mali remedium esse sua Se-  
 renitas putat, quam ut Austriacos consilii celeritate  
 præviamus, eosque, qui in Porta Ottomannica ad  
 clavum rerum sedent, quammaxime nobis addictos  
 reddamus, & sic fœdus, quo adversarii partibus nostris  
 exitium intentare student, legitimo modo præoccupe-  
 mus, ac in propriam ipsorum perniciem vertamus. Et  
 licet bello Asiatico hoc tempore Turcam occupatum  
 esse negari non possit; attamen iis viribus, quas in Eu-  
 ropam educere consuevit, minime est exhaustus, sed  
 numerosa ab ipso in Europa copia domi relicta; ita  
 ut sufficientes vires in campum educere quam com-  
 modissime possit. Inprimis cum Tartarorum gens nu-  
 merosa, quæ ad minimum centum millia equitum effi-  
 cere potest, ipsius auspicia sequatur, & una cum Rege  
 circa mare hoc etiam tempore excubet. Fœdus igitur  
 amplectendum, non ut in viscera nostra aliorum ferro  
 ipsi crudeles simus, sed quo alienas fraudes prompti-  
 us, celeriusque confundamus, eo hac ratione parto  
 consilio, severitate, publicis cervicibus imminens exi-  
 tium prudenter, & fortiter amoliamur; cum inprimis  
 occasione data hostium voluntas certa, nostrum peri-  
 culum grave, & modus tam sævos conatus impediendi,  
 expeditus sit. & posito, quod Domus Austriaca, quæ  
 ante actis temporibus sub imagine pietatis, & fama  
 belli Turcici, Germaniam gravissimis exactionibus  
 crebro divexarat, & posthabita Christiani nominis re-  
 verentia, aucto terrore infidelium patriam exhaurire  
 non erubuit, hoc fœdere ficta potius sanctitate, aliis-  
 que de causis, quam voluntate, abstinuit. præter ipsam  
 tamen necessitatem, infinitæ sunt rationes, illæque piæ,  
 & sanctæ, ob quas confederati omnibus modis annu-  
 ere debent, ut certo pacto, seu fœdere Ottomannicum  
 Imperatorem, solemni etiam ad hoc missa Legatione,  
 partibus suis obligare possint. Hic enim quo potentior,  
 & cæteris vicinior, eo magis hosti formidabilior fu-  
 turus erit, & maximum commodum huic nostro fœ-  
 deri accedet. verum præ manibus opus est, & omni  
 conatu agendum, ut quanto citius Legatio talis decer-  
 natur, quam tantam apud Turcicum Imperatorem au-  
 thoritatem

etoritatem, & pondus habituram, sua Serenissima  
 Celsitudo promittit; ut certo sperandum sit cum fa-  
 cile in hoc fœdus consensurum, in quem finem sua Se-  
 renitas Legatum esset expeditura. & quoniam hoc ne-  
 gotium tanti momenti esse animadvertit, ut absque  
 maximo Reip. incommodo, & rerum agendarum im-  
 pedimento prætermitti nequaquam debeat, intermit-  
 tere etiam Serenissima sua Celsit. non potuit, quin cer-  
 tum hominem ad Budensem Præfectum transmitteret,  
 per quem voluntatem ejus in hac re tentaret, & pro  
 captu illorum hominum rationes bellicas illi inculca-  
 ret, qui in dies rediturus erat. quod si nunc sua Sereni-  
 tas de confœderatorum hac in re voluntate certior fieri  
 posset; idem etiam Constantinopoli apud præcipuum  
 Aulæ Turcicæ hoc tempore moderatorem, per fidos  
 homines, quam commodissime actura esset, ut hoc pa-  
 cto & consilia explorata habere, & voluntates etiam eo-  
 rum in tempore præparare, & disponere posset. atq; ita ne-  
 gotium hoc optatum finem fortitutum minime dubi-  
 tandum esse, sua Serenitas putat; dummodo confœ-  
 derati tam salubri, & præsentissimo consilio aures, vo-  
 luntatesque præbere non dedignentur. interim tamen  
 si in hoc præsentis negotio suæ Serenitatis ope uti con-  
 fœderati desiderant, ante omnia inceptum fœdus ad fi-  
 nem perducatur, tabulæque, quibus & sua Serenitas  
 directe comprehendatur, quanto citius conficiantur,  
 & erigantur. hæc afflicta Resp. & periculum cum exi-  
 gat, tum Sereniss. sua Celsitudo, propter ingentem lo-  
 corum distantiam, itinerumque pericula, quæ forsitan  
 ulteriorem Legatorum expeditionem impedire pos-  
 sent, valde rogat. secundo, cum hæc in Imperio bella,  
 statumque totius rei altius secum Serenissima Celsi-  
 tudo perpenderit; & quid magis utile, & hosti majoris  
 incommodi esse possit, secum consideraret, longa rerum  
 istarum experientia edocta, consultissimum certissi-  
 mumque esse judicat, ut ubi præcipua belli causa, eo etiã  
 omnis vis transferatur. quamdiu enim in longinquo-  
 ribus à Serenitate sua regionibus, & in ipsis Romani  
 Imp. visceribus bellum alatur, non tam Cæsari noceri,  
 quam intentioni ejus, ut scilicet omnes Imperii Prin-  
 cipes,

eipes, ac uniti funditus intereant, inferviri, palam manifestum esse. quid enim bella illa proxime hisce annis in Imperio Romano gesta effecerint? quid tantum sumptus expensi valuerint? quid denique tot fortissimarum gentium auxilia profecerint? ipsam experientiam docere, pulcherrimas civitates, opulenta oppida, & florentissimas, omniumque Imperii provinciarum ditissimas regiones expilatas, dirutas incendio, flammisque consumptas, & confectas esse, Principum, & Statuum plurimos eo angustiarum, & miseriarum redactos, ut fere familiari viam quotidiani sumptus super sint. & ita qui rem communem adjuvare debebant, ipsi auxilio egeant. exterorum sua quoque privata majori ex parte prosequendo, rem in longum trahi animadvertentes; ad continuanda, & praestanda auxilia languescere. Ad haec, cum loca praerique, & ditiones in Imperio ab hostibus occupatae, validissimisque copiis munitae sint: Duces etiam expertissimi, & longa militia in Imperio inveterati, multi benevoli, & Caesaris partibus addicti minime desint; haud facile factum esse videtur, ut absque majori virium conatu inde expelli, dejicique possint, quamdiu praesertim domi illis vires pacatae, & subsidia super sint, illud igitur praeter omnibus agendum, & ut majorem, facilioremque exitum sortiatur, necessarium sua Serenitas existimat, ut quantocius copiae aliquae educantur, atque ipsum bellum in visceribus hostium geri aggrediatur. quod eo etiam commodius, utiliusque futurum putat, cum isti populi maxime oppressi, & omnia libertate indignissimis modis hactenus tractati fuerint, visis justis copiis, statim res novas moliri, & gravissimum jugum excutere incipient, modo miles ab exercenda in eos insolentia contineatur. & hoc pacto ex voluntariis iis, qui causae nostrae favent, exercitum, copiasque nostras augeri, majorem belli molem transferri, & hostes maxime consternari, viribusque destitui videbimus. in Imperio autem, Statibus, & Principibus spiritum resumendi, vires recolligendi, & sese cum fructu, & effectu aliquo foederi jungendi spatium dabitur. Accedit huc, quod inter Sereniss. suam Celsitudinem, & ceteros confederatos amplae regiones hostium

stium Imperio subjectæ interjaceant. vires autem distractæ, & alterius auxilio destitutæ, periculo, & incommodis haud careant. quare & hic subveniendum, in primis vero cum istarum gentium vires, omnisque militia in equitatu consistant; & peditatu, cui non uti hæ nationes student, destituantur. in hac autem conjunctione, & expeditione ejusmodi peditum phalanges sua Serenitas admodum necesse habet; ita si huic communi negotio in auxilium venire debet; omnino eo laborandum erit, ut exercitus aliquis justus propius istis regionibus admoveatur, quo equitatu suo robur Germanorum peditum adjungere, illiusque præsidio omnia aggredi, & effectum illum, quem optamus, consequi sua Serenissima Celsitudo possit. & quamquam in hunc finem à Serenissimo Daniæ Rege, pro temporis, & exercitus ejus statu copias obtinuerim, quæ sub Generalis Mansfeldii, & Principis Ioannis Ernesti Saxonæ Ducis ductu, & regimine eo viam ingressæ sint: attamen an numerus istarum, vel ad fallendum hostem, vel ad penetrandum aptus, dies docebit. interim iteratis vicibus ad Serenissimam suam Celsitudinem à me perscriptum, ut ille 20 mensis Julii in Silesia adventum ejus Serenitatis præstolantibus occurrat. itaque admodum submisse rogare, ut ne ulla cunctatione sua discrimen, vel periculum hisce rebus obijci possit; properare dignaretur, fidemque meam reddere, cæterisque etiam conditionibus postulatis satisfacere. Quod cum nunc Serenitatem suam summo etiam cum suo periculo, & incommodo nequaquam neglecturum sciam, ita eo magis etiam mihi sollicitandum; & inclytis confœderatis annitendum erit, ne frustra hoc tantum iter suscipiat, & ante tempus absque ullo Reipub. fructu se hosti prodat, & si tam parva manu per hostes vadere non possit, validiore ut prorumpant, cum etiam, ut suis exercitibus hostium copiis, terra, marique se opponant, atque in eo pro viribus laborent, ne à tergo in istas regiones destinatum exercitum aggredi, & ab incepto revocare possent. utque ita hostes pluribus validissimarum gentium, potentissimorumque Orbis Christiani Regum, & Principum  
viribus

viribus distracti, in unum suas conferre nequaquam poterunt. Serenissima etiam sua Celsit, postea quam omnia ita constituta animadvertet, majori alacritate conatus suos promovere suscipiet. Tertio, cum regiones suæ Serenitatis pecuniis, & belli sumptibus non adeo nunc abundant, ut tanto exercitu alendo per se sufficiant; sua Serenitas etiam fere quinquennis belli sumptus sola, omnium auxiliis destituta sustinuerit; ut hac ratione ærarium ejus magna ex parte defecerit, fateri cogitur, sibi de necessariis ad hoc bellum pecunia minime provisum. Itaque subsidium aliquod à confœderatis, nempe 40 millium talerorum Imperial. singulis mensibus, durante bello, ut sibi præstetur, petere coactam esse. quod non ita magnum, vel multum cuiquam videri posse putat, si consideraverit, quod ad minus 40 millia Hungarorum militum, modo tuto hoc bellum susciperet sua Serenitas, vellet conscribere, & continuo alere. Regiones enim istæ cum ab hisce satis remotæ, & undequaque hostibus, & malevolis sint cinctæ, ex iis in persona cum ipso exercitus fore exire, illumque per tot inimicorum locorum spatia, in vias, per asperos, & angustos aditus in hostile solum deducere; statim, patriamque post tergum militaribus hominibus nudatam relinquere opinione sane gravius esse, quis non videt? Itaque ea media necessario exquiri debent, quibus illarum regionum indemnitati consuli, & ex illis publice omnium utilitati occurrere possit. Quod alia ratione fieri non potest, quam ut sua Serenitas præter dictum exercitum, cum quo ipsa met ire contendit, tres alios haud minores finium custodiendorum gratia constituat, illosque circa Cassoviam partim contra Polonum, partim in inferiori Hungaria contra Generalatum novæ arcis Archiepiscopalis, & Hungaros circa Tyrnaviam, partim contra Cæsareanos Viennenses disponat. ex quibus facile quisquis dijudicare poterit, quanto milite opus habeat, quosque sumptus ultra petendum subsidium facere sua Serenitas debeat. verum

id

id nulli magnum videbitur, si commodum, & fructum, quem ex hac suæ Serenitatis confœderatione uniti, & Reipublicæ Christianæ, sibi promittere possunt maximum, certissimumque; quis secum ponderaverit. Nemo enim hac tempestate propter locorum, Regionumque situm, infinitasque alias commoditates, majores vires, & robur sua Serenitate (pax aliorum dixerim) habet ad mortale Domui Austriæ infligendum vulnus. ut taceam prudentiam, animi magnitudinem, alacritatem, notissimumque illius, & summum rei communis studium, ut hinc spes non possit esse nisi certa magni alicujus boni. Cum autem absque sumptibus nihil ardui, & in bellis præsertim effici possit, rogat sua Serenissima Celsit. ut de his ipsi provideatur. et cum propter maximam locorum distantiam, ita commode singulis mensibus transmissio illa, sive solutio fieri non possit; ne ab ejus defectu periculum aliquod incurrere, & irrecuperabile damnum pati necesse sit confœderatos; per amice rogat, ut trimestre stipendium, hoc est, 120 millia talerorum per cambium in urbe Alba Græca, vel Constantino- poli deponantur, quæ per Oratores, & Legatos Christianorum Regum, & Rerumpub. ordinariæ ibi residentes absque ullo defectu persolvantur, & nunc mihi ratione hujus trimestris cambii litteras assignare dignentur. Hæc nisi fiant, tum propter ipsam pecuniæ inopiam, tum propter rationes supradictas; parum, vel nihil Serenissimam suam Celsitudinem facere posse existimandum est.

Cum itaque, ex hisce, Illustrissimi, ac præpotentes confœderati Belgii Ordines, Serenissimi Principis mei consilium, mens, & promptum, ac singulare Remp. juvandi studium, æquissimæque conditiones appareant; Serenissimus etiam, ac Potentissimus Daniæ Rex nihil quicquam salutarius hoc consilio suscipi posse existimet, quam ut pro communi causa conjunctio quanto citius perficiatur, cæteri invitentur. Itaque quicquid hac ratione in communis rei, labentisque Christianæ Reipub. commodum, & emolumentum cum Serenissima sua Celsit, reliqui confœderati tractaturi,

R

con-

conclufuriq; fint, ei acquieturam, ac ratum habituram pro certo habeo. quantum etiam ad Legationem ad portam Ottomannicam mittendam, à cæteris minime fe fe paraturum sub figillo regio promifit, cæterasque etiam conditiones, quoad fuam Sereniffimam Regia Majestatis perfonam attinet, quantum fieri poteft adimplere ftudebit, ut Illuftriffimi DD. Ordines ex literis Regiis videre poffunt. Nullum igitur eft dubium, quin & vos, inclytæ hujus Belgarum Reipub. Status, pro fummo veftro in rem communem zelo, & fingulari, totique Orbi cognita prudentia, tam amice, & prompte pro cõmmuni Orbis Christiani falute, & libertate (cui & veftram conjunctam fcitis) fe, fuæque offerenti Principi fatisfieri ut poffit, omni fpe fitis annixuri; & hac concepta fpe veftram convenientem, amicamque animi promptitudinem expectat, Illuftriffimi, ac præpotentes confederati Belgii Ordines, vos interim officiofe colens Gabriel Bethlemus.

Hæc oratio cum coram Ordinibus Hollandiæ Hagæ Comitæ recitata placuiffet, cæteris confederatorum Legatis adhuc Hagæ fubfiftentibus communicata fuit. mox collatione inftituta, certa fumma Norimbergæ pro Bethlemo fuit deftinata, legationem vero pro tunc vifum fuit per Ordinarios Angliæ, Galliæ, Batavorum, aliorumque Conftantinopoli residentes fupplere, donec vel major neceffitas, vel evidentior utilitas, fingulorum aliquam Legationem requireret.

*Mansfeldius in Silefiam proficifcitur.*

Placebat omnibus, quod jam Mansfeldius itineri accinctus, indictam diem fervare ftatuiiffet in Silefia, ne frustra Bethlemus ad excipiendum focium accederet. quare etiam Legatum feftinatis itineribus redire voluerunt, quo fingularis omnium intentio, & constantiffima mens Bethlemo innotefceret. Mansfeldius etiam non expectato reditu Legati, affumpto focio itineris, & expeditionis Ioanne Ernesto Duce Saxonie Vinarienfis, loco Fuchfi Magiftri equitum (cum quo non fatis Mansfeldio conveniebat) iter ingreffus eft verfus Silefiam, numerans fub fuis fignis viginti

viginti mille milites, inter quos erat Palatinus à Birc-  
kenfelt cum mille equitibus, & plerique exules Bo-  
hemiæ, ac Moraviæ, ad restitutionem patriæ anhelan-  
tes, quibus Rotemburgam perductis, & constituta,  
attributaque cuilibet duorum dierum annona, magni  
itineris biduum fuit indictum, cum spe ulterioris qui-  
etis peracto triduo obtinendæ. illo itaque biduo mi-  
les fere viginti milliaria conficiens, Grossensem Duca-  
tum, qui limitaneus, & feudum est Silesiæ, scelici-  
ter attigit, eumque vacuum invenit. Nam Wallestei-  
nius, cum iter Mansfeldii in Silesiam percepisset, Tri-  
bunum Pechmannum cum tribus fere millibus equiti-  
bus submiserat: sed is modicis itineribus incedens à  
Mansfeldio præventus fuit; & cum postea, maxime in  
locorum angustiis, eos potuisset deprehendere, pedi-  
tatu destitutus, itinerantibus locum cedere debuit.  
Ad primum motum Mansfeldii, vel conceptum, vel  
intellectum vicani in Austria superiori se moverunt;  
& cum acrius ad Religionem cogentur, obedi-  
entiæ jugum excusserunt; primum in posteriori parte,  
quæ Bohemiam spectat, qui octo mille simul inceden-  
tes, arces obvias invaserunt, Præfectos captivarunt,  
& arma undique collegerunt. Danubium deinde  
transeuntes, eam partem, quæ Passavio proxima est,  
ad similem rebellionem provocarunt, & nobiles quos-  
dam ad sumenda arma pro defensione patriæ, quam  
dicebant tot decretis, tot exactionibus, & imperiis  
contaminatam, adegerunt. Præfectus ditionis Co-  
mes ab Herberstorf; ut insanientes rusticos vidit, ad-  
iuncto sibi carnifice, è primaria urbe Lintziaca egres-  
sus est cum aliquali militia urbis præsidio destinata,  
sed vix non deprehensus insidiis, in urbem profliga-  
tus rediit; moxque tanto facinore audaciores, coete-  
ras fere arces omnes, minora oppida, & limitaneas  
domus occuparunt; Welsium, Stiram, Lambachia-  
cum vi adhibita statim sui juris fecerunt; frustra Cæ-  
sare de vi facta, & injuria illata protestante per qua-  
tuor è Consiliariis Entzium, ac Lintzium destina-  
tos, ut turbatam patriam sedarent: quos vicani ex  
Cremphanienti Monasterio paulo ante invaso veni-  
entes

*Rebellio  
Rusticorum  
in Austria*

*Conatus  
Gubernatoris.*

entes interceperunt, & Eberbegam, ac postea Si-  
ram abduxerunt.

*Legati Ca-  
saris cap-  
tivantur.*

Mirabilis certe erat ubique rerum facies, quando  
nec Cæsaris Legati à furore populi sese eximere potu-  
erunt. inter cæteros legatos erat Rev. D. Ignatius,  
Abbas Vallis liliorum, qui non parvum vitæ discrimen  
adiit, quando accusatus de fortunis Iergeri coemptis,  
rationem sui ambitus reddere, & vitam facundissimis  
verbis deprecari coactus fuit. Sacri Ordinis interim  
aliqui cæsi fuerunt à vicanis, Præfecti nobilium profli-  
gati, primarii Ordines abducti, & tota colluvies rusti-  
corum contis, fustibus, hastis, bipennibus, aliisque  
novi generis instrumentis armata, multa tormenta  
majora ex diversis arcibus nobilium, in usum belli fu-  
turi, collegit.

*Discipli-  
na rusti-  
corum.*

Credebatur esse inter illos, multos equestris, & mi-  
litaris ordinis viros; nam uno fere tenore barba rasi,  
& ad certam normam capillos inflexerant, multisque  
pullam vestem injecerant. certum est, quod primo re-  
bellionis mense transitus omnes munierint, Danubii  
ostia occluserint, & viatores quoscunque ad bellan-  
dum, aptos armaverint, tanta disciplina, ut non rustici,  
sed milites exercitati viderentur. summum Præfectum  
sibi delegerunt Stephanum Feidingher illinc oriun-  
dum, opificio pilearii, qui in Abbazia præcipua Crem-  
phanensi subsistens, ibidem sibi Prætorium constitue-  
rat, & cubicula quondam Cæsaris Matthiæ hospitio  
destinata inhabitavit, seque jam Cæsarem arbitraba-  
tur, id nonnunquam se decere gloriatus.

*Ducem  
creant.*

Cum Cæsar Delegatos submisisset, ipsi, detentis illis,  
sæx alios non è suis, sed ex vicinia exoratos, Vien-  
nam ad Cæsarem miserunt, ut gravamina deferrent,  
& pœnitentiam à Cæsare extorquerent. querebantur  
enim, Gubernatorem provinciæ reformationem exer-  
citiæ Religionis instituisse, & verbi Divini ministros  
(sic suos blaterones appellabant) aliosque Evangelicos  
è provincia exegisse, pro defunctorum suorum corpo-  
ribus tumultandis magnas è Catholicis summas fuisse  
exactas, ejectis è provincia gravissimas exactiones fu-  
isse impostas, multos è subditis ob Religionis Au-  
gustanæ

*Quærela  
rusticorū  
plerum-  
que falsa.*

gustanae Confessionem fuisse dimissos, & metuen-  
dum, ne positis armis plures dimitterentur. provinci-  
am menstruis exactionibus fuisse gravatam; milites  
praesidiarios excursionibus provinciam gravasse, ju-  
menta abduxisse, & pecunias quamplurimas impe-  
rasse. hinc per submissos Legatos volebant, quanto-  
cius sibi Augustanae Confessionis Pastores, & schola-  
rum praefectos restitui; milites à provincia abduci;  
nullos alios submitti; exactiones menstruas tolli; at-  
que seditionis factae indulgentiam non fucata, sed  
seriam tam à Bavariae Duce, quam à Caesare, data  
desuper cautione omnibus, publicari. Quibus ob-  
tentis, in omnibus, & legitimis casibus Caesareae Ma-  
jestati se subjectissimos ad extremum vitae spiritum  
permansuros promittebant, alioquin extrema mina-  
bantur. Quae ut optimo ordine ab omnibus studio-  
se peragerentur, ad defensionem suae provinciae, re-  
gionem omnem in quatuor partes diviserunt; & in-  
dicto Generali Conventu in singulis partibus contra  
vicinos Stirios, Bavaros, Bohemos, & Austriacos  
inferiores, loca Congregationis, numerum accur-  
rentium, arma, signa, & modum praescripserunt;  
neque jam sua provincia contenti, in inferiori Au-  
stria exploratores, & subdolos instigatores habue-  
runt, qui plebem contra dominos ac Magistratus in-  
citarent.

In gravissimis interim versabamur periculis; ex-  
pectabatur in Silesia Mansfeldius, armabat suos Tran-  
sylvanos Bethlemus; pruriebant ad arma Vngari o-  
tiosi; & in ipsa Austria inferiori parum securi vive-  
bamus; Caesar arma plebeis, ac rusticis non au-  
debat imperare, metu ne & ipsi deficerent; militem  
omnem habebat in inferiori Saxonia; miles in pro-  
vincia reliquus à longo tempore non exercitus, ne-  
que in tanto numero, ut praesidiis sufficeret: nam &  
Turcae sua praesidia auxerant, ac propediem cum  
Bethlemo dicebantur limitibus suis egressuri. in Bo-  
hemia etiam, & in vicina Moravia trepidabatur  
magna Magistratus cura, ne vicani exacerbati ob-  
comminatam, & nonnullis in locis rigidius incep-  
tam

*Facies  
Austria  
miserabi-  
lis.*

*Bohemia  
turbata.*

„ tam reformationem Religionis, sumptis armis, de-  
 „ ficerent. ut non semel, modo juxta Kuttenbergam,  
 modo ad Litomeritium, & in valle Ioachimi, quæ  
 Saxoniam respicit, cœptum fuerat; quibus in locis se-  
 ditio pullulabat, quæ alibi abscondita latebat, & a-  
 libi æstuabat.

*Decreta  
 Casaris.*

Inter has angustias Cæsar rursus ad preces conver-  
 sus, divina auxilia imploraturus, habita diligenti  
 cura civitatis Viennensis, & Neostadiensis, vigilias  
 oculatas Vngaris fidelibus præcepit. in Austria infe-  
 riori rigidis decretis conventicula rusticorum inter-  
 dixit. vias omnes à milite patrio, cui Catholici Or-  
 dines sub Marischalco Austriae viritim imperaverant,  
 observari voluit; maxime ne ambulones, aut exter-  
 ni vicani internis miscerentur; moxque, missis ali-  
 quot turmis equitum, aliquot è seditiosis rusticis Vi-  
 ennæ perducere curavit; quos catenis innexos, cæ-  
 teris ad exemplum, fossis urbis inclusos, operibus  
 oneravit, mortique non ita post addicendos sparsit.  
 quorum exemplo cæteri vicani in officio satis retenu-  
 ti sunt. Bohemiam compescuit miles præsidarius  
 Pragensis; cives Pilsnenses, Crumlovienses, Bud-  
 vicenses, Regiogregenses, & alii, qui jam plerique  
 ad Catholicam Religionem protracti, saltem vi-  
 gilantes Magistratus obtinuerunt: maxime tamen  
 proceres Catholici, ante biennium arcibus impositi,  
 prudenti cura rusticorum savitiam tempera-  
 runt.

*Expugna-  
 tur Min-  
 da.*

Interim feliciora nuntia ex inferiori Saxoniam ad-  
 venerunt, ubi Tillius civitatem Mindensem ad We-  
 feram jam pridem obsidione cinctam, ac fortiter re-  
 sistentem non sine strage suorum in tribus castris ob-  
 stinate incenia oppugnantium invaserat, trucidatis  
 fere omnibus, quæ civibus, quæ militibus, nullo  
 modo deditorem facientibus; ita ut tota area civi-  
 tatis corporibus mortuis oppleta fuerit, quæ postea  
 plaustris vicinorum sepulturae transmissa sunt. Cæsa-  
 ris etiam exercitus sub Wallesteinio juxta Magdebur-  
 gum excubans, habito prius mitiori Magdeburgen-  
 sium responso, quod caduceator Cæsareus solemniter  
 habitu

habitu, cum duodecim aeneatoribus urbem ingressus, Cæsarisque mandata publicans, à Magistratu & civibus exceperat; in Brandenburgensem ditionem se movere cœpit, ut ibidem si quæ insidiæ laterent, quibus vel Bethlemi, vel Regis Daniæ expeditiones promoveri possent; detegerentur, & impedirentur. Harum autem copiarum intuitu Elector Brandenburgicus misit è suis, qui Cæsaris exercitum hospitio exciperent, & vim deprecarentur cum certa verballi, atque scripturali cautione, se in fide Cæsaris permanfurum. quod ut magis Cæsar crederet, hæc tenus dilatatum assensum ad promotionem Electoratus Ducis Bavariæ, tunc perlibenter submisit, seque in omnibus Cæsari cum Electore Saxoniam paritutum sancte promisit. Hinc tanto securius Wallesteinius legiones peditum, proficiscentem Mansfeldium subsequentes, dimisit; quæ eundem in Silesia detinerent, & equitibus adjunctæ in formam exercitus, illam provinciam tuerentur. verum serius illæ appulerunt; nam Mansfeldius Vratislaviam transferat, imparatumque Pechmannum dum peditatu careret, quamvis non sine amissione multorum, eluserat. In qua expeditione multi non parum fidem Vratislaviensium, aliorumque Silesiorum plus Mansfeldio, quam Cæsari addictorum desiderarunt, quæ si constantior erga Cæsaris obsequium fuisset; solis sclopetariis patriæ evocatis, neque Mansfeldium admisissent, neque Cæsaris equitatum tam turpiter deseruissent. rependit tamen propitii affectus mercedem ipse Mansfeldius, qui passim minores urbes, & oppida devastavit. In urbe Gurensi erant abundantes nundinæ, eas Mansfeldius cum suo milite frequentare voluit; sed civibus, & mercatoribus, de quorum fortuna agebatur, acriter se defendentibus; & inter ceteros duos equitum præfectos occidentibus, vehementior impressio facta fuit, urbs vero expugnationem verita, de lytro 30000 florenorum convenit, eoque persoluto, nedum depradationem evasit, simili casu perculsa fuit Gloggovia, Suinnitzium, Oppavia, & fere universa Silesia; quem

initio facillime præcavere potuissent; si grassantibus se opposuissent.

*Obsessio  
Gottinga.* Obsidebat interim Tillius, castigata jam Minden-  
civitatem Gottingam, perductis ad illam oppugnandam viginti duobus tormentis bellicis, vineis, vallo, & munimentis ad urbem usque erectis; è quibus nunquam per præsidia erumpentia ejectus fuit, magna utriusque partis occisione; quam tamen Tillius tormentorum explosione fortiter vindicavit; ac tandem deditioem impetravit, ea conditione; ut milites, & Duces cum expansis signis urbe egrederentur, salvis impedimentis, modo illa cum fortunis civium non permiscerentur, neque transfugæ inter alios occultarentur, hos enim Tillius puniendos deposcit. Daniæ interim Rex, ut obsessos liberaret, Wolfenbüttele movens viginti millia circumduxit, Fuchsi turmas expectans; quæ circa Calebergam illius loci obsidionem frustra attentaverant, sed ante illius adventum jam Gottingenses præsidarii deserto loco alia stativa quæsiverant, & Tillius de Northeimienfi obsidione deliberans; illi quidem sufficiens videbatur, sed Regis Daniæ copias multo numerosiores non parum verebatur, maxime eo tempore, quo Wallestinius totum suum exercitum, exceptis octo millibus, qui in præsidiis Halberstadiensium, & Magdeburgensium remanserant, duplici via in Silesiam deduxerat, illius enim exercitus pars ex Brandenburgensi Marchia, pars vero Zervesto directe in Bohemiam, ut faciliorem annonam invenirent, & Bohemiam tuerentur; incesserat; non tam propter Mansfeldianos, quam propter Austriacos rebelles, de quibus jam fama erat, quod Mansfeldium per Moraviam aditu patefacto expectarent; quodque in illius occursum summo impetu contenderent. neque omnino vanus fuerat rumor. nam Regis Daniæ Legati nonnulli in Austriam profecti, prensationibus, & assiduis concionibus eosdem ad seditionem continuandam animaverant, ut rejectis conditionibus Cæsarem indefinenter oppugnarent.

Dudum ergo in bivio Mansfeldius in Silesia, & apud Tescinium erecto vallo hærens stetit; expectaturus

*Tres legiones  
Wal-  
lest. inBo-  
hemiam  
mittuntur.*

turus occursum Bethlemi promissum, sed illo dilato, de fide illius dubitans, plura munimenta erexit, & non semel de invadenda Moravia, attingendaque Austria consilium habuit. verum insequentes copiaz, & collaterales in Bohemiam delatae, metum injicientes, illum ab hujusmodi invasionibus continuerunt; sicque diutius tergiversantem Moravia, & Silesia ingratum hospitem magno onere sustinuit.

Ne Polonia Silesiis, aut Caesari succurreret, eodem <sup>Suecus</sup> tempore Suecus ex composito Polonis ad Dantiscum <sup>Polonos</sup> bellum intulit, & Bethlemus per Poloniam in Silesi- <sup>affligit.</sup> am irruere decrevit; ut medius inter Mansfeldium, & Suecum Polonos occuparet, factoque impetu in Bohemiã, Palatinum ditionibus deperditis restitueret. quae consilia non multo post, intercepto Legato, à Caesareis intellecta, ac praepedita longe aliam mentem Bethlemo ingesserunt; eumque in Vngaria detinuerunt. Rustici interea in sua Austria occupabantur in obsidione Lintziana, summo ardore, ac numero triginta octo millium obsidentium aliquandiu continuata, ubi jam Praefectus illorum glande plumbea interfectus obierat, & loco illius sutorem quendam Achatium Wel- <sup>Obsidio</sup> linghamerum substituerant, sicque obsidionem usque ad <sup>Lintziana</sup> trigessimum mensis Augusti protraxerant, obsessosque quotidianis oppugnationibus exercuerant, & fere extrema penuria laborantes expugnauerant. cives tuebatur Adamus ab Herberdorf, ad quos, uti ad Ordines comminatorias litteras dederant rebelles rustici, minitantes, quod nisi infra paucos dies designatos oppidum traderent; ferro, & igne omnes consumpturi essent, quod verentes ii, qui ex Ordinibus in urbe erant, Gubernatori supplicarunt, ut conditionibus ageret, & suae, suorumque vitae consuleret. verum Gu- <sup>Strate-</sup> bernator majori, quam unquam, animo, obsidionem <sup>gema</sup> sustinere cogitans; Ordines omnes in arce asservavit, <sup>Herbersta-</sup> & nisi obsidentes desisterent ab oppugnatione, illos <sup>dii.</sup> primo loco ad excipiendos hostiles ictus exponere promisit. exinde strategemate quodam, per navem com meatus aliqualis in urbem delatus fuit; & Loebelius cum aliquot equitum turmis rusticos prope Entzi-

*Freystadi-  
um occu-  
patur.*

um stativa habentes aggressus, magna virtute 900 occidit, duodecim millibus fuga dilapsis, tantoque terrore ex hac clade correptis, ut Ducis sui imperium aspernari, & domum suam redire velle viderentur. verum ab alia parte Danubii Freystadii occupatio illis adhuc continuat; illic enim mortuo Præfecto urbis Catholico, hæretici conspirantes proditore quodam lanione; rusticos ad urbem admiserunt, ut vero se à direptione servarent, singulis fenestris hæreticorum, insciis Catholicis, linteum candidum apposuerunt, atque ita furorem evaserunt. urbis Magistratus custodia traditus fuit. duo Sodales Cappucinatorum arctæ custodiae mancipati sunt. unus illorum naso mutilatus, & in stabulum ferinum rejectus. Consul vero oppidi spoliata domo interfectus, & arx Comitis Elfridii Meggavii supellectile privata, Ecclesiaque pretiosioribus omnibus denudata fuit.

*Fuchsius  
recuperat  
loca Hal-  
berstadi-  
ensium.*

Daniæ interim Rex contra Tillium Northeimium obsidentem proficiscens, primo per Fuchsium aliquot loca Halberstadiensis ditionis recuperaverat, qui Fuchsius postea in Præfecturam Hotenslevem, arcem Schlaen, Sommersburgum, & in plures similes admissus, Regi se conjunxerat. Tillius vero adhuc Northeimensem oppugnationem admittens, aliquot legiones Comiti de Furstemberg, non procul à Calembergo periculum patienti, submitit, iussitque Dominum de Four, & Ervittium cum octo equitum turmis suis, decemque aliis cataphractorum, quas Schonburgicus ducebat, subsequi. sed Dani virtuti suæ dissidentes, pedibus salutem crediderunt: fugientes tamen in ultimas turmas Cronenbergicas inciderunt, à quibus dum premerentur, supervenientes reliquæ phalanges præter militum Tribunum Feyrtagium, sex præfectos, & octingentos equites peremerunt, ceteri in arcem Guelphorum (quæ Wolfenbuttela dicitur) devenerunt.

*Caduntur  
Danica  
copia.*

Prælagium fuit hæc victoria longe majoris eodem mense successuræ. de qua antequam scribamus, libet Mansfeldium prius in Vngariam deducere. post longam enim deliberationem, in qua non parum de fide Bethlemi non comparentis, ut addixerat, dubitans;

cum

cum dudum Teschii securus hæssisset, inter Marckam, & Wagam munitionibus inclusus; jamque aliquot legiones Cæsareæ Pechmanni, Isolani, & Comitissæ Zeti-<sup>Mansfeldius in Vngariam</sup> ni sese non procul ab illius copiis addidissent, moxque expectarentur copiæ Wallesteinii cum toto exercitu; ut nullus amplius dubitaret, quin ipse undique conclusus deberet vel fame interire, vel proficuis Cæsari conditionibus sese cum suis dedere; obtento ab Eliashaszio Comite, nunquam Cæsari satis fideli, etiam tunc & patriæ suæ infido, ad Trenschinium saltum Vngaricum aditu, dolose nunc pacem fingens, nunc Silesiam repetere se vel le simulans; una nocte, strato ponte, per Wagensem fluvium ad montem, & sylvam, quæ Vngariam à Moravia separat, festinatis itineribus contendit. ne vero Cæsarei nihil minus cogitantes illius vestigia sequerentur, ponti ignem injecit; & eo tempore, quo illi sibi de lignis, ad transducendum exercitum, providebant; jam montes attigerat: in quibus delitescens, mox sylvam, per quam transferat, occlusit; ibidemque, donec venirent Bethlemica, & Turcica auxilia, quorum opera è manibus Vngarorum eripi debebat, vires reparavit; semper de loco, per quem Vngariam intraverat, sollicitus, ut per eundem Silesiam repeteret. in quem finem ibidem in prædiis decem millia reliquerat, facultatemque plures, quæ in dies concessa liberiori præda, se offerebant; copias scribendi suis Legatis mandaverat; qui paulo post Ratiboriam, & Oppellium invaserunt, ut spoliis aliquot Principatumum ditescerent. quare cum Silesiæ Gubernator publico edicto auxiliares rusticos patrios evocasset, illi talibus hospitibus delectati obsequium detrectarunt, & potius Mansfeldianis, quam Cæsareanis iterum adherere voverunt.

Tillius interim liberatis copiis ad Calemburgum, dum Rex Daniæ destructas colligeret, prope arcem Guelphorum, & Duderstadium, Northeimium obsidere cœpit. at priusquam instructum esset vallum, & ad mota tormenta, ad securiora loca recedere debuit, ob adven-

*Mansfeldius de-  
jicit  
& incendit pontem.*

*Tillius  
versus  
Northeimium  
pro-  
ficiscitur.*

adventum Regis, qui urbem ab obsidione liberavit, iamque instrumentis bellicis, & annona necessaria munivit, postea in Eisfeldium, quod Electoris Moguntinense ditione comprehenditur, suum exercitum deduxit, in Turingiam Electoris Saxonici, & in alias ditiones Principum, Cæsari fidelium, deveniret. mox tamen illius itineris deliberationem revocans, & Duderstadium retrocedens in Brunsvicensem ditionem regressus est. Tillius autem evocatis copiis Cæsareis, ad illius subsidium relictis, legionibus scilicet equitum Saxonorum de Four, Huysmani, & sex turmis Croatorum; legionibus insuper peditum duabus, quæ simul octo millibus constabant; Regis Daniæ vestigia est insequutus triduo, posteriora agmina, & nonnunquam per emissarios lateraliter attentans. at ille fugienti similis semel ad Seesensem vicum consistens; sed loco diffusus rursus recedens, & collem quendam parvulum, & vallem transiens; tandem prælii aleam expectare decrevit juxta montes Barenbergenses, non procul à munito castro Litterensi. ibi commodum locum sistendi pedem nactum se ratus, dum ab una parte montes, ab alia rivulum, & spongiosam terram invenisset; suos in aciem disposuit, tormenta bellica in editiore loco collocavit; ibidemque horis aliquot quievit. Tillius vero eo ordine, quo pridie aciem disposuerat, subsequutus; non procul inde suos ad pugnandum animavit. sed adhuc longius distabat uterque exercitus, quam ut possent sese invicem offendere. nihilominus Rex confusus loci commoditate, post meridiem paululum montes deserens contra Tillium aciem instruxit. at ille ad aliquot passus procedens, pariter instructa acie occurrentem excepit, dubia certe victoria, quæ intio post tormentorum explosionem aliquandiu ad partes Regis inclinavit, nam adeo fortem impressionem equitatus Danicus fecerat, ut secundo Tilliani retrocedere coacti sint, penes spongiosum quendam locum consistentes, hic cum ulterius non possent, ex necessitate vim fecerunt, & reintegrata fortuna nonnihil ad dexteram declinantes, in leviores alas equitum inciderunt, quæ retrocedentes proximos hostiles ordines turbant,

*Pæna ad  
Lutram.*

*Turbantur  
Ordines.*

barunt, quod cum vidissent pedites legionis Lohofanae, Lindlavii, & Kassii, statim stationem sibi concreditam rupto ordine deseruerunt; & perfugium in arce Lutherensi invenerunt. alii etiam ex strepitu fugientium conterriti, partim in sylvis, partim in abditis locis latibulum quaesierunt; ita ut pedites fere omnes vel occisi, vel dispersi, equites quamplurimi in loco conflictus occubuerint, inter quos Generalis equitum Magister Fuchsius, tribunus Bersabeæ, Pentzius, Philippus Landgravius Hassiæ filius, & rotius exercitusannonæ Praefectus Pogwitz, captivi facti sunt tribuni septem cum Capitaneis viginti, & Capitaneorum Legatis, necnon vexilliferis sexaginta; quorum nonnulli sese ipsos cum arce Lutherana vitam pacti dediderunt; alii vulnerati, & inter præliandum capti, victas manus præbuerunt. Rex inter pugnandum penes ultimos ordines visus est consistere, diciturque ter equum mutasse, bis pugnam restituisse, atque ad sudorem, & raucedinem usque fortiter dimicasse; cum paucis tamen evasit versus arcem Guelphonis, ubi minus gratus Ulrico Friderico Duci Brunsvicensi aliquandiu delituit, ac postmodum in ditionem Lawenburgensem, ut vicinior suæ Holsatiæ contendit.

Post tantam victoriam Tillius statim victorem exercitum transmittens Northeimium, Duderstadium, Pintzium, Gulzensium, & ad alia loca, ea à conser-

*Alia loca à Tillio occupantur.*

natis absque gravioribus pactis facillime obtinuit. Mansfeldius tunc temporis hærens inter montana Vngariæ, Bethlemi, & Turcarum copias pro sui liberatione habuit: nam Bethlemus ter mille equites sub ductu fratris sui, & Stephani Charuvotti transmisit; & Turca, Christianis impeditis, præter mille hastatos submissos, spretis conditionibus pacis ante annum pactis, Neutriam cum suo districtu, accensis viginti circiter pagis, depopulatus, Damassum invasit, & Novigradum obsedit. verum vix obsidione posita Wallesteinus, cui occlusum fuerat iter Sylvarum, aliunde in Vngariam penetrans, & illuc contendens, relicto tantisper Mansfeldio in locis montanis, periclitantem civitatem liberavit. Illa liberata, Turcarum copiarum se-

*Novigradum obsidet Turca.*

se

*Wallestei-  
nii infor-  
tunia.*

se Bethlemicis conjunxerunt. Wallesteinus autem infeliciores quam unquam forte, cum maximo exercitu militans, non solum à Turcis, Bethlemicis, & Mansfeldianis, verum etiam ab Ungaris Cæsari addictis, sibi cavere coactus fuit. etenim illi militem externum exosi, si non fuerit sub illorum imperio, neque sufficientem annonam subministrare, neque suis copiis milites Cæsareos tueri, nec satis patienter pabulatores ferre voluerunt. Hinc Wallesteinio supervenit alius casus captivitatis sui Legati Generalis Slickii, & Laurentii de Magistris Tribuni, aliorumque, quos exploratum hostium molitiones emiserat; cum idoneos Ungaros, quibus potuisset confidere, non haberet. ex quo nata est diffidentia, & tanta quidem, ut Ungari nullum locum, ubi Wallesteinus esset, vellent frequentare, nec ipsius copiis se adjungere. propterea ex inedia, locorumque inidoneorum angustia orta fuit in exercitu Wallesteiniano summa militum infirmitas ad instar contagionis, qua gregarii plerique turmatim castra deseruerunt, vel mortui consumptique fuerunt. paulo minor fuit confusio in castris Bethlemi, & Mansfeldii; hic enim civitates montanas deserere noluit præ timore; ille vero, quamvis Turcis unitus, ita ad præsentiam Wallesteinii trepidavit, ut non procul ab exercitu Cæsareo consistens cum æqualibus, aut majoribus copiis, inducias unius noctis deprecatus sit; illisque obtentis, imo inter ipsa commercia relictis impedimentis evasit; neque unquam amplius se illi ausus est concedere.

*Militum  
infirmitas*

*Metus  
Bethlemi.*

*Cum rusti-  
cis tracta-  
tur.*

Rustici superioris Austriæ non nihil placati, postquam Lintzii parum effecerunt, & plusquam quatuor millia ex suis perdiderunt; Delegatos à Cæsare ad reconciliationem D. Abbatem Chremphanensem, & Comitem Elfridum à Meckau præstantissimos viros, itidemque prudentissimos petierunt, eosque, (quibus plurimum confidebant, quia integras suas fortunas inter illos habebant) quasi minus suspectos adulto jam Septembri audire voluerunt. sed nihil dissimulationis in Religione obtinentes, rursus ad antiquam seditionem desperabundi, quamvis jam semel

semel convenissent, & culpam suam deprecari voluissent, redierunt. quod inconstantia vitium, multi in rusticos, plures in Bavaricos, & longe plures in Cæsareos milites, ferventiores ipso tempore pacifici. commercii, conjecerunt. Nam cum rustici per destinatos suos ad diem reconciliationis coram præfatis Commissariis convenissent, obtulissentque se domum ad labores redituros, ac Cæsari duodecim ex suis in habitu pœnitentis, fune ad collum ligato destinatos; essentque in eo pararii, ut cæteris æqualia ista pacta referrent: Bavarici milites, supra Passavium excubantes, & legio Holsteiniana à Suevicis partibus recenter conscripta, à metatoribus hospitium prope Haverzzellam Neokirckii habens, more militari liberiores genio, crapulæ, ac clamoribus prima nocte indulgere. quare rustici inde fugati, sociorum operam invocantes, eorumque auxiliis aucti, sub crepusculum venientes, milites inermes, semisopitos, nudos, adhuc in palea extensos invenerunt; eosque fere omnes, ablatis paratioribus, occiderunt. pauci una cum Duce, omnem suam supellectilem deferente, beneficio aliquot navigiorum, quibus pridie venerant, quæque tunc à littore subduxerant, vitam redemerunt. rustici vero, ut sese apud alios de violentia militibus illata excusarent, insolentiam, libidinem, & crudelitatem militibus istis adscripserunt, istaque omnia dolo Cæsareanorum de pace tractantium, atque interim patriam occupantium, facta fuisse interpretati sunt. alii tamen obstinationi rusticorum, minima victoria obtenta favientium, & facillime pacem corrumpentium, irritam pacem attribuerunt. Non deerat etiã, qui Bavaris, magis ad hanc expeditionem belli, quam ad pacem anhelantibus, bellorum ulteriorem decursum adscriberet: scilicet dudum Bavariæ Electorem potuisse vicinos istos compescere, si modo voluisset sine privato commodo operam suam huic expeditioni impendere. cur autem hoc vicino Cæsari præstare voluisset, facilius erat conjicere, quam referre. huic obmurmurationi dederat causam Helleborgerus Tribunus; nam obtulerat Cæsari nomine Electoris novam Austriæ recuperationem, si Cæsareis sumptibus

*Caduntur  
Holsteiniani à rusticis.*

*Excusant  
se rustici.*

*Bavaria  
Ducis excusatio.*

sumptibus

sumptibus, pristino credito adjungendis, eam facere potuisset. hoc cum Cæsar noluisse, ne Austria perpetuo pignori subjaceret; culpa omnis in Legatum, & male intellectum mandatum conjecta fuit. Bavaria vero Elector postea, ut se purgaret, suumque candidum ostenderet animum, nonnullas copias, Cæsaris tamen stipendio, Cæsarisque junxit, & serio rusticorum seditiones, Cæsarisque jura copiosiori, quam unquam effuso rusticorum sanguine feliciter vindicavit. initium fecit Hubnerus, & Mauritius Smeltzerius ad montem Succari, ubi ducentos rusticos prostraverunt, sed mox octo mille accurrentes ipsum Tribunum Hubnerum cum octingentis Bavaricis castigarunt, inter quos octo fuere Capitanei, quos rursus Lindlous fortiore eruptione punivit.

*Danus recuperat vires.*

Falicius etiam in inferiori Saxoniam post eam insignem victoriam ad Lutram res Cæsaris gerebantur, nam Danus difficulter novum militem, ut instauraret exercitum, & repararet amissum bellatoris nomen, colligebat; quamvis multum Lawenburgii, & in ditione Mechelburgensi liberaliter aliquot mensium stipendia inter suos dividens, laboraret. non parum illum solatus est Hallensis Administrator, qui ut alias infelicem Mansfeldii fortunam, sic nunc casum Regis suis copiis sex mille peditum, & mille equitum auxit, novas ad Hamburgum, & Lubecam in favorem ejusdem conscribens. è contra ei summe displicuit, quod Ordines, & equites Brunsvicenses una cum Brunsvicensi, ac Luneburgensi Ducibus coram Tillio, fidem & obsequium ipsius ejurassent, & in posterum semper Cæsari adhærere, eumque defendere, eique in omnibus parere decrevissent sub pœnis amissionis honoris, dignitatis, beneficiorum, & regalium, si vel in minimo suam Majestatem deinceps offenderent, ideoque iussissent Brunsvicenses, ac Luneburgenses, ut ille suas copias è ditionibus præfatorum Ducum revocaret. quapropter Rex Ulricum Fredericum, Brunsvicensem Ducem non solum ab illa sententia dehortatus est, verum etiam militare sacramentum, alias ab ipso præfidiariis datum, solvere noluit; imo illum à Wolfenbuttelio,

*Brunsvicensis Dux cum Ordinibus revertitur ad obsequium Cæsaris.*

buttelio, & è propriis locis repellens totum Brunsvicensem Ducatum occupavit. facilius tamen Tillius in occupatione locorum, reconciliata regione, processit. quare paulo post Steinbruckium, munitissimum aliquin munimentum, post sex dierum oppugnationem, deditio impetravit; cæterumque Luneburgensis ditionis absque gravi cura possedit. Hinc etiam natum fuit Georgii Ducis Luneburgensis obsequium, quod post hunc diem apertissime, cum integra legione suis impendiis conscripta, Cæsari non minus liberaliter, quam constantissime impendit.

*Luneburgensis  
Dux pro  
Cæsare  
militat.*

Similem poenitentiam Cæsar paulo ante impetraverat à Georgio Landgravio Hassiæ, Mauritiï filio, hæcenus seditioso, & nolente parere sententiæ, ante biennium datæ in favorem Ludovici patruelis præfati Mauritiï, quoad restitutionem Marpurgenfis ditionis, quam executores sententiæ Cæsareæ sub initium Augusti proxime præteriti, per subdelegatos conati fuerant executioni demandare; sed renitentes aliquot præfectos invenerant, præcipue Reinfelsianæ arcis, qui pertinaciter arcem tradere recusaverat. Quare Electoris Colonienfis milites partim à Tillio, partim à Rege Hispaniæ mutuati S. Goarini oppidum è regione arcis obsederant; ac postea actis cuniculis, explosisque ignitis globis, cum nullam amplius haberent spem liberationis obsessi, ipsam arcem certis pactis dediderant, illo tempore, quo Ludovicus Landgravius homo Lutheranus, sed pacificus, & Cæsari fidelis Princeps è vivis decessit; pariterque Elector Moguntinus Ioannes Suicardus à Cronenburg, qui septuagesimo quinto suæ ætatis anno, & vigesimo tertio Electoratus, magno omnium luctu expiravit Aschaffenburgi, cuius opera plures similes controversiæ frequenter in Imperio fuerant compositæ; eo quod Electorum omnium senior, & dignitate officii Archicancellarii, & ingenio, comitate, necnon prudentia etiam à Lutheranis Principibus appretiata, omnibus antecelleret. quare postea in multis occasionibus desiderata est, maxime in restauratione disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ multis in locis frequentissima fuit.

*Exequutio contra  
Landgravium.*

*Obitus Electoris  
Moguntini.*

*Fructus  
victoriae  
ad Lu-  
tram.*

*Diversa  
praecepta  
Caesaris  
contrafra-  
ctam pa-  
cem.*

Parta enim victoria postrema contra Danum, & ex-  
territo Bethlemo, omnes Imperii Principes paula-  
tim sese submiserunt, & Imperator in restitutionem  
Religionis Catholicae propensissimus post superato  
inferioris Saxoniae Regulos, ad causam Religionis  
contra transactionem Passaviensem perperam defen-  
dentes, quasi à longo somno excitatus, animum adje-  
cit, atque ad totam Germaniam ad initam quondam  
pacem Religionis conducendam, quasi liberatus ma-  
gno metu, quo haecenus tam ipse, quam ipsius ante-  
cessores Caesares coacti fuerant, dum bellum effugere  
satagebant, in longe gravissimis causis dissimulare; li-  
beralissimum in sententiis fractae pacis se ostendit; ad  
instantiam enim Episcopi Augustani, non multo post  
victoriam mandavit Comiti Ludovico de Oetinga, ut  
possessionem Monasterii de Munserott, dudum ab illo  
possessi, cum omnibus emolumentis, clenodiis, para-  
mentis, parata pecunia, universaque supellectile Ca-  
tholica prompte restitueret, sub poena proscriptionis  
insuper ad instantiam Episcopi Constantiensis decre-  
tum edixit contra Magistratum Vlmensem ad compa-  
rendum, & videndum, illos incidisse in poenam fractae  
pacis, cum expresso praeepto, ut desisteret ab omni re-  
gimine Ecclesiarum, Monasteriorum, ac piarum fun-  
dationum; cui annexa fuit sententia condemnationis  
in quinquaginta marcas auri ob recenter impeditum  
sacramentorum usum oppidanis Monasterii de Vau-  
gen, quos non tantum ob Catholicae Religionis habi-  
tum exercitium, à celebratione festorum, ab erigendis  
scholis, sed à fundanda Catholicis propria sepultura,  
temerarie excluderant. Immo Caesar ulterius proce-  
dens, Comiti à Suartzenburg restorationem Catholi-  
cae Religionis optanti, mandatum liberrime concessit  
contra tutores Marchionis Onolsbacensis vicini, &  
in aliquot locis cohæredis, ne reformationem impe-  
dissent, sed in omnibus, & per omnia pacem Germa-  
niae Passavii initam ad unguem observarent. contra  
Norimbergenses plura similia decreta instante Episco-  
po Bambergensi, & Eystadiensis prolata sunt, ut jam  
ubique nova spes restituendae Religionis appareret,  
quam

quam anno sequenti omnes Protestantes summe se vereri demonstrarunt.

Hanc Catholicæ Religionis restaurationem, non amplius bello, sed callida versutia corrumpere, & illius splendori tenebras offundere ingenti summa pecuniæ Ordines Sueviæ, bonis Ecclesiasticis usurpatis, nisi sunt; quando non solum proficiscenti Wallesteinio Norimbergam, aliquot centena millia talerorum numerarunt, sed Cæsari ingentem summam pecuniæ contra irrupentes Turcas submiserunt. sed dolus recidit in dolosos; nam hac via semel aperta in Germania, non fuit Cæsari amplius opus celebrare periculosa non minus, quam sumptuosa Comitia, in quibus semper cogi solebat ab Ordinibus Germaniæ magna concessione privilegiorum, atque imminutione propriæ auctoritatis subsidia etiam iustissima ignavo quodam stylo emendicare; sed postea potuit solis mandatis papyraceis exactiones impetrare, & imperare. Quare cum Cæsar hac pecunia ad opprimendos Protestantes, & Turcas repellendos libere uteretur; neque mandatis contra Principes possidentes bona Ecclesiæ desisteret; in tantum augeri cœpit sua auctoritas, & fortuna, ut etiam apud amicissimos aliquos Germaniæ Principes invidiam subiverit; fuerintque qui fœdus quoddam solemne inter Catholicos Germanos, & cæteros Principes ad continendam fortunam Domus Austriacæ voverint; & ad illud in effectum deducendum, nonnullos Reges sollicitarint. hoc fœdus, multa que alia contra Cæsarem machinamenta præpedivit recens exorta inter Anglos, & Gallos diffidentia ob Reginam Angliæ, quæ ante annum nupserrat, & nondum integram dotem à fratre Rege Galliæ obtinuerat, quæque in matrimonio male habebatur à marito Catholicam Religionem in regno minus tolerante, atque ideo familiam Catholicam Reginæ inter pacta sponsalia concessam dimittente; cui accessit commerciorum quædam difficultas, primum inter primates exorta; deinde ad publicum utriusque regni bonum derivata. quam ut sopirent Galli, frequenter Anglis scripserunt; & cum nihil benigne responderetur,

*Dolus in  
Protestan-  
tium libe-  
ralitate.*

*Invidia  
nonnullorum.*

jure suo naves mercatorum sexaginta in Gallia portubus detinuerunt. quam injuriam ut Rex Angliæ vindicaret; pari violentia naves omnes Gallorum non solum in suis portubus sisti, sed etiam alias Oceano excurrentes in Angliam deduci præcepit. quæ cum rursus à Gallis repeterentur, semina belli jacta sunt domi, ita ut externorum vel obliviscerentur, vel minus in illa inclinarent, multasque invidias Principum prætereire deberent.

His invidiis dissimulatis, Cæsar in reducendis ad officium vicinis Austriacis progressus est, in quem finem copias Bohemiæ existentes evocavit; & Præinorum cum Loebelio, aliasque Wallesteinii ex Vngaria mutuatas conduxit. quod ne solus faceret, Bavariæ Dux (summa etiam dissimulatione alterius cogitati fœderis) Pappenheimium suum cum octo millibus submisit. qui sub fine Octobris, unitis viribus rusticos aggressi; tribus præliis prostraverunt, uno tamen maxime insigni ad S. Annæ montem, in quo ter mille occubuerunt, cæteri postea separatim Cæsaris clementiam implorarunt. Primi, qui socios deseruere, atque ideo mitius à Cæsare habiti sunt, fuerunt Cremphaniensis Cœnobii subditi, qui durius habiti à rusticis sociis, ad pristinos dominos suspirabant. contra illos postea rebelles rustici quidem arma moverunt; sed à Cæsareis adjuti fortiter eos repulerunt, cum paulo ante iidem Cæsarei milites à pœnitentibus rusticis in Languesol catenam ferream, qua Danubium occluserant, violenter extorsissent, & resistentes rusticos in quatuor navibus congestos Viennam misissent, quos Cæsar partim ad operas Viennenses, partim vero ad Iaurinensem, & Commorenses arcem condemnavit. interim Loebeliani milites Monasterium Lambacense recuperarunt, & in illa expugnatione plusquam septingentos rusticos occiderunt. cæteri vero quatuor mille certis munimentis defensi, eadem deserentes, Gemundum fugerunt, ac rursus in Pappenheimianos inciderunt; ita ut tandem illis seditionem pertæsis, duæ partes Austriæ sese omnino Cæsaris clementiæ submiserint; quamvis alia,

quæ

*Rustici  
superantur.*

*Lambacense monasterium  
recuperatur.*

quæ Passavium, & Bavariam attingunt, adhuc fortiter resisterint.

Interim vigesima Octobris Moguntiaë novi Electoris electio à capitularibus, qui aderant, solemnè ritu celebrata fuit, & communi consensu D. Georgius Fredericus antiquissimæ, nobilissimæque prosapiaë Greiffenclawensis, à Voltatz, qui jam Episcopus Wormaciensis erat, in Archiepiscopum Moguntinum, & S. R. I. Electorem electus fuit, atque à Capituli Decano è Sickingorum familia, è Choro templi Cathedralis renunciatus, & post factam promulgationem Altari impositus, symphoniacis Te Deum laudamus concinentibus, & toto Capitulo, Nuntio Apostolico Petro Aloysio Carafa Episcopo Tricaricensi, & Cæsareis Legatis ipsi gratulantibus, ex templo in arcem, quæ S. Martini Castellum appellatur, curru vectus, atque eleganti ordine deductus fuit. vespere artificiosis ignibus aliisque id generis ludis concepta è nova electione gaudia declarata sunt.

In Moravia, licet inimico, & amico milite, propter crudelitatem in incolas exercitam, impediente, crevit tamen Religio, tanquam semen hominum animis commixtum: etenim Cæsar me suggerente plurima mandavit, ut Religio Catholica in dicto Marchionatu æternum admitteretur. nam duobus dominiis affignatis, domus probationis Societatis Iesu Brunæ erecta est, & Collegium Olomucense lectione Scholasticæ Theologiæ ornatum pariter, magnificentia optimi Imperatoris mirabiliter locupletatum, Collegium Znoymæ, Collegium Iglaviæ, utrumque quasi firmamen, & stabilimen Catholicæ Religionis. habitat enim in illis Societas Iesu, magistra morum, hæresum vindex, vitiorum expultrix, præceptrix virtutis, juventutis nutrix. Præter Seminarium Olomucense in iisdem civitatibus Olomutii, Brunæ, & Iglaviæ, fuerunt à C. M. destinatae domus, in quibus adolescentæ pauperes alerentur, nimirum etiam in illis aliquid, quale prisca illa sæcula viderunt, & etiam nostra ætate desideramus, credimus evasurum. Znoymæ monasterium Patrum Cappucinatorum inceptum fuit ædificari, eo.

ri, eorundem Olomutii templum, & monasterium funditus dejectum, funditus reedificatum. ita etiam Nicolsburgi Patribus Franciscanis, ad ædificia restauranda numerata pecunia; Carthusianis, & Præmonstratensibus circa Brunam multum opis allatum est: sicut & aliis Religiosis in aliis civitatibus. uno verbo, Ferdinandus Imperator tanquam sol omnibus illuxit, nec fuit qui se absconderet à calore ejus.

Proficiebatur interim à Cæsaris hostibus in Silesia; illi enim quos Mansfeldius ibi reliquerat, Opelium, Troppaviam, & Iagendorffium Tetschium occupantes, libero transitu se in Vngariam extenderunt. Missi fuerunt adversus illos præter legionem à Dona, & legionem Colredi, & Henrici Hertebii, ac septemdecim turmas equitum, quatuor mille Poloni Cosacci, qui prima velitatione vano timore correpti, scissis turmis evaserunt, Cæsarisque militem in non leve periculum conjecerunt. nam hoste passim totam Silesiam devastante, & jam Nissensi civitati inhiante, vix erat, qui tot illius copiis posset resistere, nisi Saxoniam Dux Silesiq; miseratus, quatuor mille sclopetarios sub Comite Wolfgango Mansfeldio illarum copiarum præfecto submisisset; quorum deinde opera, & Donavii non parum excursiones repressæ sunt: obsidiones tamen ob ingruentem hyemem in proximam æstatem differri debuerunt; nam quamprimum illi Vinarienses, seu Mansfeldici locum aliquem occupabant, taliter eum muniebant aggregata terra ad normam recentissimæ disciplinæ, ut non nisi integro exercitu esset expugnandus. sic munita fuit Troppavia, Leiptsilzium, Iagendorffium, & alia loca, quæ non nisi sequenti anno cum integro exercitu fuerunt expugnata.

Fæliciter in eo erat nonnihil Vngaria, in qua quamvis Cæsaris miles morbo gravatus miserrime viveret, ac non infrequenter turmatim diffugeret; tamen Mansfeldius, & Vinariensis non audebant civitatibus montanis egredi, ne vel in Ducis Fridlandii, vel in Vugarorum manus inciderent. qui duo exercitus distincti Cæsari militantes, si conjunctis animis, & integris viribus hostem oppugnassent, Turcam in conspectu Bethlemi,

*Proficiunt  
Vinari-  
ensis Du-  
cis milites  
in Silesia.*

*Saxoniam  
Ducis  
auxilia.*

*Incommo-  
da Cæsaris  
exercitus in  
Vngaria.*

Bethlemi, & Mansfeldii Constantinopolim usque profligassent. Obsuit itaque non solum militum gravissima contagio, sed diffidium inter Vngaros, & Germanos longe maximum, propter quod Vngari libertari assueti, illiusque amantes, & verentes Turcicum bellum, cui perpetuo deberent subesse, non semel pugnam detrectarunt, comneatum Wallesteiniano militi denegarunt, & si occasio fuisset, Wallesteiniana castra invasissent. è contrario Wallesteinus ne inedia interiret, obvia quæque rapuit, & duritiam Vngarorum nonnunquam castigavit, & ne gravior esset, à Cæsare ex Austria panis, ac vini comneatum secundo navigio impetravit, atque ita diutius inter hostes, infidos amicos, frigora, pluvias, morbos, pericula, & mille incommoditates ad stuporem omnium diutius perfitit.

Verum est, quod similes etiam dissensiones castra hostium detinuerunt, neque enim Mansfeldio bene conveniebat cum Vinariensi, nec illi multum fidebat Bethlemus, multo minus Turcæ, nam quilibet rem suam agens, socio diffidebat. Displicebat Bethlemo, & Mansfeldio, quod Turcæ Vngariæ vim inferbant. Turcis, quod non amplius Transylvaniae dominus ipsis confideret; & utrisque, quod Mansfeldius, ac Vinariensis, non amplius ipsis sincera fide adhereret, imo inter Mansfeldium, & Vinariensem certa diffidentia, instigante Bethlemo (ut ab evocatis liberaretur) exorta; non parvum utrisque metum injiciebat, quæ jam Mansfeldium ad infirmitatem cogeret, & Vinariensem ad omnia minus aptum redderet. illi enim miles conductus difficulter parebat sine stipendio, & rapinarum libertate. quæ duo militi in solo externo à rigidioribus Vngaris non permittebantur. quare nec è civitatibus montanis migrare, nec pugnare volentes ad reditum aspirabant; quem tamen Vinariensis Dux denegabat, nisi à Bethlemo stipendia penderentur. Inter hæc adolescente hyeme Turcæ aliquoties à Comite Zerinio graviter castigati, inter se ipsos à Duce suo dissentientes, incensis aliquot pagis, & abductis captivis elapsi sunt, miles Cæsareus in

*Dissidia  
hostium.*

*Bethlemus  
dicebatur  
causa  
diffidentie.*

*Pax offer-  
tur a Be-  
thlema.*

præsidium Scuttanæ insulæ multis calamitatibus affi-  
ctus deductus est; & Bethlemus in suam Transilva-  
niam recessit. immo tam Mansfeldios, quam Turca-  
pertæsis, pacem exoptans, nequis de mente ejus dubi-  
taret, longe meliores condiciones obtulit, quam nu-  
quam obtulerat. Mansfeldius interim ad turmas Vn-  
garicas curandas delatus, Budæ partim Turcas, par-  
tim milites suos in hæredes impedimentorum scrip-  
sit. in quo pessimo statu salutis ( prout mihi ex Vn-  
garia tunc temporis fuit scriptum ) convenit illum  
Moffi Budensis, qui est ibidem supremus Machumet-  
tanæ sectæ Antistes, & consolatus est eum, deferendo  
illi cartam Turcicis literis scriptam in forma ( prout  
vulgo dicitur ) passaportus ad Machumettum, ut in-  
troduceret illum in Coelum, quamvis non esset Mu-  
sulmanus, ob multa merita ipsius in sectam Machu-  
mettanam. res ridicula, sed certe lacrymabilis pro  
homine Christiano.

*Danus de  
Silesiis  
solicitus.*

Daniæ Rex paulo ante Mansfeldinum, & Vinari-  
ensem etiam consolatus fuerat; scripseratque se co-  
pias suas restaurasse, & novam expeditionem moliri,  
ad quam non parum, ut inquebat, prodesse pote-  
rant Silesiæ, & Vngariæ copiæ, si Cæsar ibidem de-  
tineretur, vinceretur, vel ad iniquas aliquas condi-  
tiones, etiam Saxonicos complectentes, adigeretur.  
Quod de restauratis copiis scripsit, ita fuit; Hollan-  
di enim, Angli, & Galli sub fine ætatis octo mille  
submiserant pedites, ex quibus filius ipsius Regis ex  
Holsatia, & Dania quinque mille transmiserat; qui  
una cum copiis phseudoadministratoris Hallensis sta-  
tim post victoriam conjunctis, exercitum quindecim  
millium efficiebant, cum quo Rex Hoyam oppugna-  
re decreverat. nec hoc difficile erat: nam tribunalum  
Limbachium adhuc in vicinia Neoburgum bene præ-  
fidiatum oppidum retinens, se eidem cum sexcentis  
expeditis conjunxerat. quare decimo quarto die Rex  
oppidum Hoyense expugnavit. ubi non leve pericu-  
lum adiit, sclopeto in sinistro humero peritus. filius  
autem ipsius duobus in locis vulneratus in Holsatiam  
deportari debuit. Obsidere nitebatur etiam tunc Rex  
Ferdam

*Expugna-  
tur Hoy-  
ense ca-  
strum.*

Ferdam cum pluribus adjacentibus locis, quæ ita spe devoraverat, ut videretur adhuc ante hyemem magnam partem ditionis Ferdensis, & Episcopatus Mindensis recuperaturus. verum Tillius quatuor legionibus ex Hassia, jam in hyberna deductis, evocatis; strenuam operam in illo rejiciendo præstitit. quare Rex mox spe sua frustratus, suas copias in Bremensi Archidiecepsi hybernaturas dimisit; & Tillius cum suis Neoburgum obsedit, & Cæsarei Vinariensem ditionem invaserunt, ut illam præfidiis munirent. verum paulo post eo ex Vngaria Ducis cadaver deportatum est.

Graviter illo tempore torquebantur Magdeburgenses Ecclesiastici, inter se summopere divisi in tres, seu quatuor factiones; Catholici quidem paucissimi, sed Lutherani partim, partim ferventiores Calvinistæ & inter hos nonnulli Administratori addicti, alii vero minus illius causæ affecti, optime judicabant illum magna injuria Cæsarem prosequi. quare quo tuti redderentur, celebratis Hallæ Comitibus dudum de ipsius armis contra Cæsarem assumptis deliberarunt, & quia noluit respicere, fidei pseudoarchiepiscopo datæ renuntiarunt; deinde publice ipsius obsequium detraxerunt, & Cæsareos, aut omnino neutros se declararunt. Altera diffidii causa orta fuit, tam inter Canonicos, quam inter Magistratum Ordines, ob sacra Lipsana D. Norberti Archiepiscopi Magdeburgensis, & Ordinis Præmonstratensis fundatoris, quæ inibi anno Domini MCXLV recondita vilipendebantur, atque nunc ab Ordine Præmonstratensi, per Abbatem Pragensis urbis Strohofensem Cæsareis litteris instructum repetebantur. In illarum concessionem non pauci è Senatu, plures è Canonicis consentiebant; nam & Lutherani libenter illis offibus carebant, & Catholici majorem honorem D. Norberto non invidebant. Qui ex plebe rogabantur, nonnulli hæretici oppressionem urbis subsequituram, si talibus offibus privarentur, conjiciebant, illudque adhuc traditione spargi ferebant. sed his inanibus plerique graviores, & iniquiores

*Magdeburgensis  
dissidia.*

*D. Norberti  
Lipsana.*

hæretici ridebant, & potius metuebant, ne ex tali concessione Catholicorum alibi superstitiosa, ut loquebatur, & stulta pietas aueretur; atque ideo scrupulosa ossa ista abscondenda, aut igni tradenda iudicabant. Terrebat omnes (ne hoc agerent) Cæsaris gladius, & in proximo miles, qui sævam vindictam minitabatur, & ni precibus Cæsareis locus daretur, & sacra lipsana integre consignarentur. neque enim (ut bene Magistratus plebejos corripiebat) ad ullum spectabat, leges Catholicis præscribere, quomodo Sanctos suos venerari deberent; solum ad illos spectabat commodo suæ urbis providere, quod per amissionem paucorum officum, sordidæque pellis in pulverem redactæ, nihil peteretur. itaque illa vicit sententia, quæ lipsana tradenda sentiebat. ad sacrum ergo sepulchrum invitatus, & tertio evocatus Abbas, 3 Decembris comparuit; à sordalibus tamen loci, hæreticis prædicantibus inquam, (nam illis monasterium Sanctæ Mariæ, ubi sacratissimæ reliquiæ servabantur, jam pridem cesserat) non libenter admissus est. verebantur enim isti phseudoadministratores minas, quas postea Magistratus civicus in se suscepit. Destinatis igitur duobus, qui adessent, Abbas Strohoviensis, D. Casparus à Questemberg, una cum D. Crispino Fuckio ejusdem Ordinis Præposito Doxanensi, necnon D. Martino Stricerio, & Rudolpho de Sbrojavack militiæ Cæsareæ Hallæ præfecto, assumpto famulatio, ac nonnullis cæmentariis, paucisque admissis, ut curiositati satisfacerent; templum B. Mariæ Virginis ingressi sunt, & altare S. Crucis, sub quo sacrum corpus latebat, demoliri cœperunt, ac in profundo satis loco lapideum sarcophagum invinentes lapide latiore tectum, illumque deponentes sanctissimum corpus repererunt integrum, si situm, & compagem spectemus; quod tamen ubi moveri cœpit, consumptis tendonibus, illico in partes concidit, fueruntque partes ordine debito notatæ, ac super oblongam mensam sacra mappa tectam loco suo depositæ, & postea in similis longitudinis capsam mundissima sindone ornatam collocatæ, bonaque Magistratus venia in Bohemiam delatæ fuerunt, & primo in

*Disceptatio de illorum dimissione.*

*Locus sepultura.*

Monasterio Doxanensi, quod ejusdem Ordinis est celebre virginum cœnobium non procul à Litomeritio, per sex fere menses magna devotione venerata sunt; donec decentissimus locus Pragæ in monasterio montis Sion, & solemnis ornatus sacratissimæ translationi præpararetur, quod suo loco recensēbimus.

Daniæ interim Rex in Holsatia Ordinum Conventum indixerat, satisque exiguam summam tanto bello reliquo impetrarat. quare Legatos suos in Hollandiam, Angliam, & Galliam ablegarat, ut in proximam ætatem subsidia pro instaurando bello decernerentur, videbaturque major spes esse: nam Angli, & Galli recenter convenerant sopitis differentiis ratione Reginae alias exortis. verum minus animose Galli concurrerunt; nam & miles, & pecunia illis in incepto bello necessaria erat. quare Rosen-Krantzium Regis Daniæ Legatum vix non vacuum dimiserunt, propinquius aliquod bellum cupientes. Invenerat illius belli modum Rex Angliæ, qui Marchionem Durlacensem seniore subornaverat, ut Anglicana, & Gallicana pecunia exercitum in Alsatia conscriberet ex Gallis, & Helvetiis, cum quo partes Rheni invadere, & Palatinatum pristino domino asserere tenebatur. conjunxerat sese Marchioni Durlacensi civitas Basileensis, (ubi jam domicilium fixerat) & tympanum pulsaverat; eratque, qui vereretur, ne universi Helvetii tali bello implicarentur. quamobrem Cæsar transmissis in Alsatiam aliquot legionibus peditum, & equitum, Leopoldum illic migrare voluit; & Basileenses mōneri, ne contrarium militem in Alsatia mature conscriberent. propter quæ tale molimen citissime evanuit. majori tamen fundamento Rex Daniæ circa idem tempus copiis in Silesia pecuniam submiserat, illasque instaurari desiderabat, ut Cæsar quammaxime in Ungaria, ac Silesia affligeretur. Hinc subsidium trium legionum clam in Pomerania, & Mechelburgensi ditione detinendum, constituerat cum mille equitibus quod per Brandenburgensem ditionem Silesiæ immitteret, atque Hungaros ad novam seditionem provocaret. Sed huic expeditioni summe oberat

*Cœventus  
Ordinis in  
Holsatia.*

*Durlacensis  
nova  
expeditio  
contra Cæsarem.*

*Silesia  
copia.*

*Cæsaris  
miles in  
ditione  
Branden-  
burgensi.*

oberat præcipitata mors Mansfeldii miserabili modo-  
dum ex Vngaria per Turcarum ditiones in Dalma-  
ciam, Venetias versus contenderet. quam non multo post  
sequuta est mors Ioannis Ernesti Ducis Saxonie Vira-  
riensis inter civitates Montanas expirantis, ac mil-  
item Germanum in Vngaria deserentis. ob quas duo-  
rum Ducum mortes, Cæsari fortunatissimas, miles Vn-  
gariam deseruit, & in Silesiam contendit. oberat eti-  
am Silesiticæ expeditionis subsidiariis, per Mechelbur-  
gensis ditionem submittendis, occupatio fluvii Ha-  
vellenfis, Aldringero, & Duci Lunenburgensi impera-  
ta; ita ut inexpectata occupatio civitatis Havelbergens-  
is, Brandenburgensis, & Francofurtanæ ad Oderam,  
per Cæsarem adulta hyeme maturata, conscriptas co-  
pias impediret, ne in Silesiam percurrerent. Silesiacas  
vero Daniae Regis copias sub diversis Ducibus Car-  
pezzono, Palatino Birckenfeldio, Sbobna, aliisque, in-  
commodabat hyems, & Cæsareus miles etiam ex Vn-  
garia in Silesiam conductus; quamvis etiam illo  
præsente, aliquot loca, ut Kosellam, Heburgum,  
aliaque ob infidam Cæsareanorum custodiam, impe-  
trassent, & sub nivibus plusquam Cæsarei profes-  
sissent.

*Reforma-  
tio in Au-  
stria.*

Annum 1626 claudo cum sæpius desiderata, pro-  
curata & semper impedita reformatione Austriae su-  
perioris, quam Cæsar intermissam, victis jam rusticis,  
atque in carcerem compactis fere septuaginta ex cory-  
pheis, omnino prosequendam duxit. atque ideo sub  
fine anni per ministros Episcopi Passaviensis, aliosque  
destinatos ad restaurandam Catholicam Fidem inde-  
finenter progredi voluit sine aliquo alicujus intuitu.  
quod non difficulter à vicinis reliquis, quorum fere  
octo millia in isto sex mensium tumultu occubuerant,  
impetravit. nam illi postremo bello egregie castigati,  
extenuati, sibi que metuentes, ut gratiam obtinerent;  
nihil non obtulerunt. verum in nobilibus erat difficul-  
tas, pauci enim, aut nulli ex illis huic postremæ seditio-  
ni sese immiscuerant. quare solis plebeis præfectis ali-  
quot, & uno prædicantium, a quo nonnunquam fuerant  
instigati idiotæ, extremo supplicio condemnatis exi-  
stima-

stimabant proceres, se libertatem Religionis conser-  
vaturos. Sed Cæsar aliquandiu quidem rigorem differ-  
re, eumque temperare, nullo tamen modo illum omit-  
tere voluit.

Hyberna militum præsidia nunc in Hassiam, nunc  
in Franconiam ad Rhenum, & fere per universam bel-  
lum jam pertæsam Germaniam deducta cum oppressi-  
one multorum, Electorum, aliorumque Principum a-  
nimos exacerbaverant; ut serio de pace aliquali modo  
constituenda deliberare decreverint. Hinc Electores, &  
Principes fœderis Catholici sibi ipsi diem Herbipoli  
indixerunt, ut opportuno consilio maximis incommo-  
dis occurreretur. In eo primum (prout vulgatum fuit,  
licet certi nihil affirmari potuerit ob secretissima, quæ  
in isto Conventu fuerunt instituta commercia) ventila-  
ta fuit Cæsaris fortuna, & auctoritas nimium potens,  
quæ uni Wallesteinio commissa singulis fere Germani-  
cis provinciis ad nutum imperabat. quod cum omni-  
bus displiceret, tum vel maxime his, qui non nihil si-  
bi, suæque familiæ detrahi existimabant; nec tamen  
omnino huic potestati audebant sese opponere: nam  
non parum res Catholica videbatur promovenda, si  
victoriæ jam obtentæ possent continuari. De modo er-  
go continuationis actum fuit; nec iste omnibus oc-  
currit uniformiter. aliquos enim proprius affectus  
transferebat ad particulare commodum, aliis Comi-  
tia Generalia Imperii placebant, quæ rursus alii judi-  
cabant convocari non posse; cum nec Imperator illa  
postulasset, neque præsens Imperii status illa patere-  
tur, videreturque jam Cæsar plus armis, quam legi-  
bus non ab omnibus admittendis, aut observandis pos-  
se proficere. quare in præfato Conventu Deputatorum  
parum in publicis deliberationibus visum est effectum  
fuisse, nisi quod Legati ad Cæsarem destinati sunt  
Melchernichius Electoris Moguntini, & Curzius Ele-  
ctoris Bavarici Consilarii; qui querelas de militum  
exactionibus, gravaminibus, & corrupta disciplina in-  
stituerent. Præparatorius tamen fuit hic Conventus al-  
terius post aliquot menses Müllhusium evocati, in quo  
Electores personaliter debebant adesse, & Cæsarem ro-  
gare,

Conventus  
deputato-  
rum ab E-  
lectoribus  
Herbipoli.

Discuti-  
untur Co-  
mitia.

Indicitur  
Conventus  
Müllhusii.

gare, ut & ipse suos destinaret, qui de Imperio in com-  
 mune consulere, re vera tamen secreto, & principali-  
 ter, ut potentiam Cæsaris deprimerent, & illorum, alio-  
 rumque Principum Imperii libertas, & privilegia non  
 solum conservarentur, sed auferrentur. contrarium  
 tamen accidit, ut postea dicemus. sed is conventus  
 aliquoties dilatus, non nisi in principio hyemis habi-  
 tus fuit. paulo post hunc conventum Deputatorum  
 Rex Daniæ per Comitum de Oldenburg solemniter  
 condiciones pacis proposuit Cæsari; obtulitque se  
 velle in Daniam retrocedere, si Majestas Cæsarea  
 è diverso, locis omnibus occupatis in inferiori Cir-  
 culo Saxoniae cederet, & pristino statui cuncta resti-  
 tueret, aut saltem illum immunem in omnibus red-  
 deret, servato jure suo, suorumque filiorum ad Epi-  
 scopatus prætenso. hæc ubi obtinere non potuit, se  
 asque controversias Electorum collegio dijudicandas  
 proposuit, cum vero nec ista succederent, & Wallestei-  
 nius illi nomine Cæsaris longe alias condiciones pro-  
 posuisset, quæ solum regnum Danicum ipsi relinque-  
 rent, & eidem totum jus in Imperium abrogarent, ex-  
 pensas restitueret, & perpetuo Episcopatus prætenso  
 cedere juberent, indictis novis sui regni, ditionumque  
 Comitum multo violentius sese ad arma præparavit.

*Pax à Da-  
 no propo-  
 sita.*

*Cōditiones  
 Cæsaris.*

*Palatini  
 consilia  
 Colmaria.*

*Pax Beth-  
 lemiana.*

Palatinus inter illa perpetuo exul infelicitatem su-  
 am metuens de reconciliatione cogitavit, & aliquas  
 condiciones componens, rogavit Ducem Lotharingæ,  
 necnon Ducem Wittenbergensem, ut suas vi-  
 ces in reconciliatione interponerent. dicta igitur fu-  
 it dies Colmaria, ad quam Legati Palatini cum ple-  
 na commissione parendi adesse debebant. verum cum  
 satis diffideret suæ causæ, in tradendis plenipotentia-  
 riis litteris non exigua fuit difficultas, quæ in plures  
 menses extracta fuit; ita ut multi dolo illam adscri-  
 pserint, judicarentque Palatinum tantum voluisse  
 mentionem reconciliationis injicere, atque interim e-  
 ventum Silesiorum militum, necnon pacis Bethlemi-  
 anæ opperiri. Illa primis hebdomadis anni 1627 per  
 Palatinum, & Archiepiscopum Strigoniensem ex par-  
 te Cæsaris, per Miconem Ferentium, & Sigismundum

dum Lomâii ex parte Bethlemi, præmissis induciis paucorum dierum, non ita difficulter coalescebat. nam nec insolètes conditiones præter eas, quas alias obtinuerat, impetrabat. in favorem Cæsaris spondebat Bethlemus, sicut alias sponderat, se nunquam amplius contra Cæsarem arma moturum; Tartari amicitiiis valedicturum; copias dimissurum; civitates montanas restitutum; Mansfeldii copias turmatim dimissurum, ita tamen, ut Cæsaris hostibus non conjungerentur. Ad ipsum Bethlemum etiam spectabat cum Turcis agere, ut Damassum paulo ante occupatum desererent; captivos restituerent; imo ut de novo incolæ omnium locorum ad vitam Bethlemi concessorum, ad juramentum innovandum cogerebantur. Cæsari pariter nonnullorum civium malevolorum castigatio reservabatur, cæteris tamen, qui hinc inde militaverant utrinque indulgebatur; & alia omnia transactionis Nicolsburgensis membra servanda ordinabantur.

*Conditio-  
nes pacis.*

De horum tamen stabili fide etiam tunc, uti semper, dubitatum fuit. imo sub ipsis initiis non valde scrupulose singula à Bethlemo observabantur: mortuo etenim Mansfeldio, & Vinariensi Duce, ipsorum copia præter pacta Cæsaris hostibus additæ sunt; & quod magis fuit, aliquot millia Vngarorum, qui Bethlemo militaverant sub Herbeth Georgio, in Silesiam transferant, cæterisque copiis hostium sese conjunxerant. quare etiam ipsorum auxilio paulo post ingressum in Moraviam arx Steinbergica cum oppido invasa fuit, Regis Daniæ copiis Olmutzium usque grassantibus, atque in dies loca plura, vel oppugnantibus, vel attentantibus. Quod animadvertens Wallesteinius, in ita pace Turcica, integrum exercitum in Silesiam transtulit, singulasque legiones in singulis Principatibus, cum debitis equitum turmis, etiam in vitis Silesiticis Principibus hospitio excipi præcepit, ut primo vere temere ibi consistentes Danicas copias expelleret. Illæ vero è contrario egregie sese ubique munierunt, sperantes, se posse Cæsaris militiæ resistere, si vel ab infido Bethlemo, vel ab exercitu Regis Daniæ Pome-

*Progressus  
Regis in  
Silesia.*

*Exercitus  
Cæsaris in  
Silesiam.*

*Rex Dania urget  
Holfatios  
& Mechelburgi-  
cos ad so-  
cietatem.*

*Hollandorum con-  
silia.*

*Mechel-  
burgenses  
deficiunt.*

Pomeraniam penetrante sperata auxilia obtinerent. In hunc finem Rex celebratis Comitibus in Holfatia, ab Ordinibus bis mille equites, & sex mille pedites obtinens Ducem Megapolitanum una cum tota sua ditione in ipsius obsequium novo sacramento fidelitatis, & societatis, frustra aliter monente Cæsare, adigit. Verum est, Megapolitanum aliquando dubium fuisse, & non infrequenter præfagiisse tum suas ditiones, tum Holfaticas periculum subituras, sed in Suecia Rege omnem spem collocans, aliquot naves bellicas ad Wisnariensem portum custodiendum petierat, & illius præsidia libenter intromiserat. Hollandi eodem tempore Legatos ad eundem Regem Daniae miserunt, ut pro re male gesta aliter res sui exercitus ordinaret, assumptis Hollandorum aliquot militiae præfectis, & Anglorum, Scotorum, Hollandorumque copiis, ac præcipue consiliariis, sine quibus vix putabant possessionem suam restituere. Inter alia consilia illorum mentum erat, ut Rex solum bellum defensivum gereret, & portibus suis, arcibusque securus, Cæsaris militem inopia stipendii laborantem, ac proprias provincias destruentem consumeret. cui consilio acquiescebant Ordines Holfatiae, qui recenter loca suae ditionis munierant, & jam præsidia ibidem detinenda præpararant, viritum pro conservatione suarum fortunarum pugnaturi. Verum Rex impatientissimus post habita Comitibus, Copenhagæ in Dania, & in Slesvicia, rursus Kilæ in inferiori Holfatia, & Rensburgi in superiori Conventionum agere voluit. cognitaque tanta suorum liberalitate, fines suos egredi; Lauvemburgum etiam invito Duce propugnare, omnia loca ad Albim usque invadere; & Mechelburgensem suis armis unire satagit. quare populi illi miserrimi, quamvis alias Henrico Hufano Cæsaris Consiliario, & Legato pluries, per suos Marescalcos Rostocchii congregatos significassent, se omnia obedientiae, subjectionis, & fidelitatis officia S. Cæs. Majestati deferre: nihilominus turbulentis consiliis, & persuasionibus Regis cesserunt; Cæsaremque suis contributionibus, subsidiis, adversariisque auxiliis opugnarunt: miro certe Dei iudicio, ut populi

populi Aquilonares qui alioquin nunquam ad fidem<sup>cc</sup>  
 Catholicam pervenisent, profundius sese rebellioni<sup>cc</sup>  
 immergerent, atque ita Cæsari occasionem expugna-<sup>cc</sup>  
 tionis, ac reparandæ Religionis præberent. Sic aliàs  
 fecerunt Bohemi, qui si initio regiminis S. Majestatis  
 sese composuissent; omnia sua privilegia, etiam quæ  
 secundum litteras Majestatis Religionem involvebant,  
 confirmata habuissent; at postea vi ad officium perdu-  
 cti non nisi parere imperanti debuerunt. quorum qui-  
 dem reformatio in hunc usque annum sæpius tentata,  
 & fere singulis annis per internum, aut externum mi-  
 litem, præsensque periculum impedita suspensa fuit;  
 quam tamen etiam tunc fere Silesiaticæ turbæ præpe-  
 divissent; nisi Cæsaris exercitus potentissimus sibi cer-  
 tam victoriam promisisset, & reductionis Silesiæ, sicut  
 & Bohemiæ spem iniecisset. quare postquam totis sex  
 annis, quibus Bohemia fuit recuperata, diversæ fuif-  
 sent adhibitæ ad instaurandam Catholicam religionem  
 normæ; tandem Cæsar pio zelo ad repurgationem re-  
 gni videns se apud duos Bohemos parum proficere,  
 multo minus loci Ordinarium, aliosque Ecclesiasticos  
 exhortationibus, obsecrationibus, increpationibus ef-  
 fecisse; illos ad Religionem fortiori manu (utpote  
 quia jurisdictio Ecclesiastica non erat sufficiens contra<sup>cc</sup>  
 potentiam, & violentiam hæreticorum) compellendos  
 duxit, atque ideo præter Eminentissimum Cardinalem  
 Ernestum ab Harrach civitatis Pragensis, totiusque re-<sup>cc</sup>  
 gni Archiepiscopum, etiam Iaroslaum Borzitam Co-<sup>cc</sup>  
 mitem de Martinitz supremum Provinciale Camerarium,  
 Fredericum de Tallemberg supremum Pro-  
 vinciale judicem, & Christophorum Vratillaum su-  
 premum regni Scribam in Commissarios Cæsareos, &  
 sæculares reformatores regni Bohemiæ delegit, illisque  
 mandavit, ut omni cura in omnibus provinciis hære-  
 ditarii regni Bohemiæ solam salvificam Religionem  
 Catholicam toleratam in pristinum statum restitui, &  
 subditos omnes ad rectam viam reduci curarent, ut  
 ab injectis multiplicibus erroribus regnum expurgare-  
 tur, & sub uno Rege, Lege, & Deo uno, majori pace,  
 quam hactenus, posset gubernari.

T

Itaque

Reformatio  
BohemiæReformatio  
Commissarii

*Clementia  
Cæsaris.*

Itaque statutum fuit, ut ante omnia Cardinalis  
cæterique ad tantum opus designati ex Clero indifere-  
minatim cujuscunque ordinis optimos; doctissimos  
& prudentissimos Theologos seligerent, in concio-  
nibus, & controversiis à Catholicis hæcenus  
probatos, per quos in singulis districtibus Bohemæ  
incolæ præcipuè in celebrioribus oppidis, ac pagis,  
aliquot exhortationibus in Fide Catholica instrue-  
rentur; quorum etiam opera dubii in fide, solutis ar-  
gumentorum remoris, edocerentur, atque ex super-  
abundanti doctrina paternè ad reducendos in viam sa-  
lutis monerentur. deinde præfatos deputatos, assum-  
pto idoneo Secretario per hebdomadas aliquoties con-  
venire, decretum fuit, certo in loco, tempore, ac nor-  
ma, sacrum dicasterium, seu tribunal formando, ad  
quos evocari possent, & deberent toties, quoties vic-  
norum locorum Magistratus cum suis subditis, Paro-  
chis, Ecclesiasticis, ac secularibus, quibus erat ab illi-  
dem designatis reformatibus serio mens Cæsarea ex-  
plicanda; mandandumque omnibus, & singulis, ut  
statim in Sac. Cæs. Majestatis, illiusque Tribunalis  
subdelegatos Commissarios, instructores, & Officiales  
reciperent, cum opportuna exhortatione, ut quilibet è  
Magistratu, & è subditis primo intuitu Dei, & secu-  
do auctoritatis Cæsareæ, & proprii commodi, ex tali  
obedientia evidentissimè redundantis, morem gereret  
Cæsareis mandatis, & suggereret, quousque, quoque  
loco reformationis opus deductum fuisset; quæque im-  
pedimenta obstare, vel obstitura in posterum videren-  
tur, quæ omnia à Parocho, vel à senioribus erant com-  
modè percipienda.

*Pæna ino-  
bedientiæ.*

Inobedientes, malignè mutos, & subdolos blatero-  
nes, aut obstinatos debebant designati Reformatores,  
prudenter pensata qualitate personæ, ac insolentiæ, ca-  
stigare, certumque tempus, & terminum iisdem præ-  
scribere, intra quem idiotæ ulteriorem informationem  
perciperent, & nomen suum inter Catholicos darent;  
ita tamen ut non æqualem omnibus, neque uniusmodi  
ubique præfigerent. Iubebantur deinde reformatores  
singulorum locorum media, ac remedia malorum no-  
tare,

tare, parochis de competenti sustentatione providere, & aliquos instructores in locis præcipuis relinquere, ac locorum superiores diligenter monere, ut instructoribus in omnibus, & per omnia assisterent, subditos debito more severe compellerent, eosque acrioribus comminationibus ad suscipiendam doctrinam perducerent. Præterea præcipiebatur iisdem designatis Reformatoribus, ut de loco ad locum procederent, si rem semel in uno districtu absolvissent. Ne autem debita auctoritate destituerentur, quo minus reformationis opus promoveri posset, Cæsar sæpe memoratis Commissariis in temporalibus plenariam potestatem tradidit, ut in quolibet districtu unum, vel plures subdelegatos possent instituere; quibus, uti & instructoribus, præcipuè incumberet, singulis mensibus, principalibus Reformatoribus relationem profectus ordine suo recensere, quæve remoræ occurrerent; quam relationem ipsi Reformatores Cæsari facere tenebantur, una cum voti sui declaratione, quo tutius, & quanto citius posset incommodis successum præpedientibus obviari.

Potestas  
Commissa-  
riorum.

Termini prolongationis in sola Cardinalis eum designatis Reformatoribus voluntate relinquebantur; ita tamen, ut si illo termino elapso conversio ad Religionem minimè subsequeretur; pertinaces citarentur, & punirentur: in errore vero ex hac vita decedentes ecclesiastica sepultura privarentur, aliisque pœnis mulctarentur; omninò inobedientes per submissionem militum arctarentur: quibus nihilominus modestia imperata fuit, ne tumultus excitaretur.

Prolonga-  
tiones ter-  
minorum

Quoniam vero ad Cæsarem relatum fuit, esse in regno nobiles, & Barones, qui post migrationem prædicantium, iisdem, aliisque seductoribus, sub specie, quod eorum opera in aliis officiis foret necessaria, uterentur, ac penes se retinerent; à quibus deinde rustici idiotæ ab uno in alium errorem perducebantur, aut ad rebellionem, seditionem, inobedientiam, aliisque facinora concitabantur: ideo Sua Majestas mādavit, ut diligēs ubiq; , præcipue apud suspectos, haberentur perquisitio, & si tales alicubi reperirentur, ut statim

Clancula-  
rii sedu-  
ctores.

nobiles, vel Barones ad illos dimittendos sub pœna amissionis feudi, deinde sub mulcta, & proscriptione partis, vel omnium suorum bonorum cogentur. Quod si ne id quidem proficeret, Suam Majestatem monere jubebantur, ut executio statutæ pœnæ potuisset in effectum deduci. Quoad cives cujusque civitatis mandabatur, ut si post sufficientem instructionem aliqui se pertinaciores monstrarent, ex quo scandalum oriturum esset, illi statim urbibus ablegarentur; quietiores verò, præsertim si liberos, ac necessarios suos ad Religionem Catholicam erudiri paterentur, aliquantotum diutius tolerandi judicabantur, ut post longiorem conversionis terminum concessum, etiam ipsos pœniteret. Obedientibus incolis cujuscunque tandem civitatis si Religionem Catholicam amplecti vellent, Cæsar ex singulari clementia omnis præteritæ, perniciosæque rebellionis crimen indulgebat, actio cognitoris Regii contra privatos cives ad Catholicam Religionem conversos ratione mulctæ abolebatur; & civitatibus, seu oppidis bona antea possessa, nisi fuissent in alios distracta, restituenda erant. Nobilium, ac Baronum subditi, sive illi in civitatibus degerent, sive in pagis, si post adhibitam instructionem in pertinacia perseverarent, à suis dominis per licita media compulsiva ad Catholicam Religionem erant perducendi, & eorum liberi in eadem Religione educandi; sin minus, nullo habito discrimine, tam contra illos, quam contra alios, debebat paulatim, modestius tamen, procedi.

Ne autem deesset, qui parvulis petentibus panem frangerent, Reformatorem curæ relinquebatur, ut ubique ludimagistri, vel saltem ecclesiarum scribæ Catholici alerentur, pueri etiam à Parochis Catholicis catechismum edocerentur. si qui forent apud parentes hæreticos, & resistentes, poterant pueri ab ipsis avelli, ac ex paratioribus facultatibus in schola Catholica educari. & quia curatores pupillorum dominiis ac bonis passim præpositi in suspensionem devenerant, quasi & ipsi subditos seducerent, & propagationem Religionis præpedirent: Cæsar eos missos fieri decernebat,

eorum.

*Pœna inobedientia civium.*

*Beneficia pœnitentium.*

*Præfetti curatores, ac officiales.*

eorumque loco Catholicos subrogari, tantum ea mora concessa, quæ ad provisionem aliorum Officialium sufficeret. Eadem ratione agi debebat cum iis, qui sub nullo statu comprehendebantur, erantque liberi, censuarii, emphyteutæ, & prædia libera possidentes, quibus jus civicum hac in re commune mandabatur observandum.

Cætera omnia, quæ ad sepulturam hæreticorum, copulationes matrimoniales, publicarum precum indiCTIONem, jejuniorum consuetam observantiam, librorum hæreticorum abolitionem, & aliarum ecclesiasticarum rerum curam attinebant, juxta Canones, & Apostolicas sanctiones, uti sacra, Archiepiscopali curæ relinquebantur; habita tamen consideratione, ne nimia exactio fieret ob necessarias sepulturas, vel librorum etiam bonorum ablationem, malorumque cremationem, neve ob præcipitatum violentiam peccaretur. Pariter Cæsaris pietas in Ecclesiasticorum moribus nihil præcipiebat; sed solum Eminentissimum Cardinalem memorem reddebat, quod in vita exemplari ecclesiasticorum haud parum positum foret, & quanta cura in illud deberet ab omnibus vigilari, ut illi tam pietate, quam timore Dei, & exteriori vitæ, conversationisque habitu, modestia, honestate, & vitæ emendatione omnibus præirent, ne potius divino cultui inde obstaculum poneretur.

Similem reformationis modum Cæsar eodem mensis Carniolis imperavit, ibidemque loco sui in iis quæ secularem potestatem requirerent, Thomam Episcopum Lubianensem, Doctorem Barbo, & Octavium Pavicerellium ordinavit, qui omnino eandem normam, quam ante biennium Carinthiis præscripserat, observarent; hoc addito, ut loco Latrunculæ tam in Stiria, quam in Carinthia, & Carniola, militum aliquis Dux ordinaretur; qui si aliquoties monitos prædicantes hæreticos deprehenderet, eosdem quasi seditiosos, exploratores, & sceleratos ad primam arborem absque longiore mora affigeret, laqueoque absque remissione tam obstinatum scelus castigaret. His tam acribus edictis paulatim effectum fuit, ut in provinciis

*Sacra re-  
linquuntur  
Archiepi-  
scopo.*

*Reforma-  
tio in Car-  
niola.*

*Pœna præ-  
dicantium*

istis Stiria, Carinthia & Carniola nullus amplius infectus hæresi reperiretur, nisi qui ex vicina Vngaria edilabebantur; quare & ipsis, quo in posterum tanto malo caveretur, omne commercium interdictum fuit cum Carinthis; aut si vicinis commercium necessarium videretur, ut saltem nulli ad habitationem admitterentur, nisi sincerè, & feridè Catholici; quod magistratibus sub gravissimis pœnis jussum fuit. commercia verò sine scandalo, malo exemplo, aut impietate, modestissima tantum, & vix toleranda erant.

*Reformatio superioris Austriæ.*

*Decreta contra nobiles.*

*Preces nobilium.*

Post hæc in superiorem Austriam conversa cura Cæsaris feridè omnes præfectos, scribas, vicepræfectos, & ditionis ministros ad Catholicam Religionem perducere voluit, aut quantocius resistentes dimitti; cum constaret, ex eorum pravo exemplo miseram plebeculam traduci, atque frequentissime corrumpi. Verum cum hi ad nobiles confugissent, illorum patrociniò tutos sese arbitantes, Cæsar majori zelo, suoque grandi malo frequentissimæ seditionis, plerumque ab hæresi originem ducentis, edoctus; transmissis Commissariis Antonino Abbate Kremphaniensi, & Georgio Teufelio, arcani Consilii Consiliarjis; nobiles etiam, & Barones Catholicæ Religionis nomen præbere, aut solo valedicere præcepit: hac tamen moderatione, ut pertinaces intra terminum trium mensium proximorum, nisi resipiscerent, omnino abscedere cogentur: qui verò spem facerent, illi quidem abscederent, fortunas suas Catholicis præfectis vendendas permetterent, & infra anni spatium venderent. Austriacis tamen superioribus, qui in inferiori Austria fortunas aliquas habebant, concedebatur ejusdem Austriæ inferioris habitatio sine aliquo exercitio suæ sectæ, modo illud suis inobediens non demerentur, vel novas seditiones non molirentur. Hoc decretum Cæsaris multos commovit proceres, qui innocentia suæ tuti, longiorem Cæsaris tolerantiam sperabant, & supplices deprecabantur, ut diutius indulgeret Religioni à majoribus per quinquaginta, & amplius annos

annos tolerata. verum Cæsar recensitis majorum omnium molestiis, periculis, seditionibus toties per Lutheranae Religioni addictos, maximo vicinorum Principum, universi Imperii, & totius Christianitatis damno, nihil à priori sententia decessit, nisi quod terminum unum iis, qui promptæ fuerant voluntatis, remiserit, atque interim cum plebeis rigorose procedi voluerit. Austria superior in quatuor partes divisa, quarum una adhuc præsentibus supranominatis Cæsareæ Majestatis delegatis veniam summo dolore, præmissaque pœnitentia postulans, eandem impetravit, pauci verò ex reis Lintzii securi percussi sunt, duo in furcam acti, & unus post supplicium igne absumptus fuit.

In Bohemia inceperant delegati restaurationem Religionis: primò cum Pragenisibus, neque omnino illud sine fructu fiebat; licet non is succederet, qui expectabatur, de instructione enim nemo poterat conqueri; nam ad libitum regularis, aut sæcularis Sacerdos concedebatur, qui horas, & dies infumeret. sed notatum fuit, illam non desiderari, neque valde appetiari. magis movebantur cives honestiores exilio, quod incommoditatem non unam adducebat. nam durum erat sua deserere, durius suos, durissimum ad ingratos hospites proficisci. hinc non pauci movebantur initio facto à præcipuis, & maximè à prædictis, ad quorū exemplum multi rigidiores alioquin convertebantur, quos præcedere pudebat. ceteri clausis officinis, & commerciorum usu interdicto, tempus extrahebant, & nonnunquam pauci aliqui Catholicis accedebant. Mirum certè fuit, tam parum fructus post tot labores, curas, & molestias Archiepiscopi, cæterorumque Delegatorum successisse. multi tunc tarditatem obstinationi Calvinistarum adscripserunt, quæ causa quamvis verissima, tamen sola non sufficiebat, nam & Hussitæ Calvini doctrinam ejurantes tergiversabantur; & Lutherani non minus à conversione abhorrebant. Hussitas, & Lutheranos lætabat spes felicioris successus exercitus Regis Daniæ, Ducis, & Electoris Saxonie nova intercessio. sed & has spes eludit victoria

*Cives Pragenses duri in Religione.*

*Exilium molestum.*

*Causa obstinationis.*

victoria Wallesteinii sequuta. Alii vero in nobilitatem adhuc decretorum rigore non comprehensam culpas conjecerunt, sed horum adhuc coactionem Cæsar aliquandiu deliberationi subjecit, licet in aliud tempus differre coactus sit.

*Turcarum  
modestia.*

Interim ad prima veris signa undique miles erumperebat ex hybernis, magna Cæsarum felicitate, eo quod post pactam cum Berhleino pacem, Turcarum Imperator suos sub gravi indignationis pœna recedere iussisset, nulla amplius Christianis illata injuria; imò commisionem transmissa Purpurato Budensi, ut interruptum pacis Cæsareæ ordinem prosequeretur. nam copiosissimum exercitum in Persarum Regem sub Imperio Principis Purpuratorum educere constituerat, ut Babyloniam antea actis annis deperditam recuperaret. cui expeditioni tum plures Christiani Cæsaris hostes, tum Ottomânici proceres, potius in vicinam Christianitatem, quam in longe distitam, & fere desertam Asiaticam signa proferre gestientes sese opposuerunt. Imperator tamen Murathus singulariter à Deo instigatus illam probavit, & Christianis parcendum duxit. quod nonnulli Calillo Purpurato, Christianis magis affecto, deberi affirmarunt. Poterat itaque securè Cæsar copias omnes in alios hostes ducere, quæ quondam in Vngaria, & Austria militaverant, prout fecit in Danos, Silesiam occupantes; contra quos præter octo legiones sub finem Martii transmisit turmas equitum Comitis de Montecuculi, legionem Preuneri, & Ducis Holfatiæ, quas postea subsequutus est Wallesteinus ipse sub fine Aprilis, cum prius Pechmannus copiarum Dux de Vratislavia advolans, Nissiam ab invasione liberasset; aliique Duces Oppaviam, & Briegam, immisso Cæsaris præsidio, servassent. Opportunè ante bellorum initia ob Iubileum ubique publicatum preces inter Catholicos habitæ sunt solemnibus supplicationibus, jejuniis, & eleemosynis fidelium, ac frequentationibus ecclesiarum, saltem in tota Austria, præcedentibus. Quas preces imitari gestiens Rex Daniæ sub initium anni, ut victoriam à Deo præpotente impetraret, præter singularem militibus

*Cæsaris copia in Silesiam.*

*Preces Catholicorum.*

*Preces hereticorum.*

litibus præscriptam modestiam ; jejuniorum , concio-  
num , & precum habendarum tempus indixit, tanto  
rigore, ac frequentia, ut etiam singularum copiarum  
Duces, præfectos, & ductores in omnibus locis, vil-  
lis, & oppidis hora decima antemeridiana in templo  
preces, & orationes habere voluerit ; imo omnes ho-  
mines, & jumenta à labore, potu etiam , & cibo ad  
horam usque vespertinam certis diebus abstinere præ-  
ceperit.

Brutales hæc preces risum moverunt Catholicis, qui  
tamen ne ab hæreticis superarentur, paulo post Pra-  
gæ, translationem D. Norberti magna solemnitate  
celebrarunt. Statuta etenim die Reverend. D. Ab-  
bas Strohosiensis unà cum Præposito Doxanensi, apud  
quem totis quinque mensibus, dum hæc pompa ador-  
naretur, & Religiosi Ordinis Præmonstratensis convo-  
carentur, prout diximus, quieverant, cisio vecti, quod  
à sex equis candidissimis, phaleris etiam ejusdem nito-  
ris trahebatur, quasi triumphatores urbem Pragensem  
ingressi sunt, subsequenter duabus turmis cataphra-  
ctorum cum turmis aliquot armatorum civium. Quos  
exceperunt ad portam Viennensem multi viri eque-  
stris Ordinis cum Cæsareis Legatis, & Clero totius  
urbis sanctas reliquias gestante: eosque deduxerunt ad  
ecclesiam Teinensem, ubi reliqua pars diei, & tota nox  
psalmodiis sacris vicissim à Religiosis cantatis consum-  
pta fuit.

Postero die rursus Clerus, & populus in eadem æ-  
de solemne Sacrificium obtulerunt, atque insigni or-  
dine sacras reliquias ad monasterium Ordinis Præ-  
monstratensis magna devotione deportarunt. Præce-  
debant agmen pueri nitidissime exculti, partim S.  
Norbertum, partim vero S. Gereonem, & Vrsulam  
repræsentantes. sequebatur Clerus totus, omnium  
monasteriorum Religiosi, Parochi, ac Canonici cereis  
ardentibus instructi. pene illos Patres monasterii Stro-  
hosiensis, & Religiosi Præmonstratenses ex universa  
fere Europa. illos præcedebant 19 vexilla insigniis  
condecorata. primum locum obtinebat signum urbis  
veteris Pragensis, secundum monasterii in Strohoff,

T s

&amp; Bruck

*Translatio  
Sancti  
Norberti  
Praga.*

& Bruck Theiam, urbis Colonienſis, urbis Antropienſis, Comitum Nagarolæ, Baronis à Tallemburg, Baronis à Furſtenberg, urbis Magdeburgenſis, Comitum Slavata, Comitum Smetſanski, ſupremi Brandenburgii, D. Cardinalis à Dietrichſtain, D. Cardinalis ab Harrach. clauderat agmen vexillorum, Caſarum ac Regiæ Majeſtatis ſignum Prætorium. ſubſequebantur 12 Prælati Ordinis Cifterciënſis. Arcam veropſam, in qua reliquiæ recondabantur, 14 Prælati inſtituti Ordinis Præmonſtratenſis detulerunt, ſubſequentibus Archiepiſcopo, & aliis quàm plurimis Prælatiſ, ac principibus viris illuſtribus cum cereis ardentibus. arcus triumphales à devotis erecti fuerunt; ſparſa aurea, & argentea pecunia; veſtiti nudi aliquot, & integra plantæ vini, ac cerviſiæ in pauperes magna liberalitate effuſæ ſunt. Per octo dies à ſingulis Ordinum Mendicantium Religioſis reliquiæ viſitatae ſunt, cantato Sacro, & concione habita, tanta populi per integrum octiduum frequentia, ut nihil celeberrimi, pietati, & reliquiæ cultui ſuperaddi potuerit.

Habet Ordo Præmonſtratenſis in Bohemia quatuor celeberrima Cœnobia, duo Monachorum, quibus Abbates præſident, & duo virginum Præpoſituris decorata. monaſterium montis Sion inter illa eminentiſſimum palatii Regium, omnino Regale, ſive diſciplinam, ſive ſtructuram, ſive redditus, ſive functiones, & officia ſpectemus. Alterum virorum eſt Teplene cœnobium in altiffima Bohemiæ parte ſitum, & fundatum à B. Hrozanto Ottogari Regis Bohemiæ fratre, qui accepta voti Hieroſolymitani commutatione in erectionem monaſterii Præmonſtratenſis, patrimonium ſuum impendit, aſſignatis monaſterio XXVII pagis, aliquot oppidis, in quæ ſummum jus habet Abbas. præterea idem monaſterium habet duas fodinas, unam argenti, alteram lapidum pretioſorum, ex quibus non modica utilitas illi ſolet obvenire. Ab eodem Hrozanto fundatum fuit & alterum cœnobium virginum, ſexto ab inde lapide, Hoſteſlaviënſe, quadraginta circiter habens pagos, & duo oppida ſui juris. ſtricta ibidem eſt obſervantia, & non exiguum Ordinis incrementum. Quartum eſt mona-

monasterium Doxanense, cujus hic mentionem fecimus ex fundatione Geltrudis conjugis Wladislai Regis, amplissimis etiam redditibus dotatum, & optima disciplina instructum. Multa monasteria in Vngaria interierunt; ex solo Ordine Præmonstratensium fuere quondam viginti sex in diocesi Vvaradinensi, Strigoniensi, Iavarinensi, Vesprimiensi, Quinqueecclesiensi, Waciensi, Agriensi, Colocensi, & Sagabriensi. Sed redeamus ad Regem Daniae, qui interim, celebratis undique Comitibus hæreditariarum provinciarum, recepitque magno applausu promissis Hollandorum, Anglorum, Gallorum, Suecorum, aliorumque pro restaurando exercitu, & reparanda tam sua, quam Palatini fortuna, annonam undiq; præcipuè apud Hamburgum preparari iussit; pontes etiam, quibus ad libitum Albim transmitteret; instrui, & subditos omnes novo juramento adstringi voluit.

His præmissis copias suas in inferiori Saxoniam, quæ 10000 equitum, & 24000 peditum numerum æquabant; eductas diversis in locis in stationibus collocavit, & in Archiepiscopatus Bremensis locis distribuit, excitatis duobus munimentis ad Achemium, stratoque ponte Visurgi, ut inde hoc anno pugnare velle videretur, relictis aliquantisper copiis, quæ trans Albim in ditione Mechelburgensi excubabant. ed etiam suos convocaverat Tillius, auctus copiis recenter per Hassiam ex partibus Austriæ descendentibus; cum quibus non solum Regem Daniae in suis munimentis continuit, ne ullo modo insolenter erumperet: verum etiam Northeimium obsedit. quam tamen civitatem oppugnare noluit, donec liberaliores copiae ex Bavaria, quæ in Austrios defervierant, advenissent. expectabatur enim, eratque in proximo Pappenheimius cum 6000, tribunus Cortenburgius cum mille equitibus, & mille trecentis peditibus tribunus Schelroth, & Cratzius cum sex millibus, qui omnes plenum exercitum quindecim millium efficiebant; cum quo Tillius nihil non ausurus erat contra eos, qui Northeimium comineatu instruere, atque obsidionem solvere tentassent. verum est, Hallensem Pseudoarchiepiscopum cum

*Rex Daniae in Bremaensi ditione.*

*Augetur Tillii exercitus.*

cum tribus legionibus ex Mechelburgensi, & maritimis regionibus erumpentem circa idem tempus in Havelbergensibus incommodasse, illiusque ecclesiam Cathedralē, uti & Pellinum occupasse satis ingenti clade Cæsareanorum, quam resarcire studebat cum Altringero tribunus Cerbonus, Dux Georgius Luneburgicus, & plures alii tribuni Cæsaris, quos qua intermedia, & excitata tumultuariæ munitiuncula non parum præpediebant.

*Cæsaris  
exercitus  
ad Havel-  
bergam.*

*Cæsaris  
exercitus  
in Silesia.*

In Silesia interim ad accessum Wallesteinii Regni Daniæ copiam deserto Teschiosorauno, & Plessio, magis vires suas contrahentes, militem in munimentis Kosellam, Iagendorfium, & Troppaviam disposuerunt. Wallesteinus vero Lischbitzium cum exercitu contendit, illumque locum novis operibus munitum obsedit. nec multo post dejectis mœnibus impetum militibus imperavit, infœlici omnino successu; nam ob lubricitatem soli, neque mœnia scandere, neque in pedes consistere poterant. quare amissis quingentis recedere coactus est. Postera tamen die oppidum impetratis conditionibus se dedit; & milites omnes sub tribus signis peditum cum una cohorte equitum Cæsaris obsequio se submisere. cives vero, consignatis armis ad armamentarium, domum remissi, magistratum suum, & paucos milites Cæsaris subditos, uti rebelles, custodiæ tradiderunt. Inde festinanter Wallesteinus copias suas Iagendorfium versus deducens, eodem modo oppidum expugnavit, facta primis diebus acie tormentorum explosione, ut pleræque turres trepidantibus similes ruinam minitarentur. quo spectaculo commoti præsidarii deditiōnis conditiones proposuerunt, easque non nisi viles satis impetrarunt, singulari tamen Generalis Præfecti gratia (cum prius solis bacillis armati migrare iussi fuissent,) gladio accincti recesserunt, & postea plures Cæsaris obsequio sese submiserunt.

*Iagendor-  
fium expu-  
gnatur.*

*Troppavia  
obsidetur.*

Majoris molis erat obsessio Troppaviensis, quam immediate post superatum Iagendorfium Wallesteinus aggressus est, missis prius sex mille sclopetariis in Ducatum Grossensem, qui irrumpentes Danos præpedirent,

rent, vel fugientes Silesiaticos continerent. Troppavium, magna & munita civitas Silesiæ, bis mille præfidiarios habebat pedites, & sexcentos equites, qui frequenter erumpentes, non exiguum periculum Cæsareo exercitui injiciebant.

Erat tormentorum explosio frustranea; nam vallo, & propugnaculis munitum oppidum parum globorum ictus curabat. quare fame, aut desperatione expugnari debebat. Cum itaque obsidio protraheretur, *Kossella* Wallesteinus Kossellam submiserat, qui ibidem præfidiariorum animos pertentaret. Hunc locum defendebat Carpenfonius, magni nominis aliquando militum præfectus; sed ad Wallesteinii accessum post aliquot dies loco cessit, cum conditionibus, ut liceret cum omnibus aliis militum præfectis, concionatoribus, ministris, & impedimentis omnibus ad Regem Daniæ se recipere, & ne milites cogerentur ad Cæsaris obsequium: qui vice versa jurarunt se spatio sex mensium contra Majestatem Suam Cæsaream non militaturos. Exinde in ditionem Mechelburgensem recessere.

*Conditio-  
nes pacis.*

Inopinatus fuit omnibus rei eventus, cum arx potuisset experiri multorum mensium obsidionem, tam ob situm loci fortissimum propter paludes, & flumen, & nova munimenta à Mansfeldianis circumcirca exstructa, quam quia illam poterant defendere sex mille pedites, cum exercitatissimo duce, qui aderat; & ter mille equites, quorum tamen duo millia, & quingenti prima die obsidionis fugerunt versus Vngariam. Miraculi loco rem habuit Imperator, nam ut mihi postea retulit, attribuit S. M. hanc gratiam cuidam decreto circa reformationem Religionis Austriæ, & Stiriaë, factò à S. M. in secreto consilio, illo eodem die, quo arx se dedit. ex quo mihi non defuit tunc occasio suggerendi, esse bonum politicum Imperii, extirpationem hæresum, non habito quocunque humano respectu, prout multoties S. M. experta fuerat: & quia semen cecidit in terram bonam, statim fixit radices.

Erant in ditione ad Havelbergam tunc maxime, & fre-

*Cæsaris copia ad Havelbergam.*

frequentissimæ velitationes, in quibus nunc Cæsaris nunc Regis Daniæ copiam succumbebant, plerumque tamen deteriori sorte Cæsareanorum, qui & numerum militum, & loco inter hostes, superabantur, visumque fuerat nonnunquam de illorum fortuna ibidem proclamatum, præcipuè quando Regis Daniæ aliquot Scotorum millia, & novus exercitus sub Comite seniore Turnio, & seniore Marchione Durlacensi ex Hollandia in Holsatiam, & postea triginta navigiis in Mechelburgensem ditionem deducta adven- runt, Cæsareis tunc pertinaciter sua munimenta defendentibus; & auxilia invocantibus.

*Troppavia deditio- nis conditiones accipit.*

Interim in Silesia res feliciter cesserunt. nam Troppavia fortiter per viginti dies defensa, post destructas quadraginta domos ignitis globis, & consternatos ci- ves, accedente annonæ, & aquæ penuria, sese arbitrio obsidentium permisit, & deditio- nis conditiones acce- pit. Tunc fere omnes copiam Regis Daniæ sub ductu Baudisii ad quatuor mille equites, Vngariam versus percurrentes, oclusis aditibus, & insequente illos equitatu Wallesteinii, cum aliquot millibus sclopetariis, partim in equos assumptis, partim in insidias dispositis, relicta Vngaria, versus Poloniam signa vertere coacti sunt.

*Reformatio in Bohemia continuatur.*

Cæsari feliciter cedentibus rebus Silesiacis, ad insta- urandam disciplinam utriusque fori in Bohemia animus serius adjecit. quare postquam paulo ante novas regni leges publicasset, quibus temporale illius dominium optime posset consisti, & à seditionibus deinceps liberari; etiam de sacris, & maxime de propa- ganda Fide sollicitus, intellecta remora, quæ à nonnullis, imo ab omnibus fere regni Baronibus Lutheranis injiciebatur subditorum conversioni; præhabita matura deliberatione, cui interfui, magno animo omnes, etiam ipsos Barones ad Catholi- cam Religionem assumendam compellere decrevit; ita ut ordinatis certis terminis, omnes, aut gratis migrarent è regno, aut Fidei Catholicæ nomen da- rent. Quod decretum quamvis nonnullis rigorosum videretur, eo quod aliter educati, vel parum, vel nihil

nihil de Religione audivissent, vel ex eo, quod sine rebellione in Cæsaris obsequio continua summaque constantia perstitissent, nihilominus pensatis Cæsaris rationibus, majorumque exemplis, nemini valde iniquum visum est, quamvis aliam Religionem profiteretur. nam certo omnibus constabat, si victoria penes Bohemos fuisset, non tamdiu Catholici fuissent tolerati. Ut autem discretio, tolerantia, & prudentia Suæ majestatis omnibus innotescat, libet ipsum tam proficuum decretum hic de verbo ad verbum inferere.

Nos Ferdinandus II, Dei gratia Electus Romanus Imperator, &c. Omnibus, & singulis nostris subditis, & incolis ex omnibus quatuor Ordinibus hæreditarii nostri regni Bohemiæ salutem dicimus. Dilecti, & fideles, notum est, & fatentur omnes, hæreditarium nostrum regnum Bohemiæ nunquam magis floruisse, & Deum propitiorem expertum esse, quam tempore Caroli I V, laudatissimæ memoriæ antecessoris nostri, summe honorandi: idque ob eam præcipuè causam, quod ex singulari, & paterna cura, atque amore erga majores vestros, & dilectam patriam, pro summa sua prudentia providit, discrepantiam in Religione nullam firmam, & constantem pacem, & sinceram obedientiam, ac confidentiam tum erga magistratum, tum erga subditos in aliquo regno, aut regione afferre, aut conservare posse. Quapropter in regno Bohemiæ certas leges, & statuta condidit, omnibusque suis tam Ecclesiasticis, quam Politicis Officialibus, & Consiliariis mandavit, ut ante omnia summo studio, & vigili oculo caverent, ne præter Sanctam Catholicam, Apostolicam, & solam salvificam Christianam Romanam Religionem (nam ab eo tempore, quo regnum à Paganismo ad Christianam Fidem conversum fuit, usque ad Regem Wencelalum I V, nulla alia, quam Romana Catholica Fides in eo viguit) ulli perniciosi, & damnabiles errores, hæreses, factiones, & sectæ in regnum introducerentur, aut in eo tolerarentur. Nec minus notum, ac manifestum est, cum post obitum  
supra-

*De Religione Catholica in Bohemia.*

supradicti Imperatoris Caroli, regnante Wenceslao, oscitante forte ex nimia securitate, omnis generis errores, atque hæreses in hæreditarium nostrum regnum Bohemiæ irrepsissent, omnis generis turbas, diffidia, & factiones inter ipsos subditos, nec minus summe perniciosas seditiones, & rebelliones contra Magistratum exortas esse, quæ fere omnium subsequentiæ Regum temporibus durarunt, atque imprimis sub Imp. Rudolphi, & Matthiæ felicissimæ memoriæ regimine renovatæ sunt, ac nostro tempore ita invaluerunt, ut nostri quoque subditi in dicto regno nos, nostros hæredes, successores, totamque domum Austriacam regno, & provinciis annexis contra auream bullam supradicti Imp. Caroli I V privare, atque ita jure hæditario prorsus spoliare conati sint. Ut igitur hæditarium istud nostrum regnum Bohemiæ in felicem illum statum restituatur, in quo temporibus sæpe dicti antecessoris nostri Caroli I V fuit; nihil magis curæ, cordique habuimus, ex quo insignem illam victoriam ante Pragam de nostris rebellibus hostibus, & adversariis, Deo bene propitio, reportavimus, quam ut laudabile exemplum illius præclari Imperatoris Caroli I V ( qui suo tempore pater patriæ dictus fuit, & talem se ipso facto præstitit ) conservando, & defendendo sanctam ac solam salvificam Religionem Catholicam, imitemur. Sicut igitur ille nullas hæreses, aut errores in supradictum nostrum regnum hæditarium Bohemiæ scienter invehit permisit; aut si illud clam factum est, omnes, & singulas Catholicæ Religionis adversantes sectas, & errores laudabili zelo expelli, & severe puniri mandavit: sic quoniam cum summo dolore intelligimus non Catholicos incolas, qui in hæditario nostro Bohemiæ regno supersunt, nullum periculosa contra nos, & fideles, atque obsequentes nostros subditos consilia agitandi finem facere: propterea non solum ex officio regio, & æternæ salutis nostrorum subditorum causa ( de qua nos Deo omnipotenti aliquando rationem reddere oportebit ) & ad stabiliendam, ac propagandam firmam pacem, amorem, & concordiam inter fidos, & dilectos

ctos nostros subditos; nec minus ad conservandum,  
 & intuto collocandum nostrum, & nostrorum hæredum,  
 ac successorum in dictum regnum jus hæreditarium;  
 coacti fuimus edicto sancire, ut omnes nostri  
 non Catholici, & in perniciosis hæresibus persistentes  
 subditi, errores, & sectas, quæ post obitum Caroli  
 I V in Bohemiam irreperunt, deserant, & ad S. ac solâ  
 salvificam, Apostolicâ, Catholicam, Romanam Ecclesi-  
 am, & Religionem se convertant. siquidem ob rationes  
 supradictas, & propter conscientia stimulos nullum  
 in posterum ex superioribus, & inferioribus ordinibus,  
 in hæresibus, erroribus, & sectis tolerare possumus;  
 sed æquum, ac justum, necnon divina voluntati, &  
 mandato consentaneum comperimus, ut omnes, &  
 singuli nostri obsequentes, ac fidi subditi nobiscum in  
 prisca Romana Catholica Religione, in qua nostri,  
 & ipsorum majores pie vixerunt, & divina opitulante  
 misericordia, beate ex hac vita migrarunt, consenti-  
 ant. Quapropter jam ante ad institnendum, ac pro-  
 movendum tam necessarium, salutare, & Deo gratum  
 opus reformationis, certos Commissarios constitui-  
 mus, & illis ex Cæsarea, & Regia gratia injunximus,  
 ut cum per se, tum per suos subdelegatos omni studio  
 annitentur, quo supradicti nostri fidi, atque obsequen-  
 tes subditi in Catholica fide probe, & solide instruan-  
 tur, & ab hæresibus, atque erroribus ad rectam viam,  
 & solam salvificam Religionem, atque ita ab obse-  
 quium S. Romanæ Apostolicæ, & Catholicæ Ecclesiæ  
 perducantur. Cum igitur jam dictis nostris Commis-  
 sariis inter alia mandaverimus, ut eos, qui sunt ex Il-  
 lustrium, & Equitum ordine ( ad quos hoc nostrum  
 edictum specialiter dirigitur ) intra sex menses ab il-  
 lius publicatione, quem terminum tanquam satis suf-  
 ficientem ipsis præfiximus, ad se convocent, eosque  
 vel ipsi per se, vel per alios ad hanc rem ordinatos in  
 Romana Catholica Fide instituant, ac post elapsum  
 terminum, certo, ac bona fide referant, qualem se  
 quisque in debito erga Deum Omnipotentem, & S.  
 Catholicam Ecclesiam, nostrumque paternum, & cle-  
 mentissimum mandatum, quod ad æternam ipsorum  
 salutem

salutem spectat, obsequio præbuerit : consultum diximus, omnes, & singulos nostros obsequentes, ac fideos subditos ex illustrium, & Equitum ordine clementissimè, ac paternè exhortari (nam quod ad pecunias nostras, & Imperatricis dilectæ nostræ conjugis urbes, & subditos in proprietariis nostris dominis, atque ad omnes alios regni incolas attinet, quomodo illi ad Catholicam Fidem adducendi sint ; ea de re jam ante mandata dedimus, quibus nihil prorsus derogatum volumus) ut unusquisque fidelium supra dictorum nostrorum Commissariorum, aut eorundem subdelegatorum institutionem cupide, & ex animo recipiat, & habita suæ salutis, & utilitatis ratione, in sola salvifica S. Catholica Fide nobis, & universæ Christianæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ adstipuletur, quod si quis non fecerit, hoc Cæsareo, & Regio diplomate declaramus, nos post elapsum supradictum sex mensium terminum nullum omnino in nostro hæreditario Bohemiæ regno diutius toleraturos, nec permissuros, ut in eo habitet, suæque ibi bona possideat : sed volumus, ut Bohemiæ regno excedat, & bona, quæ habet, propinquis, aut aliis Catholicis incolis vendat, in quæ finem, ut bona sua vendere possit, alium ipsi terminum, nempe sex mensium, præfigimus. Ne quis autem existimet pecuniam tantum, & opes, non autem solam Dei Omnipotentis gloriam, & honorem, ac subditorum nostrorum salutem à nobis quæri, hoc mandato ex Cæsarea, & Regia gratia edicimus, ut si unus, aut alter huic nostræ clementissimæ, ac decretoriæ sententiæ (cōtra nostram spem, & expectationem) parere noluerit, ei absque ullo censu migrare liceat : insuper permitimus, ut ad bonorum suorum administrationem, & venditionem, atque ad exactionem suorum debitorum in regno (quæ ut ipsi promptè persolvantur, sedulo, & quantum jura permittunt, enitemur) quendam ex suis propinquis, aut alium aliquem Catholicum cum plena potestate constituere possit. Quoniam vero nihil nobis acceptius esset, quam ut è vetustis, & nobilibus familiis prognati, quorum majores olim in nostro hæreditario regno Bohemiæ, antequam errores, & secta  
illud

illud invasissent, Religioni Catholicæ addicti fuerunt, & in ea rebus secundis usi sunt, eandem Religionem amplecterentur, atque ita in regno manerent: Idcirco omnes, & singulos nostros obsequentes subditos paterne, & clementissime monemus, ut unusquisque suum commodum perpendat, suumque animum introspeciat, ne ex justa Dei vindicta, & pœna non tantum temporalium, sed etiam æternorum bonorum (quod tamen nulli evenire cupimus) temere jacturam faciat; sed potius errores, atque hæreses (quibus ipsi, & eorum progenitores seducti, & inclytum hoc regnum, ac dilecta ipsorum patria in extremam calamitatem adducta fuit) ejiciat, & ad veterem Sanctam Catholicam Fidem revertatur, utque nobiscum in religione consentiat, operam det. Qua in re nostræ clementissimæ decretoriæ, & immutabili voluntati, atque sententiæ obtemperabunt. Datum Viennæ, die Sabbati, festo S. Ignatio Sacro, Anno Domini M DC XXVII, Regnorum nostrorum Romani octavo, Vngarici decimo, & Bohemici undecimo.

Multos in Imperio hoc decretum commovit. Lutherani inde sperabant Saxoniam Ducem commovendum, ac Cæsari offensum illius partes deserturum. sed Saxoniam Elector nihil his commotus profugos omnes arcuit, & præpostere querulos expedit. Plauserunt alii, ut plausibili quadam lætitia gestientes, etiam sua repeterent, & magno animo restaurationem disciplinæ Catholicæ aggredierentur. Comes enim Nassovicus, & Marchio Badensis præcipuè reliquum suæ ditionis expurgarunt. A civitatibus Imperialibus multi sua repeterunt, non valde se opponentibus illarum civitatum oppidanis, ob duas legiones peditum Ducis Henrici Julii, & Joannis Georgii Marchionis Anspacensis, quæ juxta Norimbergam stationem dudum habuerant, & recenter cum Norimbergensibus optime mulctatis, non sine periculo novi belli conveniant, ut dimissis oppidis Engelthal, Hensfeld, Reichenschaung, Haxpurgum, Odenseos, & Offenhausen, quæ jam Cæsarei occupaverant, relictoque libere commerciorum usu; bonam summam signatæ pecuniæ,

*Nova Reformatio-  
nes in Im-  
perio.*

quæ militum stipendiis sufficeret, exsoluerent. Hinc paulo ante Cæsar liberrime mandat Magistratui Argentinensi, ut occupatas domus Canonicorum, claustra eorundem, cum omnibus emolumentis, ac fructibus jam elapsis redderent. cui mandato in urbe Argentinensi affixo mox Senatus custodiam aliquot militum die, ac nocte destinavit, ne à seditiosis abriperetur, eorumque insolentia propriæ imprudentiæ adscriberetur. deinde nedum elapso termino à Cæsare constituto, eidem decreto Senatus promptissime parendum censuit, atque evocatis Dominis Canonicis statim Claustrales ædes, quæ vulgo fratrum claustrum nuncupantur, consignarunt, redditibusque liberrime renunciarunt; rogantes tantum, ut de præteritis jam pridem absumptis, aliquid, vel totum remitteretur.

*Argentinen-  
sum  
obediētia.*

*Dux Wir-  
tēberg. mo-  
netur.*

Paulo post Duci Wirtembergensi à Cæsare imperatum, ut restitueret monasteria Lorsch, Brengenhau-  
sen, & Herbertirs, injectaque mentione aliorum monasteriorum Maulbrunni, Koningslauteren, & Benhaufen, quæ omnia loca sacra singulis annis plusquam centum septuaginta millia talerorum Camere Ducali, præter expensas in magistratus erogandas, attribuebant. Huic Decreto Dux Wirtembergensis, de  
cujus integra fortuna agebatur, non ausus fuit vim opponere; sed fratrem suum Viennam ad Cæsarem submit-  
sit, ut extremam suæ familiæ ruinam deprecaretur. verum Cæsar constantissime, magna tamen prudentia, nihil remisit, dum aliquantulum tempori cedendum ordinavit; donec etiam alii ejusdem culpæ socii communi edicto de Electorum consilio cudendo, à possessis bonis sacris arcerentur. Episcopo tamen Eistatensi contra Norimbergenses decreta fuit possessio monasterii Bilbenreut, cum omnibus attinentiis, literis, diplomatibus, mobilibus, ac immobilibus; cui decreto etiam Senatus absque ulteriori tergiversatione, metu vicinorum militum prompte paruit, longe alio stylo, quam septennio ante fecerant tam ipsi Norimbergenses, quam Wirtembergensis Dux, Marchio Badensis, Anspacensis, Hassus, & alii confœderati, quando à Cæsare, & à Duce Bavariæ confirmationes injustarum

*Norim-  
bergensib.  
impera-  
tur resti-  
tutio.*

rum detentionum similium fortunarum Ecclesiae nisi sunt extorquere; aliter Caesarem una cum omnibus Catholicis crudeli bello impetere, & quicquid Catholicis remanserat, adimere, totamque Catholicam Religionem extirpare minitantes.

Non adhuc animo desponderat Fredericus Palatinus etiam post tot exilia, ac insignes clades perpeffas, quin pristinae fortunae aliquo modo se reddere studeret. hinc cum initio hujus anni Lotharingiae Ducem, & Ducem Wirtenbergersem interpellasset, ut apud Caesarem pro reconciliatione intercederent, & jam indictam diem ad pacis commercia Colmariae obtinuisset, uti supra tetigimus; Legatos suos miris technis detinuit, ut videret, quo res Silesiacae vergerent, at male cedentibus, illos quidem Colmariam misit, sed nimis opulentas reconciliationis condiciones obtinere voluit. Quis enim victor integram ditionem ( ut nomine Palatini postularunt illius Legati, ) voluisset restitueret? quis voluisset sectam tam perniciosam, qualem ibi aluerat, tolerare? quis tot sumptibus factis indulgere? obtulit tantum Palatinus Electoratus dignitatem, ea ratione, ut post obitum Maximiliani Ducis Bavariae, rursus illius filii illam obtinerent; ac post illius haeredem rursus illa ad unum ex Bavariae Ducibus derivaretur. quae oblatio forte Caesaris delegatis, & Caesari ipsi non displicuisset, si caetera poenitentiae signa respondissent. illis autem deficientibus, cum obstinate noluisse Palatinus Catholicam Religionem admittere, neque controversis fortunis sacris cedere, nec grave aes alienum suscipere; omnis reconciliationis spes evanuit, Deus autem est contra constantissimo, justissimoque Caesari magis ac magis benedixit.

Illius enim exercitus in Silesia hostium copias sub Baudisio fugientes infecutus, ( cum illae Pitscenam Poloniae limitem petiissent, ac vastassent ) prope Schaverinum aliud Poloniae oppidum ad Nettam, insigni praelio commisso victor evasit; nam Pechmannus Caesareae militiae submissae Praefectus, cum septem armatorum millibus, obviam fugientibus Danis se fortissime dedit, quorum impetum aegre potuit ab initio sustine-

Conventus  
reconciliationis  
Colmariae.

Superbia  
Palatini.

Baudisius  
fugit.

sustine-

*Fugna in-  
ter Cæsa-  
reos, &  
Regios.*

*Obitus  
Pechmāni*

*Dania  
Rex op-  
pugnat  
Bleckede.*

*Despera-  
tio Regis  
Dania.*

*Dania  
Rex Ha-  
velbergā  
excit.*

sustinere: verum supervenientes Croati septingenti ma-  
jori strepitu Danos aggressi, tormenta recuperarunt, &  
ad fugam adactos dissiparunt; ita ut magna pars illo-  
rum postea à vicinis trucidata fuerit; & ipse Baudisi-  
us cum decem ex suis vix evaserit, ceterique omnes ur-  
be Damensi exclusi miserrime interierint, aut in sylvas  
sefe dudum absconderint. Tamen Cæsaris tantam vi-  
ctoriam non parum repressit mors ipsius Pechmanni,  
qui inter primos ordines certans, tormento majori i-  
ctus occubuit. erat secta Lutheranus, sed ingenio, for-  
titudine, bellorum experientia, & constanti in Cæsa-  
rem fide apud milites celebris. quem universus exer-  
citus deslevit, & Cæsar ad talis mortis nuntium inge-  
muit, non tam ad corporis, quam ad animæ, extra Ec-  
clesiam occumbentis interitum suspirans.

Detinebat hoc tempore Cæsaris copias in Saxonia  
Dani Rex duplici exercitu; nam castra sua ad urbem  
Bleckede posuerat, ubi cum decem millibus urbem  
oppugnans, Præfectum Brandesteinium deserto oppi-  
do in arcem fugere coegerat; qui postea mutata præ-  
lii sorte cum vires recollegisset, ea fortitudine impe-  
tum retudit; ut frustraneam oppugnationem Rex præ-  
cavens receptui canere coactus fuerit. non multo post  
pejori omnino fortuna in Croatorum milites incidit,  
qui occisis octingentis, alios in Albim fluvium ade-  
gerunt, alios turpi fuga salutem quærere docuerunt,  
totumque fere illum exercitum dissiparunt. Quod a-  
nimadvertens Rex tam male sibi, suisque cessisse, per-  
tæsus in Cæsarem bella, desperatione quadam suos in  
Ducatum Luneburgensem immittens, miseros sub-  
ditos gravissimis molestiis affecit, & Brunsvicenses  
omnes flamma perdere decernens arcis Guelphorum  
præfidiarios excitavit, ut frequentissimis excursioni-  
bus patriam infestarent; sperans forte inde milites Cæ-  
sareos Havelbergam, ubi alter erat exercitus, deser-  
turos, vel ibidem remissius obsidionem curaturos.  
Deduxerat enim ille alterum exercitum in ditionem  
Brandenburgensem, non procul ab Havelberga, quo  
cum castra Cæsareanorum ad Sandowium excuban-  
tia temerarie satis aggressus fuisset; fortuna inibi illi  
adversa

adversa fuerat: quare in templum Havelbergense, quod Cathedralis ædem refert, & in monte situm civitati imminet, sese receperunt; atque inde civitatem, ditionem Brandenburgicam, Cæsareaque castra graviter infestarunt. Quapropter Elector Brandenburgicus, ut prius Brunsvicensis fecerat, subditos suos è castris Danicis revocare decrevit. plerique enim non ex plebejo, sed ex equestri, & civium ordine, & Regi militabant, & in propriæ patriæ perniciem illi exactiones imponenti assistebant. imo præsidia habentes Ruppini, Frisaci, Zedenici, & Liebenwaldi sumptus men-  
 struos à Brandenburgicis exigebant. postea illos, licet *Brandenburgicus revocat suos, & Cæsari obædit.* Cæsari fidus, sub gravi pœna revocavit, ac solis Cæsareis copiis necessaria quæque præberi mandavit; imo omnes suos tam equestri loco natos, quam cives, & rusticos cis, & ultra Oderæ flumen commorantes, equis validissimis, servis, pulvere tormentario, globulis, & omnibus armis instructos ad omne signum adesse iussit, ut hostes propulsarent: ideoque etiam Cæsarea præsidia Berolini, Francofurti, & alibi libenter admisit, adeo copiosa, ut jam Marckam Brandenburgicam possent imperio suo subicere, & libere superatis *Spes de Electore Brandenburgico ad Catholicam religionem.* confidere. Ex hac tam propitia Electoris Brandenburgici erga Cæsarem voluntate, nata fuit fama, illum Catholicæ Religioni nomen daturum. cuius felicissimi nuncii famam auxit; quod non ita pridem multos è suis prædicantibus, quod vehementius populum concitassent, officio privasset, modestioribus aliquot substitutis, per quos auctoritas, & obedientia Cæsaris stabiliebatur, & singulis integra fides erga Suam Majestatem serio commendabatur. proinde nonnulli Lutheranam sectam apud suos subditos eliminandam arbitrabantur, ut paulatim Elector sese legibus Imperii conformaret, quod alioquin in Calvinismo valde difficile cognoscebatur. neque hæc mutatio multis displicebat, qui aliquando hinc quietiorem Germaniæ statum sperabant; displicebat tamen omnibus, quod non *Investitura Transylvania à Turcis facta.* ita pridem innotuerat de ejusdem Electoris sorore Catharina paulò ante Bethlema Gabori desponsata, ac tunc de successione male sollicita. quæ licet

Germanico sanguine orta, & Imperii Romani Princeps; nihilominus paulo ante feudum, seu investituram Transylvaniae post obitum mariti à Turcarum Imperatore petierat, & obtinuerat; ita tamen, ut ipsa foret deinceps amica amicis Turcarum, & inimica inimicis illorum, singulisque annis offerret dona magni momenti, quibus hanc gratiam ab ipso Imperatore Turcarum cognosceret; nec non aliis conditionibus Christiano nomine indignis. quæ tamen Elector Brandenburgicus paulo post apud Cæsarem excusavit, culpam omnem in Bethlemum rejiciens, & ipse in obsequio Suae Majestatis perseveravit.

Hoc autem in loco non incongruam illius investiturae expositionem putavi, tum ad rerum cum nostro instituto conjunctarum eruditionem; tum etiam, ut complures nostrorum Principum, qui Christo Sole irradiari gloriati, vix tamen ipsi Christo (tantum in Christi ministros irreverètia stomachantur) caput submittere dignantur; sapientiam addiscant à cæco, ac barbaro tyranno, qui cum sese supra mille attributorum sydera, veluti quid divinitatem sapiens, extulerit; ratus est altiorem quemdam cælo ipso tronum eminere, qui humilitate præfulgens, inviolabili non in Deum modo, sed in Dei ministros obsequio, ac cæca reverentia stabilitur, ibique superbissima, sed non minus honesta ambitione residere ausus est, dum se non Mahumeti mancipiū, sed Mechæ, ac Medinæ, in profundiorè Mahumeti reverentiam, professus est. Enim-  
 » verò tam alta sapientia à solo forsan Spiritu sancto lon-  
 » gè superari potuit; dum Romanum Pontificem, qui  
 » Rex Regum esse debet, servum tamen Dei servorum,  
 » & quidem omnium, voluit nuncupari.

*Turcarum Imperatoris tituli.* Ego, qui infinitis gratiis, justis, magni, & Omnipotentis Dei, Creatoris Cæli, & terræ, immensi, incomparabilis, & aeterni, innumerabilibusque miraculis majoris suorum Prophetarum ornamenti mundi, Solis universi, sancti Mahometis Mustafa, qui sit benedictus in aeternum, ac quatuor sociorum ejus, necnon deprecationibus beatarum animarum omnium Sanctorum, & Prophetarum, sum Monarcha totius Monarchiæ ab Oriente,

Oriente, & Occidente, dominator mundi, possessor inclytorum regnorum Europæ, Arabiæ, & Persiæ, successor Cæsaris, & Gemmi, donator coronarum Regibus Terræ, umbra Omnipotentis, secundus Alexander Magnus, servitor, & Minister duarum augustissimarum Domuum Mecæ, & Medinæ inter omnes civitates mundi nobilissimarum, & super omnes alias habitationes terrenas excelsum, & Sanctæ Ierusalem, Dominus Labiæ, Catafæ, Ægypti, Temen, Sanaæ, Aden, Basiozæ, Habsh, Tuasin, Merash, Saidæ, Damasci, Domus salutis, Haleppi, Tripoli Soriensis, Nihavend, Belenguam, Baruti, Aschilan, Mesopotamiæ, Amadici, Van, Arsici, Cars, Erdeam, Cilderzehem, Cuti, Gorgani, Carbag, Schirezul, Curdi, Natoliæque, Græciæ, Caramaniæ, famosarum Vectium ferri Daghistan, & Turchistan, Campaniarum Chiberack, Bogdaniæ, Balachia, maris albi, & nigri, & maris Kulzum, regnorum Terckidilem, Constantinopolis, Invidiæ, Regi, Zulcadriæ, Mecahl bellicosæ, & armigeræ Algeri, Tripolis Barbariensis, Tunesis, Cypri, Ocri, Rhodi, Votalis, regni Græciæ, Temisuar, Bosnæ, Canisæ, Agriæ, Budæ, domicilii belli, Caphæ, Trabisfondæ, & aliorum infinitorum regnorum, populorum, provinciarum, habitatorum, pagorum, & inexpugnabilem arcium Princeps, Imperator, Monarcha, Rex Regum, Sultanus filius Sultani Muratanu, filius Sultani, Ahmedus filius Sultani, Mehemffam filius Sultani, Muradhanus, &c.

Majori impetu Havelbergam oppugnare constituerant Dani ponte supra Butzenburgum instructo, per quem transire satagebant. sed Cæsareis è munimento Havelbergæ regione alterius Danicorum erecto, transitum aliquandiu prapedientibus; illi paulo inferius pontem constituentes, & magno numero transeuntes, concurrentibus Mechelburgensibus ignem præfata civitati Havelbergensi injecerunt. quo consternati Cæsarei, deserta urbe, ad vicinum lucum concesserunt, verum paulo post retrogressi, urbem strenuè defenderunt; & Dani è contra cum dudum è Vuero auxilia sperassent, de possessione ejusdem urbis desperantes; tam munitionem

*Fuga Danorum.* nem prope Ardenburgum, quam alias non contentas ad Bötzenburgum reliquerunt. Quare D. Lunenburgicus paulo ante minoribus navibus, quae ignis commode necti poterant, instructis, una cum militum praefectis eod profectus est; & Danis alterum munimentum in insula Havelae situm defendere, sed frustrantentibus, magno impetu irumpens, eos ad fugam compulit. Pariter Tillius dum nocte Albim ponte jugere parasset, Dani rescisso ponte, & munitionibus praesidio nudatis, fuga dilapsi sunt; tam pravo caeterorum praesidiariorum, qui Havelbergae erant, exemplo, ut illi quamprimum traductam Georgii Ducis Lunenburgensis aciem viderunt; sponte sua inde abierint, & sese in tutum receperint. recessit postea exercitus Danicus versus mare, ubi sperabat Rex se non solum Decem Mechelburgensem habiturum, sed & civitates Anseaticas, Lubeckam, Hamburgum, ac Bremam suae expeditionis socias. & ideo eas ad conjungendas vires invitavit. sed & hoc frustra; nam illae animalvertentes Caesaris felicitatem, prudenter sese excusarunt. Quare quo patriae Holsatiae, aliisque regionibus prospiceretur, filius ipsius Regis cum Equestri ordine Holsatiae, & Slesvicensibus, necnon cum seditionis rusticis Segenbergam appulit; ne vel à Lubecensibus, vel ab aliis à tergo imminentibus, parens invaderetur, in quem finem etiam non procul ab Hamburgo munimentum longe maximum erigi praecipit tumultuaria architectorum Hollandicorum opera, in quo indices 5000 subditorum laborabant.

*Rex in Mechelburgensem ditionem tendit.*

*Obsidetur Wolfenbuttelis.*

Rex, evocato Marchione Durlacensi, & Duce Bernardo Saxone Vinariensi, Slammersdorfio, aliisque suae militiae praefectis in Mechelburgensem ditionem concessit, ubi copias viginti navibus impositas expectabat, ut inde Caesareos prohiberet; nam Wallesteinus ex Silesia per Marchionatum Brandenburgensem in Mechelburgensem ditionem volens irumpere, jam Gutterbockium primos ordines quinque millium sub tribuno Arnhemio transmiserat, & ipse cum reliquo exercitu modicis itineribus sequebatur. Tillius ab alia parte non solum arcem Guilphorum obsederat in Brunsv

Brunsvicensi ditione cum legionibus Cortenbachii, Eckstati, Herbersdorfii, & peditibus Pappenheimii, Erwitii, sed etiam ad Visurgim Neoburgum cum al-  
 lis Comitis de Gronsfeld, tribuni Valbot, Assenburg, *Obsidetur*  
 Anhold, Gallas, Bock, qui frēnum hostibus Brema ad- *Neobur-*  
 scendentibus sub ductu Morgantii injiciebant, præpe- *gum.*  
 dientes, ne commeatus, aut arma, præfatis arcibus importarentur. Quod cum aliquoties illi pertentassent, aliquot velitationibus superati, receptui cecinerunt. Rex ipse obsessos suos deseruit, uti & munimentum Winsense, tanto studio, & arte præparatum, proximumque Hamburgensibus, illorumque præsidio firmatum, sed, ut verebantur multi, Regi ab oppidanis concessum, ut haberet, quo se tempore periculi reciperet. suspicionem auxit magna Regis cum illis familiaritas non solum commercii, & navium, sed etiam propriæ personæ, quæ Hamburgum libere, & familiariter intravit, cum excubiis loquebatur, magnoque honore passim à civibus afficiebatur. quæ cum in fraudem fieri viderentur, non defuit officio Cæsar, quin Hamburgenses moneret, ne deserto supremo capite Imperii, legitimo tutore, protectore, ac defensore sui commercii, alienum æmulum respicerent. Iam aliàs, inquebat Cæsar, serio se monuisse civitatē de variis pacem Imperii perturbantibus; inter quæ recensebat Calvinistarum in ipsa urbe Hamburgensi nidulationem, severis Imperii legibus alioquin exclusam, Catholicorum insuper rejectionem, in urbe Hamburgensi satis frequentatam, quando vel civis, mercator, opifex, vel etiam mediastinus aliquis deberet admitti, Catholicæ Religionis præpeditum exercitium; cum è contra Anglorum, vel Puritanorum scholæ ibidem instituerentur, neque commercia, lucra, & improbæ nundinationes poterant multum tam malæ causæ favere, ut bonam religionem excluderent, cum etiam à Catholicis haberent sufficientia commercia, maxime ab Hispaniæ Rege, à quo possent aliquando etiam intuitu tam iniquæ societatis excludi, ac proinde illos monebat, ut mitius erga Catholicos se haberent, & Cæsaris totius Romani Imperii capitis legibus obtēperarent,

*Monentur  
Hambur-  
genses à  
Cæsare.*

rarent, quod idem paulò post occupata prius Bötzen-  
burgensi arce, & Lawenburgo deditioe accepto; Til-  
lius aliquot literis præstitit, continuato itinere cum ex-  
ercitu Hamburgum, postulans à Magistratu ibidem ob-  
illius accessum exterrito, ut locum telonio civitatis  
destinatum, & aliàs Regi Daniæ concessum suo præ-  
dio munirent, vel Cæsaris admitterent; ut naves, &  
nautas Cæsaris obsequio præpararent; Hollandorum  
Legatum, ac præfectum Hatsfeld è sua urbe dimitte-  
rent, Anglorum etiam Legatos contra Cæsarem con-  
spirantes rejicerent, & pacem Religionis in Imperio  
tot annis publicatam fervarent. Quæ omnia Hambur-  
gensium Legatus Vincentius Mullerus se senatui pro-  
positurum promisit, & ad deliberandum, responde-  
ndumque octidui spatium impetravit. quo tempore ni-  
hil feriatu Tillius post occupata omnia munimenta  
Regis Daniæ ad Albin, Nieuhusium, Stilhornium, &  
Harburgum invasit, tanto terrore incusso, ut Rex vi-  
ritim omnes Holfatos, quotquot arma ferre poterant,  
ad tuendam patriam evocavit.

*Legationē  
obit Pseud-  
archiep.  
Hallensis.*

In tantis Holfatiæ, totiusque Saxonie inferioris pe-  
riculis Administrator Hallensis, seu Pseudoarchiepisco-  
pus Magdeburgensis per Angliam, Galliam, & Vene-  
tias ad Bethlemum Gaborem profectus est, ut ubique  
extremo tempore auxilia pro Rege Daniæ impetraret,  
quæ cum Hollandi post speratâ expugnationem Grol-  
lensem liberalius promississent; Angli, & Galli, licet  
ab Hollandis rogarentur particulari Legatione, ob fer-  
vens bellum inter illorum Reges, pertinacius subsidia  
negarunt, Veneti vero diu tergiversati, tandem Lega-  
tum ob jus gentium ad Bethlemum dimiserunt, qui  
honestissimè sese illo tempore excusavit, ex eo quod  
constabat Turcarum Imperatorem in magnis angustiis  
versari circa Babylonie oppugnationem, quæ jam cen-  
tum mille milites absumpserat, & alios centum mille  
desiderabat, falicem rei eventum desperante fere Ca-  
lillo Purpuratorum Principe; maxime ubi circa idem  
tempus Emir Suldanus à Turcarum Imperatore de-  
fecerat, & seditionem continuans, Prætorianorum mi-  
litum Præfectum cum copiis sibi adjunctis oppugna-  
bat,

*Bethle-  
mus se  
excusabat*

bat, non sine periculo perdendi integrum Ottomanni-  
cum Imperium. cui ut ipse Bethlemus confuleret, pa-  
cem cum Romanorum Imperatore fovere decreverat.  
quare tam Hallensem Administratorem, quam Lum-  
penburgicum Zerotinum & Moravia profugos, opi-  
mas condiciones proferentes, respuit, taliaque postula-  
ta in alia omnino quietiora tempora rejici voluit. imo  
ne Cæsar à pace inita resiliiret, Turcarum Legatum in-  
ternuntium post renovata fœdera, cum muneribus iti-  
neri accinctum, ad accelerationem urfit; Cæsaremque  
ad paciētiam exhortatus sua officia obtulit, & hostium  
illius technas fidi animi testimonio detexit.

Indictus interim fuerat Principum Electorum Con-  
ventus Mulhusii in proximum mensem Augusti, ubi  
de reconciliatione Palatini, de Dania Regis injusta ex-  
peditione, de ponendis armis, de pacis ratione in Im-  
perio constituenda, & de aliis rebus ipsis Electoribus  
molestis, ac Cæsareæ fortunæ non satis faventibus,  
quæ particulariter in Imperio occurrebant; agendum  
erat: sed vix stabile aliquod tempus huic Conventui  
reperiebatur. Dudum etiam controvertebatur; qui-  
nam forent admittendi, an soli Electores, an Princi-  
pum Legati, an ipse Cæsar. Varii etiam eventus, ple-  
rumque fœlices pro Cæsareo exercitu, in dies statum  
causæ, & consiliorum rationes immutabant. Non ita  
pridem Cæsar consultus, & sollicitatus præcipuè ab E-  
piscopo Augustano, Constantiensi, & Wormatiensi,  
nec non ab Abbate Cæsariensi, & ab aliis gravatis, ut  
restitutiones monasteriorum, Episcopatum, aliorum-  
que bonorum Ecclesiasticorum aggredere, contra  
Ducem Wirtembergensem, & Marchionem Anspacen-  
sem, in quorum manibus adhuc erant cœnobîa Lor-  
chæ, Brezenhusiense, Herbertingense, Mulbrunnen-  
se, Coronæ Regiæ, Bebenhusianum, Heilbronnen-  
& Reichenbacense, quod olim Cæsar Rudolphus II  
in favorem Episcopi Constantiensis inceperat urgere.  
Quare Sua Majestas ipsos Electores Imperii consulere  
voluit, an ea, quæ merito exigebantur, nunc tandem  
defunctis tot bellis, deberent restitui; neque enim de  
causæ justitia quæstio erat, sed de executione, quam  
Sua

Clades  
Turcarum

Vrgetur à  
Bethlema  
Legatus;  
Turcicus.

Conventus  
Mulhusi-  
nus.

Grauami-  
na Cæsari  
à Catholi-  
cis data.

Cæsar  
consulit  
Electores  
per lito-  
ras.

Sua Majestas absque Electorum judicio, ac voto solus noluit contra plurimorum mentem aggredi illo tempore, cum uni adhuc præcipitata, plena periculis, et novarum turbarum origo videretur aperienda, et singulis malæ fidei possessa, & contra jura detenta importunius exigenterentur. Neque enim unius, aut paucorum hic causa ventilabatur, quamvis sub paucorum nomine discuterentur ea, quæ nominatorum monasteriorum erant, & contra solos Principes Wirtembergensem, ac Anspacensem. Agebatur enim non minus de Argentinensibus, Ulmensibus, Norimbergensibus, cunctisque civitatibus Imperialibus, necnon de universo fere districtu inferioris Saxonæ, de Episcopatibus Magdeburgensi, Bremensi, Halberstadiensi, Verdensi, Mindensi, Caminensi, Havelbergensi, Swerimensi, & de omnibus post transactionem Passaviensem, contra jura, cõsuetudines, ac pacta per diversos Principes, Respub. Dynastas, Proceres, ac nobiles invasus, que sicut in Duce Wirtembergensi, ita & in omnibus aliis locum erant habitura.

*Responsio  
Electorum  
ad Casarē.*

Ad hanc quæstionem tam difficilem generalioribus rebus dissimulatis, Electores tali fere responso Casari responderunt: Non posse latere Suam Augustissimam Majestatem, nec acta Imperii sub anno 1555 non calere, quanta, quamque intolerabilia fuerint Catholicorum gravamina, quam justæ querelæ, quamque frequentes ob nobilissimas fundationes, monasteria, & bona ipsis paulo post Pataviensia concordata contra Religionis sacrosanctæ fœdera, ac jus ipsum commune cum summo tam divini honoris, quam Ecclesiæ Catholicæ præjudicio violenter erepta, violata, everta, ac tam pertinaci conatu detenta, & quod non defuerint, qui à Majestate Casarea, & Statibus Catholicis propositis funesti belli minis præfatorum bonorum, fundationum, cœnobiorum (utpote circa quæ transactionem, aut amicam compositionem admittere nollēt) omnimodam cessionem, ac perpetuam abdicationem extorquere niterentur; sub futili illo & vano prætextu, quasi bonorum Ecclesiasticorum conservatio, & immunitas, substantiale punctum sanctitæ pacis Religionis

*Audax  
Protestantiū  
postulatum  
anno 1619,  
in Convēntu  
Norimbergensi.*

non

non esset; cum tamen eorundem bonorum conserva-  
 tione, ceu basi nitatur Ecclesiastici status salus, cui non  
 minus, quã sæculari, Religionis sacris fœderibus pro-  
 spectum voluere, tum Catholicæ Religionis, tum Au-  
 gustanæ Confessionis asseclæ, ut nisi Ecclesiæ Catholi-  
 cæ bona hisce fœderibus tuta esse possent, ipsa etiam  
 fœdera evanescerent. Et quamvis Protestantes illi, qui  
 post ictum Religionis fœdus nobilissimas fundationes  
 rapuere, & Religiosis pulsas, patrimonii Ecclesiæ do-  
 minium sibi arrogarunt, adeo sensum pacis Religionis  
 pervertant, & eo usque detorqueant, ut ea salva licere  
 sibi opinentur Religiosos terrarum, & Principatum  
 suorum incolas, à Catholica antiqua Religione, &  
 statu, ad quem se voto obligarunt, ad Augustanam  
 confessionem urgere, & cogere; esse nihilominus *Religios*  
 in comperto, nec negari à quoquam posse, hujusmo- *exempti.*  
 di Religiosos una cum suis cœnobiis, & redditibus ab  
 omni status sæcularis jurisdictione penitus exemptos,  
 ac sæcularum statum illis defensionis prius nomine ob-  
 ligatum, & obstrictum esse.

His addiderunt Electores, pacta religionis in hisce  
 præsertim casibus luce ipsa clariora existere, nullum-  
 que uspiam locorum Augustanæ confessionis asseclis  
 jus, quocumque tandem illud nomine censeatur, attri-  
 buere in cœnobia, & fundationes, ubicunque loco-  
 rum existant. Neque Catholicos status restitutionem  
 bonorum, & cœnobiorum ante Pataviensia pacta ip-  
 sis ereptorum, quam sub nullo Imperatore non  
 postularant, tam facile condonatos fuisse, nisi  
 desiderio, & certa spe reliqua conservandi fuissent  
 illecti. Distinxerunt etiam controversias, neque e-  
 nim illæ erant, an incolis territorii contra territorii  
 dominum vi pacis religiosæ mandata decerni pos- *Ius natu-*  
 sent; sed potius in jure communi, & pace profana *rale quid*  
 cardo quæstionis verteretur, vi cujus nemini per- *doceat.*  
 missum erat, alteri vim inferre, aut quempiam  
 possessione sua exuere, cui juri hæctenus nulla Im-  
 perii Comitæ, nullæve constitutiones, aut leges dero-  
 gaverant: imo si Religiosis fœdera obscura fuissent,

juri

juri tamē communi standum fuisse, quoadusque ambiguitas ista legitimo modo tolleretur. Ac tandem extimarunt quæsitæ, ac prætenas in Religiosos, ac nobilia in sæcularium dominorum ditionibus existentia jurisdictiones, quamvis extra controversiam forent, tamen eas non nisi ad Religionem præcise, nullo modo ad bona, & possessiones sese potuisse extendere, ac proinde Religiosis non minus quam sæcularibus jus emigrandi, ac suas possessiones distrahendi, pretium se cum auferendi, in usus suos exponendi integrum, ac illæsum necessario mansisse.

*Resolutio  
Electorum.*

Ex quibus omnibus deduxerunt Electores, Majestatem suam uti Ecclesiæ Catholicæ, ac subditorum ejus supremum advocatum, & protectorem non solum ad Episcopi Constantiensis instantiam, restitutionem cenobii Reichenbacensis rectissime mandasse, verum etiam ad eandemmet restitutionem urgendam circa monasteria ab Episcopo Augustano, necnon ab Abbate Cæsariensi quæsitæ; imo & quævis alia post concordata Pataviensia erepta, jus, ac justissimas causas habere. Præsertim cum piæ memoriæ Cæsar Rudolphus decreto quodam 27 Julii, anno 1599, Electorum Palatini, Saxonis, & Brandenburgici, Legatis Pragæ dato, expresse senserit, Ecclesiasticorum bonorum conservationem substantiale punctum pacis religiosæ esse, eique in Imperio antecessores pollicitos esse, in eventum compositionis sese ita dispositionem facturos, ut jus suum cuique integrum, ac spoliatis ad sua postliminio redeundi facultas maneret. Maxime vero suæ Majestati licere sententiam ferre, cum alius nemo posset hujus causæ esse judex aut arbiter. Hoc quidem prædecessores non fecisse, ne Imperium turbarent, neve status inter se committerent: quare admodum lente, ac meticulose ad controversiæ decisionem progressos fuisse. Eum tamen metum esse sublatum, quando imperium à Turca, à quo sibi tum temporis male metuebat, erat liberum, & major apud status Imperii erat Majestatis suæ auctoritas, ac potentia, cum justitia, & bonitate causæ conjuncta, ut credibile non esset futurum, reperiri quempiam, qui ei, ejusque legitimis dispositionibus refractarium sese exhiberet. Hoc

*Cæsaris  
Rudolphi  
sententia.*

*Rationes,  
Princ.  
Electo-  
rum.*

” inter se committerent: quare admodum lente, ac me-  
” ticolose ad controversiæ decisionem progressos fuisse.  
” Eum tamen metum esse sublatum, quando imperium à  
” Turca, à quo sibi tum temporis male metuebat, erat  
” liberum, & major apud status Imperii erat Majestatis  
” suæ auctoritas, ac potentia, cum justitia, & bonitate  
” causæ conjuncta, ut credibile non esset futurum, repe-  
” riri quempiam, qui ei, ejusque legitimis dispositioni-  
” bus refractarium sese exhiberet. Hoc

Hoc tam claro, iusto, & constanti voto obtento ab Electoribus Catholicis, Sua Majestas adlaboravit, ut eisdem consentiret Elector Saxoniae, illumque speravit omnino ita facturum in Conventu Mulhusino, atque in hunc finem D. Petrum à Stralendorf Imperii Vicecancellarium, hominem in rebus Imperii versatissimum, una cum D. Hermanno Questenbergio, insigni inter ceteros Consiliario, ed ablegavit, ut tam de his, quam de aliis gravaminibus, hactenus justitiam, disciplinam, ac religionem præpedientibus semel consentientibus votis determinaretur. Ego etiam in re tanti momenti, ex qua salus Imperii pendeat, vigilantissimus, Vienna, licet maximis expensis, virum versatum destinavi, qui nomine Sedis Apostolicæ constantiam Electorum promoveret, & decretum laude dignissimum nomine Sanctitatis suæ urgeret, maximè illo tempore, quo plures undique accurrebant, ut ipsorum fortunis consuleretur. Sic Brunsvicensis, sic Holsatus, Mindenses, Luneburgicus, Landgravii Hassiæ, Wirtenbergensis Dux, Duces Saxonici, Vinarienses, Coburgenses, & Altenburgenses, insuper Hispanici, & Gaborei Legati. Quidni etiam Sedes Apostolica, cujus res vel maxime agebatur, mitteret, qui sollicitam manum adhiberet? Quid autem actum fuerit, postea referemus, neque enim hoc mense Augusti, nec sequenti initia Comitiorum fuerunt.

Favit tamen Deus bonæ voluntati, & cum nonnulli de exitu illius dubitassent, si forte Rex Daniæ repararet suam fortunam, vel si Principes omnes Protestantes una cum civitatibus liberis, atque Anseaticis conspirarent; ecce ad literas Cæsareæ Majestatis, & Tillii, tum Hamburgenses, tum Lubecenses Cæsaris obsequio se dedicarunt, annonam, arma, transitum, & quicquid absque illorum damno, aut periculo posset Cæsareis prodesse, liberaliter obtulerunt. Wallesteinius etiam jam creatus Fridlandiæ Dux, una cum suo Legato Slickio, adulto mense Augusti, Havelbergam appulit, & mox exercitum universum, fugato Durlacensi, in Mechelburgensem ditionem deduxit, & statim à civitatibus Rostochiensis, ac Wisimariensis stipendium mille equitum,

Elector  
Saxoniae  
inducitur  
ad eadem

Hamburgenses &  
Lubecenses, cum  
Cæsare cõ-  
spirant.

*Conventus  
supremo-  
rum Du-  
cū Law-  
enburgii.*

*Commer-  
cium pa-  
cis ten-  
datum à,  
Duce  
Holsatiae.*

*Exercitus  
Caesarei in  
Holsatiam*

tum, vel menstruatim 15 m. talerorum postulavit. Dum ergo exercitus in Mechelburgensem ditionem esset deductus, suprema capita exercituū Cæsaris, ac Bavarici Ducis, seu Catholici fœderis Lawenburgii convenerunt, & de invadenda Holsatia deliberarunt, neque illud difficile videbatur, impetrato transitu, ac comitatu ab Hamburgo, ac Lubeca. Quare Tillius absque longiori deliberatione initium facere voluit magis ad sinistram deflectens, Binneburgum oppugnare decerneret, dum Wallesteini exercitus magis ad dextram inclinans, in duas partes divisus, partim medio itinere non procul à Tillii exercitu, partim vero versus Lubeckam omnino ad sinistram properaret. Primum tamen ante solum Conventum Lawenburgensem, duo Generales Ducem Holsatiæ, conditiones pacis proponentem, audiverunt. Verum cum illæ non essent pro victoribus, sed adhuc Regiam Majestatem Daniæ saperent, nullo modo pacem admittere voluerunt, nisi prius Rex Daniæ ab armis discederet; officium Præfecturæ districtus Saxonie inferioris deponeret; omnibus actionibus erga Ecclesias sacras valediceret; Imperii Romani feuda, & telonia restitueret; Glückstadium traderet; belli expensas ferret; omnino Brunsvicensi Ducatu cederet; damna Duci Lunenburgensi incendio causata refunderet; omnibus fœderibus contra Domum Austriacam, & Imperii Principes nuntium mitteret; telonio Sundæ non nisi pristino more uteretur; denique nisi de his omnibus idoneam cautionem præstaret.

Hæc cum Daniæ Rex citra extremum suum damnum facere non posset, neque vellet; uterque Generalis modo prædicto in Holsatiam tetendit. ac mox Tillius non sine periculo vitæ Binneburgum, ubi ictu sclopi petitus fuit, expugnavit; Slickius vero, qui ad dexteram progrediens, Marchionem à Durlach cum suis copiis in angustias insulæ cujusdam redegit, ut vix evadere posset; & Wallesteinius medius Steinbergam feliciter obtinuit. solus Rex Daniæ minimè sibi constans, nunc Crempenam, nunc Glückstadium infeliciter petens; ex desperatione proprias civitates igne injecto

injecto perdidit; & rustici, ut aquæ intumescerent, obices notis in locis opposuerunt. E contrario vero juxta Albim, & Visurgim ad obsidionem arcis Guelphorum, & Nienburgi adhuc Cæsarei, necnon Bavarici excubabant, maxime ut auxiliariis Hollandicis, sub ductu tribuni Morgantii procedentibus, occurrerent. Illas itaq; copias non multo post exceperunt tanta fortitudine, ac prudentia, ut ademptis omnibus impedimentis copias totas disperferint, ex quibus aliqui Visurgi absumpti sunt, & centum circiter in potestatem Cæsareanorum devenerunt. Ne autem Nienburgum, & Guelphorum arx ullo modo evaderet, Tillius relicta Holfatia Ducis Fridlandiæ exercitui, totum se in ditionem Brunsvicensis convertit, serioque illas urbes obsideri jussit. Increbuerat enim fama totum Hollandorum exercitum mox Grolla devicta, in Brunsvicensis ditionem adventurum, ut obsessos liberaret. Quare huic periculo Tillius occurrendum duxit, & obsidendo præfata loca, optima hyberna in Bremensi Archiepiscopatu quæsit, ut quietus lassos exciperet. hujus deliberationis initium sub ipso Tillii adventu fecit Comes Anholtinus juxta Otterbergam, & Stadendam munitionem, cum mille equitibus exploraturus hostium agmina; & cum in Dalwigium Anglorum tribunum incidisset, ex illius copiis duas turmas prostravit, tertiamque disperfit, præter captivos, totum pontium apparatus nanciscens. ex quo postea sequuta est deditio civitatis Northaim. Dux Fridlandiæ interim Itzeho, Wilsteram, Segebergam, & Bredenburgam in Holfatia non sine effusione sanguinis ab utraque parte occupavit, & Slickius copias Durlacensis juxta mare observans deletis duabus legionibus Bernardi Ducis Vinariensis, & Nellii; cæteros ita arctè continebat, ut vel aquis deberent se committere, vel ipsius arma perfringere: acquiserat enim jam octodecim tormenta obsessorum, sperabatque se non multo post cæteras hostium copias deleturum, & signa omnia in suam potestatem redacturum.

Tillius re-  
linquit  
Holfatiam  
Cæsareis.

Anholtinus  
victoria.

Deletur  
copie Durla-  
censis.

Cæsaris  
Bohemiæ  
tendit.

Cæsar interim, ut vicinior esset Conventui Mulhusiano, Pragam bonis auspiciis profectus est, relicto Vien-

næ, ac in tota Austria Gubernatore Cardinale Dietrichsteinio, necnon filio Archiduce, studiis suis sub  
 » optimis pædagogis invigilatur. Ante discessum singu-  
 » lariter laboravimus, ut Austria absente Sua Majestate  
 » reformaretur, quod etiam impetravimus, quando ri-  
 gidissima decreta adversus hæreticos latentes (de qui-  
 bus postea latius) obtinuimus. Pragæ vero ipsemet Cæ-  
 sar reformationi manum apposuit, & non infrequenter  
 designatos Commissarios de fructu hæcenus facto ex-  
 aminavit, tarditatem arguit, & remoras omnes amo-  
 veri mandavit. summe jovit multorū reductioni abjura-  
 tio hæresis paulo ante facta à Comite Wolfgango Mans-  
 feldio, arcano Consiliario Electoris Saxonix. nam &  
 ille insignem suæ mutationis rationem reddidit, tum a-  
 pud Electorem Saxonicum, tum apud Bohemix pro-  
 ceres, & paulo post totam suam ditionem in Bohemia,  
 & multos alios ad agnitionem veræ Fidei viam aperuit.  
 Solum aliquot rustici prope Kuttenbergâ, & Bennisslavii  
 seducti à quodam Silesio profugo apertius obstiterunt,  
 quando alii rustici, nedum coacti, iram dissimularunt.

In vicinia Bohemix erat Palatinatus superior, jam  
 » dudum à Bavaro nomine Suæ Majestatis detentus, in  
 eo sobrie satis reformatio fuerat instituta: nam præ-  
 » ter voluntarios nullus ad ædem redierat, ex volun-  
 tariis tam pauci, ut vix decem possent numerari,  
 qui adhuc plerumque à sociis incolis irridebantur, &  
 » explodebantur. Cæsar itaque sub suo in Bohemiam  
 » adventu monitus ab Electore, instaurationem Religio-  
 » nis in præfato Palatinatu demandavit, quam etiam Ba-  
 » varus in se libenti animo suscepit, strenuam exhibens  
 operam, ut omnes ejusdem provinciæ incolæ ad Ca-  
 » tholicam Religionem reverterentur. in quo notavi fa-  
 » ciliorem omnino fuisse obedientiam, quam in Bohe-  
 » mia, in Moravia, vel Austria; neque enim tot discesse-  
 » runt, aut extrema comminati, ac desperabundi resti-  
 » terunt, sed turmatim, cum aliter non possent, nomen  
 Catholicæ Religionis dederunt. cum autem causam  
 hujus facilitatis requirerem, intellexi ab uno extremo  
 in aliud extremum faciliorem esse transitum absque  
 medio: facilius enim superbus Calvinista, aut rigoro-  
 sus

*Reforma-  
tio Pala-  
tinatus  
Superioris*

sus Lutheranus fiet Catholicus, quam tepidi, ac molles Lutherani, qui semper speciosa pollicentur, & nunquam serio animum applicant veritati, vel minus de Religione solliciti, sordide in suis erroribus securi tota vita sua voluntantur.

Magnam in hac reformatione superioris Palatinatus operam adhibuit Episcopus Ratisbonensis, & Eichstadiensis per suos, quos submiserant, Archidiaconos, & doctos Parochos, quibus Bavariæ Elector congruam sustentationem optimo ordine assignavit ex proximis Ecclesiasticis redditibus, qui adhuc sub titulo fisci, sicut tempore Palatini fuerant; ab ipso Electore, ex singulari indulto Apostolico pro certis annis, & ad causas suas detinebantur, tanta cura Electoris, ut spatio unius anni fere tota provincia ad religionem Catholicam redacta fuerit. Idem longe feliciter præsentis Cæsaris succedebat in Bohemia, ubi plerique Barones ad Comitatus regni pro coronatione Imperatricis, & Regis Ungariæ filii Cæsaris, vocati, Religioni Catholicæ nomē dare satagebant, ut liberiori oculo novam Reginam, & Regem salutarent, & quod erratum fuerat nova fidei professione repararent: quæ tamen à multis contemnebantur.

*Bavaria  
Ducis &  
Episcoporum  
operam*

Omnia videbantur tam coronationibus Imperatricis, & Regis, quam institutæ reformationi Religionis favere; optima enim forte Comes Slickius apud Cimbricam Chersonesum prope Kilam, postquam dudum hostium copias obsedisset, fugiente Marchione Durlacensi cum præcipuis Ducibus via maris, & dissipatis primis legionibus; totam illam partem exercitus Regis Daniæ, quæ eidem Marchioni commissa fuerat, superavit; ademptisque 27 signis peditum, & sexdecim equitum, sine sanguine Cæsaris copiis adjecit; atque ulterius progressus quasi totam præfatam Cimbricam Chersonesum seu Iutiam occupavit. Tillius non minus ad Visurgim, & Albim fere eodem tempore omnes munitiones Regis Daniæ apud Aichem obtinuit, uti & Ottersbergam, quo habito nihil eidem Regi, excepto Nienburgo, & Guelphonis arce, remansit. Infra Bremam erant munimeta Dreyen, & Grolandt Danico præsidio.

*Copia  
Durlacæ  
Cæsari  
accedunt.*

*Tillii ad  
Visurgina  
victoria.*

præsidio munita, ut ex Hollandia copiam per Visurgim Stadam possent deduci. illas adhuc custodiebat Morgantius Anglorum tribunus; verum neque ibidem tuto potuisset consistere, si aliam legionem Tillii impeditam in obsidione advenissent. quare Stadenam pro refugio sibi munierat, ibidemque sibi securam stationem præpararat.

*Turba Constantinop.*

Pari felicitate Cæsaris, Constantinopoli exortus tumultus, ratione Prætoriani militis detrectantis pugnam contra Persam, & irruptio Cosaccorum contra Turcas multis seditionibus fatigatos magnam quietem spondebat. quam ut Turcæ foverent, sedulo iter Legati internuntii ad Cæsarem promoverunt. venerat enim ille Viennam paulo post abscessum Cæsaris, & festinatis itineribus suam Majestatem Pragæ morantem requisivit cum majoribus, quam unquam, muneribus, inter quæ erant septem equi pretiosissimi, & aliquot

*Turcæ urgent pacem.*

plaustra aulæorū, mirabili omnino demissione, ex metu procedente, ne pax tractata corrumperetur; quare illam ardentibus votis urfit. Hinc liberius Cæsar concepitam Austriæ inferioris reformationem publicari

*Reformatio Austriæ inferioris.*

justit eo tempore, quo ipse in Bohemia morabatur, ne gravius à quoquam molestareretur. Fuerat quidem Austria inferior ante plures annos sub Imperatore Rudolpho, Governatore provinciæ Archiduce Matthia, opera Cardinalis Kleseii ad Religionem Catholicam aliqua ex parte conversa, sed nobiles adhuc plerique Lutheranismum, aut Calvinismum profitebantur, & juxta concessa privilegia, extorsasque libertates tempore Maximiliani, an. 1575, tempore Matthiæ, an. 1609, item an. 1612, & tempore Imperatoris Ferdinandi, an. 1620, in suis arcibus aliisque locis alebant sectarios prædicantes, ad quos non solum subditis, sed etiam aliis licebat excurrere, ac de facto maximo numero diebus Dominicis, ac festis excurrerant ex civitate Viennensi nonnunquam aliquot millia, ex civitate Badenensi quamplurimi, sic & aliunde: neque hoc poterat impediri, nisi Cæsar ipse videretur suis verbis deesse. Verum ipsi hæretici hac libertate abutentes paulatim in maximum numerum excreverunt, seditiones concitarunt in

*Abutuntur sua libertate hæretici.*

concio.

concionibus suis frequenter, Catholicos calumniati sunt passim, schemata spargentes, & quod damnosissimum erat, Lutherani cum Calvinistis se miscuerunt nova, & inaudita reconciliatione. ab iisdem enim prædicantibus Lutheranis Calvinistæ putativa sacramenta adulterata recipiebant, hoc sibi persuadentes, nihil obesse, si crederent in Synaxi sua, nihil aliud esse quam figuram, & speciem sacramenti, quod Calvinistis sufficiebat, nam cum ipsorum Eucharistia in solo usu consisteret, tuncque tantum esset sacramentum, quando actu ipso sumitur, etiam in modo usus consistere volebant, eaq; ex fide interna distinguebant, ita ut præsentia corporis Christi ex fide sumentis penderet, si sumens erat Lutheranus verum Christum sumebat; si Calvinista, tantum figuram habebat. eodem fere modo ludebant in aliis mysteriis Fidei controversis, quæ jam communiter adiphora fiebant, & in gratiam Calvinistarum à Lutheranis omittebantur, vel à Calvinistis, tanquam infirmitates sociorum, tolerabantur, donec etiam illa non expurgarentur. Quare Cæsar, qui jam dudum Calvinistas juxta leges Imperii proseripserat, etiam adulteratos Lutheranos severo edicto proseribere voluit, prout infra in ultima parte referemus.

*Dolus Luth-  
theranorū*

Paulo post amotis jam prædicantibus, de constituendis Ecclesiis, ordinandisq; Parochis non levis orta fuit difficultas. Hæretici enim Barones, ac Comites plerumq; Catholicorum Sacerdotum redditus, in decimis, agris, pascuis, vineis, & similibus suis fortunis miscuerant, scripturas Ecclesiæ omnes absconderant, jamque extra hominum memoriam erat, quid, quale, quantum ad quemlibet Parochum spectaret. suis pseudoministris vile stipendium præter casu obvientes proventus assignaverant, qui redditus cum doctrina corresponderent. Verum Catholici Sacerdotes tali penuria contenti non erant, sic neque operarii reperiebantur. præterea Catholicos Sacerdotes præsentare hæretici negligebant, ne vel proderentur, vel subditi tandem ad Fidem Catholicam redigerentur. Hinc Cæsar omnes, & singulos Austriæ proceres severo edicto moneri voluit, ut statim Catholicos Sacerdotes præsentarent; honestam

*Edictum  
Caesaris cō-  
tra Baro-  
nes & no-  
biles hære-  
ticos, pro  
institutio-  
ne & su-  
stentatione  
Parochorū  
Catholico-  
rum in  
Para-  
chia.*

*Alia  
remedia,  
contra  
hæreticos  
predicātes*

Itam sustentationē assignarent, registra reddituum pro-  
ducerent, & magna quiete Catholicos ministros ad ex-  
ercitium Religionis Catholicae admitterent. Quae ni-  
si infra paucarum hebdomadarum terminum expleret,  
jure suo pro nunc in Parochiales Ecclesias deciderent,  
& Ordinarii loci, seu Episcopi cura esset Ecclesiis de-  
sufficienti Parocho prospiciendi. Quia vero in aliqui-  
bus locis Austriae audaciores Barones predicantes deti-  
nebant, & illi haud libenter patria excedebant, Latrun-  
culatori Austriae imperatum fuit, ut illos in Sicitzens-  
dorf arceret, aut ligatos Viennam perduceret, atque in  
opprobrium omnium sectariorum catenis affixi ad ope-  
ras in mœnibus urbis condemnarentur. Cum autem  
innotuisset, plures ex seductoribus, etiam praeter de-  
cretum Caesareum Vngariam petuisse, rigorosissimis  
scriptis Caesar Palatinum regni monendum duxit, ut  
sibi suoque regno à tam periculosis novatoribus ca-  
veret, illos arceret, & omnem societatem, commer-  
cium, & subditorum familiaritatem illis interdiceret.  
Similis fere diligentia nobis adhibenda fuit in civi-  
bus Viennensibus, aliorumque oppidorum, destituti et-  
enim commoditate blateronum prope oppida, eandem  
venabantur in Vngaria, etiam ad decem, vel plura mil-  
liaria excurrentes, ne scelerata sua doctrina, umbrati-  
cisque Sacramentis destituerentur. Alii etiam desertis  
suis domibus, in Vngariam penitus studebant commi-  
grare, filios abducere, hæreticis de foris elocare, &  
mille technas, quo in errore suo perdurarent, adinve-  
niebant. Praecipue molestissimus nobis fuit librorum  
impressor Lintziensis hæreticus, qui cum suo prælo in  
Vngariam migraverat, & hæreticis Vngaris gratus, ut  
sua sectae libros familiariter haberent, pertinaciter de-  
fendebatur, & jus emigrationis magna dicacitate pri-  
vabatur: attamen illum bibliothecam circumferen-  
tem in Vngaria, per Archiepiscopum, & Palatinum re-  
jici curavimus.

Obstabant etiam Austriacorum reductioni invetera-  
tae consuetudines plerosque subditos Dominicis, ac fe-  
stis diebus operibus, ac vecturis gravandi, & judicia  
instituenti, ita ut vix locus relinqueretur sacrae instru-  
ctioni

tionem, & multo minus solemnem Sacrificio. Quibus omnibus mature contrariis decretis occurrendum fuit.

Celebrabatur interim *Conventus Electorum Mülhusii*, (quæ Electoris Saxoniae est civitas in Thuringia) in quo cum Rex Daniae, & Fredericus Palatinus pro eorum delegatis, quos ad *Conventum* destinarent, fidem publicam petissent; repulsam receperunt, & postea cum dudum de restitutione pacis, ac reconciliatione offensorum actum fuisset, multique putassent Caesarem in ordinem reducendum; nihil præter voluntatem Suae Majestatis decerni potuit. habebat enim exercitum tantis victoriis nobilitatum, ut jam toti Germaniae auderet, & posset imperare. Legiones aliquot ex Valle Tellina recenter in superiorem Germaniam ad Vlmam, & Norimbergam appulerant, aliae in Franconia detinebantur, & Wallesteinus etiam Mülhusii timebatur, Elector Saxoniae pacem desiderabat, illam & alii Principes urgebant; sed Caesaris Legatus Stralendorfius non nisi pacem Religionis Passavii traditam concedi posse probabat. Illa ut publicaretur, & confirmaretur ab universo Imperio, nonnulli instabant. verum neque hoc maturum omnibus videbatur. nam & Saxoniae Elector, & Elector Brandenburgicus non parum tali decreto tangebantur, neque adhuc tota Germaniae difficultas evacuabatur.

*Conventus Electorum Mülhusii.*

*Quid Caesar per Legatum suum Stralendorfium in puncto Relig. probabat, & quid Electores, & alii.*

1, Tandem ab omnibus conclusum fuit, ut Fredericus Palatinus quam citissime supplex ultro veniret coram Imperatore, & sese quam maxime humiliaret, veniamque commissæ suæ felloniae deprecaretur modo, & forma pro tali delicto consueta, & ad conservandum Suae Caesar. Majestatis auctoritatem hætenus usitata.

2, Ut renunciaret, tam pro se, quam pro suis descendentibus in perpetuum nulliter factæ suæ electioni, & coronationi in Regem Bohemiae, pro dicto regno, & conjunctis, seu incorporatis provinciis.

3, Pariterque per felloniam amisso renunciaret Electoratu.

4, Ut pariter renunciaret, & abnegaret omnia pro se, & nomine suo, seu in ejus gratiam, & favorem inita

foedera præterita, præsentia, & futura; omniaque consilia, & media, quæ contra Imperatoriam Majestatem, Imperiique fideles status ullo modo urgere possent.

5, Et licet ipse Palatinus omni jure obligatus esse rependere, & restituere omnes omnino bellorum sumptus, & incomoda hæcenus causata, & sui causa perperam; cum tamen illi impossibile esset hæc omnia refarcire; penes Imperatoris clementiam stabit, quamnam hoc casu, & quantam illi gratiam conferre voluerit.

6, Acceptatis à Palatino, completisque hisce conditionibus, Imperator eum absolvet ab incurso, & declarato Imperii banno, eumque in gratiam recipiet, & portionem aliquam de propriis Palatini ipsius bonis eisdem, & posteris suis pro libito sua Cæsarea Majestas assignabit.

7, Ut unanimitas mutua, & sincera inter Imperii status affectio reintegraretur, & continuaretur, Cæsar gravamina publica, seu statuum contra se invicem querelas; jam dudum ab ipsis propositas (in quantum de jure inclusum, & submissum erat) ex Imperii constitutionibus, & legibus publicis, quamprimum definiret, neque permetteret, ut ullus ex Imperii Statibus ab altero contra jus, fasque offenderetur, aut opprimeretur.

8, Quod si Palatinus, ipsiusque fautores, & affectus has condiciones non acceptassent, sed ulterius belli aleam experiri maluissent; obtulerunt Majestati Cæsareæ sese omnes Imperii Electores in Conventu congregati, unanimiter velle etiam omnibus suis viribus, & auxiliis, in quantum potuissent, sublevare, & adjuvare contra præfatum Fredericum Palatinum, omnesque ejus adherentes, seu belli consortes, quicumque, vel cujuscunque conditionis illi fuissent, dummodo tamen conditiones, subditi, & bona ipsorum Electorum, aliorumque sociorum nullis aliis militum Imperialium stationibus, commissionibus, conductibus, quarteriis, & depopulationibus, & similibus gravata, aut infestata fuissent.

9, Ultimo decretum fuit, ut hoc ipsorum Electorum Principum unanime conclusum omnibus aliis Imperii statibus aut per viam publicam Comitiorum, aut

aut saltem per circulares Conventus pro unanimi omnium Imperii statuum approbatione quamprimum notificaretur, publicaretur, & in effectum emitteretur.

Vacaverat jam pridem Ecclesia Halberstadiensis tum per obitum ultimi intrusi Christiani Ducis Brunsvicensis, tum per illegitimam illius postulationem, nunquam à Cæsare, nunquam à Sede Apostolica probatam, ob notoriam inidoneitatem postulati, qui quamvis in parentis, ac fratris sui locum plurimorum suffragio successerat, nihilominus nullam de assumenda Religionem sperem dederat, sicut parens præbuerat, nullumque indultum civile habuerat, sicut parens impetaverat. De Electoribus etiam non exigua erat quæstio; nam Canonici Cathedralis Ecclesiæ ut plurimum erant sectarii male promoti, & majori ex parte criminis læsæ Majestatis rei. Quare de his omnibus agendum fuit cum Cæsareo Capitulo. Cæsar libertatem electionis nullo modo tentabat præpedire, non tamen volebat inidoneos admittere, nec facile tali ditione tot sumptibus occupata totaliter cedere; neq; privati erat nobilis, aut Baronis in tantis turbis Ecclesiâ à seditiosis propugnare. De Archiduce igitur Leopoldo Guilielmo cogitatum fuit, à quo quidem non pauci Canonici, ut à Catholico, ac præpotenti abhorrebant; sed magis suis præbendis destitui, & propter seditiosum decretum, alias à toto Capitulo, reclamantibus paucis Catholicis, edictum, præpostereque defensum, castigari metuebant. attamen cum Cæsar omnes Canonicos in suum patrocinium accepisset, clementissimamque suam gratiam obtulisset, illi spe restorationis, protectionis, & immunitatis Archiducem Leopoldum liberis suffragiis elegerunt; postquam Ecclesia illa fuerat in manibus hæreticorum per 90 annos. Commendaveram paulo ante eundem Archiducem Sanctissimo Domino nostro, pro obtinenda Abbatia Hirsfeldensi per obitum Archiepiscopi, & Electoris Moguntini vacante, quæ non minus præpotentem manum contra Hassiæ Regulos requirebat, cujus opera à tam gravi præsidio liberaretur, quo plurimum affligebatur, impetra-

*Electio  
Leopoldi  
Guilielmi  
in Episcopum  
Halberstadiensem,  
postquam  
dignus  
Episcopatus  
fuerat in  
manibus  
hæreticorum  
spatio  
naginta  
annorum.*

*Provisio  
Apostolica  
Sereni  
Leopoldi  
Guilielmi  
in Abbatem  
Hirsfeldensem*

impetraveramque gratiam Romæ, quæ tamen postea non parum controversa fuit. nam Abbatia illa jam dudum in manibus Mauritiæ Hassiæ Landgravii filiorum sustentationi serviebat, & maximi momenti difficultates cum Saxonæ Electore, variisque Regulis sustinebat, qui omnes Catholicum, & multo magis provissum Apostolicum excludebant, in quo neq; omnes Catholici consentiebant: nam Ordinarius loci jus devolutum, & Ordo S. Benedicti, cujus illa quondam fuerat Abbatia ex simili Prælatura Fuldensi jus Religionis, ac Monachismi tuebatur. quæ tamen omnia evincere oportuit, ut Leopoldo Guilielmo Imperatoris filio, imo ipsi Imperatori præter jura nihil volenti, satisfaceret.

*Reducuntur monasteria Ordinis S. Benedicti Archiepiscopus Austria in unam Congreg. ad instar Cassinensis.*

Mentio Ordinis Sancti Benedicti memoriam excitat, ut de eodem Ordine in Austria aliquid dicamus. Habet enim is Ordo sicut in universa Germania, ita & in Austria, celeberrima, & creberrima cœnobîa, Melvicense, Kremphanense, Coltwicense, Viennense, Mariazellense, & pleraque his similia. Horum Prælati divisi inter se nullo vinculo, nisi externa habitus specie conveniebant, & traditionibus, ac usu, seu abusu potius, loco certarum constitutionum vivebant. In Congregationem itaque illa cœnobîa redigi curavi, accedente summa pietate, & optima voluntate Abbatum, necnon postea consensu Pontificio; ita ut unus illorum esset visitator, penes quem esset auctoritas cæteros visitandi, puniendi, & quod magnum fuit, Prælatum constituendi. qua sanctione non uni malo alienationis bonorum sacrorum, sed parentum alimentationibus, negligentis, dissensionibus, monasticæ disciplinæ, economicæ incuriæ, aliisque corruptis moribus occurrimus; proximeque ad disciplinam Cassinensis Congregationis, quæ in Italia celeberrima est, accessimus; licet Ordinarii locorum tam sanctum, & laudabile opus multum postea oppugnarint.

*Diversa provisiones in favore Catholicorum contra hereticos.*

Frequentissime interim fiebant ad favorem Ecclesiæ expeditiones in voto Electorum, & Müllhusino Conventu fundatæ. Halæ Suevorum Magistratui imperatum fuit, ut Parochum Catholicum à præposito Elvacensi submitendum prompte reciperent, eidem bonæ Ecclesiæ

Ecclesiastica omnia consignarent, in ecclesia S. Spiritus sacros Ministros restituerent, & pristina illis emolumenta, mobilia, ac immobilia suorum beneficiorum assignarent. In Ecclesia Argentinensi præter capitulares domus, de quibus diximus, maxima violentia facta fuerat Catholicis, paulo post transactionem Passaviensem Augustæ anno 1555 confirmatam, neq; tunc ob bella Gallica vindicari potuit tantum hæreticorum facinus, quod adeo excrevit, ut anno 1561 cives excitata seditio Canonicos urbe pepulerint, ecclesiam Cathedralē invaserint; prædicantes instituerint; Catholicum Religionis exercitium abrogaverint; cives Catholicos è tribubus deleverint; illosque deinceps nunquam ad curam, & ministeria urbis admiserint. Quare nunc Cæsar rogatus à Decano, & Capitulo restitutionem Cathedralis, necnon Parochialium ecclesiarum cum omnibus redditibus, juribus, & judiciis, una cum tota supellectili sacra cujuscunq; valoris illa fuerat, serio sub pœna mulctæ quinquaginta marcarum auri imperavit, cum expresso mandato, ut deinceps omnibus, & singulis civibus liberum concederent ad Catholicorum ecclesias, & exercitia accessum, prout publicæ pacis fuit transactio: juxta quam etiam voluit Sua Majestas, ut omnibus suis decretis obtemperarent; contraria, si quæ in contemptum, damnum, & opprobrium Catholicorum cessissent, prohiberent, revocarēt, & irrita declararent, ita ut nemo propter amplius Fidei Catholicæ professionē arceri posset vel à suo Senatu, vel ab aliis officiis. si quid autem adversum ista haberent, quantocius unū vel plures Legatos ad Cæsaream Aulā transmitterent, qui ad interrogata responderent, causas denegatæ obediētiae explicarent, & servato juris rigore, severiorem, & faciliorem sententiam expectarent.

Pari zelo Cæsarea sua Majestas propagationi Catholicæ Religionis studiosissima, non solum urbium Imperialium subditos in ordinem reduci curavit, sed aliorum Regulorum subditos ad unitatem Fidei provocavit. sic Duci Neoburgico persuasit, ut cæterum suæ ditionis, quod hætenus in fratrum illius fuerat potestate, ad Catholicæ Religionis statum perduceret. Quod Neobur-

*Decisio  
Cæsaris  
in materia  
Religionis  
in favore  
Ducis  
Neoburgi  
Catholici,  
contra  
Ducem  
fratrem  
hæreticum.*

Neoburgicus magno zelo non omisit, multaque hoc faciendum argumenta indubie ante tredecim annos de industria in divisione hæreditatis inter ipsum, & fratres illius Augustum, & Ioannem Fredericum inserta, adinvenit, probavitque ex vi pactorum subditos omnes illius juris tam in profanis, quam in sacris permansisse, solumque usumfructum fratribus Palatinis fuisse concessum. Quare Cæsar, sic instante Duce, repetita conventionem alias facta, mandavit præfatis Palatinis, ut servato jure suo ad usumfructum loco pignori assignatum, fratri Wolfgango Guilielmo in rebus, quæ Fidem spectabant, promptam obedientiam præstarent, vel à suis subditis illam præstari permetterent; mandum ut omnes paci publicæ sese accommodarent, neque quidquam aliud profiterentur in materia Religionis, quam quod ipsorum hæreditarius dominus se profiteri gloriabatur, ab illo etenim servatum fuisse jus, tam in civilibus, quam in sacris legibus, ac moribus, aliquid statuendi, corrigendi, & pristinam Religionem postliminio restituendi, quod illi liberum foret quandoquocunque voluerit.

*Cæsarei occupant totam Holsatiam, & Cimbricam Chersonesum.*

*Rex fugit in interiora Daniae.*

Favit tam bonæ intentioni Cæsareæ Deus, & adhuc ante hyberna militum, totam Iutiam, totam Sliswickiam, Ditmarsiam, atque Holsatiam Cæsar suis armis subjecit, paucis locis exceptis. Rex ipse Daniae pudore suffusus interiora Daniae petiit, ubi Ordines, & plebs lasciviens ipsum impetivit, pacemque etiam iniquis conditionibus postulavit, & deinceps illi inutiliter belligeranti parere detrectavit. Filius ipsius Regis inter parentem, & Ordines medius, dum nunc hos, nunc illos studeret placare, luxato pede vix non tibiam confregit, quod Dei monitum non pauci ad instar parentis sui monitum in moenibus Hammeliæ ante biennium suspexerunt, judicaruntque reprimendos pedes nimium veloces ad effundendum sanguinem. Inter fugiendum Rex sexaginta navibus tres legiones Kolbii, Slammersdorfii, ac Slabatae cum turinis aliquot equitum Reingravii commiserat; ut præsidia Selandiæ, Fionia, aliarumque provinciarum firmarent. verum Cæsarei mare sulcantes, octo ex his navibus cum aliquot

quot militibus invaserunt, & eorum opera postmodum ipsum regnum infestarunt, & Bauditium desertentem primam insulam vix attigerunt; redeuntes autem Cæsareæ copiae, sexaginta, & amplius signa reportarunt.

Desperatam Daniae plagam miserantes Hollandi, praecipue Amsterdameses, quibus felicioris fortunae spes ex interitu Daniae decidebat; omnem moverunt lapidem, ut mole sua collabescens sortem sociorum erigerent; quo mare Balticum, & Sweticum, ubi celeberrima, ac creberrima sua habent emporia, servarent. Quare plures naves armarunt, & per eorum Legatum Laurentium Realem aliquando in Indiis maris Praefectum, praesidia duorum millium sclopetariorum Regi Daniae eorum impendiis alendorum obtulerunt, per quos ipse angustiis Sundaë consulere, ne ipsis aditus in Poloniam, Prussiam, Rugiam, & Sueciam praeccluderetur ab Austriacis, & Hispanis (quod maxime cavendum arbitrati sunt) insuper & alios quatuor mille (Regi tamen merentes) submittere promiserunt. Sed Rex paulo amplius fidei Hollandorum concedens, quam Cæsareanorum tam gravia praesidia recusavit, fretumque Sundianum suis praesidiis munire contentus promissas auxiliares copias alibi quidem collocandas non detrectavit. Sunda vero illas exclusit: nam verebatur, ne si semel tam potentes hospites admitteret, etiam ab ipsis non minus, quam à Cæsareis suo praecipuo commodo, praecipuoque fortalitia destitueretur. Quae commercia inter Hollandos, ac Danos una cum responsis, causis, & rationibus hincinde ventilatis postea in manus Cæsareanorum devenerunt. nam transmissus Legatus Hollandorum Laurentius, Deo sic permittente, tempestate in terram Intiaë jactus, & à Cæsareis interceptus, Pragamque deductus, per annum Viennae detentus fuit, non sine Hollandorum gravissima indignatione, quod ipsorum Legati à Cæsareis haecenus amicis, aut saltem non inimicis, hostiliter detinerentur, quam tamen detentionem Cæsar ob tam iniquae legationis commercia prudenter excusavit.

*Hollandi offerunt auxilia Regi Daniae per eorum Legatum Laurentium Realem.*

*Rex non fides Hollandis renuit eorum auxilia in fretum Sundianum.*

*Legatus Laurentius maris tempestate in Intiam jectus devenerit in manus Cæsareanorum.*

Hollandi,

Hollandi, ut similia officia continuarent, Caesaris  
 gravissime incommodarent; quatuor mille equites  
 aliquot sclopetariis pararunt, quibus si minus Daniæ  
 saltem Stadam, aliosque aditus ad Albim, quæ Ham-  
 burgum spectant, uti & illos, quæ Visurgim Bremen-  
 versus attingunt, liberarent. quod ut mature Tillianis  
 prævenirent, expugnationem Nienburgensis oppidi ac-  
 celerandam censuerunt, neque enim illa jam sexto mē-  
 se, mortuo Governatore Limbachio, valde difficilis vi-  
 debatur. nihilominus obsessi non despondentes animi  
 aliquoties hostiles impetus sustinere, donec tandem  
 oclusis aditibus omnibus militi auxiliatori, & summa  
 indigentes falis, ligni, pulveris nitrati, deditiois con-  
 ditiones proficuas obtineri posse cognoverunt. quæ  
 etiam, ne postea amitterent, ambabus ulnis amplexati  
 sunt, & cum impedimentis omnibus, ac tribus tormen-  
 tis bellicis, armis, & comœatu per triduum, abscesse-  
 runt, militesque solum Ducis Luneburgici, ad quem lo-  
 cus iste alioqui spectabat, admiserunt. Horum exem-  
 plum imitari volentes obsessi in arce Guelsonis, quæ  
 unica Danicis remanserat trans Albim, summopere ti-  
 mentes impetum aquarum, quæ jam in altitudinē pla-  
 tearum excreverant; inter alia à Pappenheimio libe-  
 rum abscessum petierunt, si modo ad Regem Daniæ  
 salvi deduci possent. Quod cum in se suscepisset Pappi-  
 heimius, de modo solliciti, naves, quibus mare trans-  
 mitterent, & secure navigarent, postularunt; ac dein-  
 de Duci Vlrico Frederico arcem cedere voluerunt. Ve-  
 rum Pappenheimius postremam conditionem recusans,  
 detrectans etiam tormenta omnia bellica, quæ ibidem  
 asservabantur, concedere; obsidionem continuavit.  
 Tillio interim universam dicecesim Bremensem, pau-  
 cis renitentibus, invadente, legiones duæ Regis Da-  
 niæ Nerbrod, & Bernardi Geist retrocedentes ad mu-  
 nimentū Bremerforden, illud festinatis operibus sum-  
 me munierunt. reliqui verò Morgantii Stadenam urbem  
 petierunt. Verum non multo post etiam legiones duæ  
 præfata, traditis signis, sese non difficulter Tillianis ca-  
 stris submiserunt. turmæ equitum sub Comite Dorten-  
 berg adhuc circa Hostenum fluvium excubantes, so-  
 ciorum

*Nienbur-  
 gense  
 Oppidum  
 post sex  
 mensum  
 obsidionē  
 venit in  
 manus Til-  
 lii, pactis  
 honestis  
 conditio-  
 nibus.*

ciorum exemplo perterritæ, in Hollandiam regredi, quam ulterius progredi maluerunt, præcipue adulta jam hyeme illis in locis rigidissima, & ob frequentes aquas periculofissima: atque ita vix aliquid præsidii reliquum Regi Daniæ etiam ad Visurgim remansit.

His ad Septentrionem tam fæliciter pro Cæsare procedentibus, in Bohemia adornabatur coronatio Ferdinandi Ernesti, & Imperatricis Leonoræ. quorum solennitatibus cum dies 18, & dies 29 Novemb. fuissent indictæ, illis diebus universi Bohemi Pragam ascendunt, & partes sibi concreditas obierunt. novum ibi videbatur de ordine Ecclesiastico introducto, qui à ducentis, & amplius annis locum non habuerat in cessionibus Statuum regni, sed tanquam externus, aut tanquam coronæ Regiæ insertus habitus fuerat, sic in litibus, in iuribus, in expeditionibus, semper duplicia jura Ecclesiasticis imponebantur, & illorum non secus atq; causa alicujus Vngari, Poloni, aut Germani agitabatur. hinc mirum non erat, si plerique illorum jura sua negligenter, aut desererent, quando non nisi gravissimis de causis decidebantur; quæ à triginta annis fuerant sopita, illa extinguebantur, tabulis regni nihil sacrum inscribatur, & vix actio civi, aut nobili contra Ecclesiasticum denegabatur. è contrario autem, nunquam, vel rarissime Ecclesiasticus cōtra proceres regni audiebatur. Hinc gravissimus erat Ordinis Ecclesiastici contemptus, vilipendium, & continuum fere miserrorum Sacerdotum gravamē. quod ut auferretur, jam pridem me suggerente, Cæsar illum pristino suo decori restituendum decreverat. imo jam pridē, ut in cæteris regionibus totius Europæ, illi primum locum assignaverat, atq; ita legibus patriis eundem inscripserat. executionem tamen decreti demandandā usq; ad primam Ordinum convocationem, & non nisi præsentē Cæsare, judicatum fuerat, ut tumultus evitarentur. Quare ante omnia in ista Ordinum convocatione mandatum fuit, ut deinceps Ordo Ecclesiasticus inter Ordines regni, & primo quidem numeraretur; ita tamen, ut post Archiepiscopum, Clerum repræsentantem, regni Gubernator locum haberet, & sic ordine suo responderet.

Y

Pro-

Comitia  
Bohemica  
“

*Propositio  
Caesaris in  
Comitiis  
Bohemis*

Proposuit Cæsar in primis Comitibus, regni instaurationem, legum novarum observantiam, vicinorum Principum amicitiam, perpetuam pacem, hostium, si ingrederent, rejectionem, limitaneorum arcium defensionem, promptum armorum apparatus, deperditarum ditiorum recuperationem, & hæreditarii filii sui coronationem, ad quam omnes Ordines invitavit. Dum antea de prioribus consulere, & tum Imperatricis, tum filii coronatio adornaretur, noviq; regni Magistratus instituerentur, Corona regni caute associata Pragæ delata fuit, illam postea indictis diebus stylo Romano invariato Archiepiscopus Pragensis inconsultis, consentientibus tamen Ordinibus, utrique Majestati solemniter imposuit, idque solum cautum fuit, ne filius vivente parente regni gubernacula aggrederetur.

*Coronatio  
Imperatricis in  
Reginam  
Bohemiam.*

Igitur 18 Novembris cum in Pragensem Cathedralē aulae varia pictura contextis, & ex auro laciniatis ornatam descendisset Imperator, coronam habitumque induens Imperialem; comitante Ungariæ Rege, ordinario suo, privatoque habitu vestito, (qui dum ceremoniæ peragerentur, suo in solio, quod unico gradu erat Imperiali demissius, sub sua umbella ex eodē latere sedebat) Imperatricem postea advenientem non solum suæ mulieres, Aule regni que innumerabiles patritii, sed etiam Cardinalis ab Harrach Pontificali habitu indutus, & alii Prælati cum mitris viginti numero partim Episcopi, partim Abbates comitati sunt. Postea coronationis actus juxta Ecclesiæ ritus peractus fuit, hoc tantum addito, quod uno eodemque tempore Imperatricis capiti coronam imposuere unus ex Prælatibus, qui fuit Cardinalis ab Harrach, tamquam Archiepiscopus Pragensis, & unus ex secularibus Baro de Walstein, tanquam Burggravius, & primus inter regni Magistratus, atque una Monialis Ordinis S. Benedicti, nempe Abbatissa monasterii S. Georgii, quod est intra regalem arcem Pragensem; quæ quidem sicut Principissæ titulum refert, ita & in toto coronationis actu in capite coronam gemmis contextam gestavit, & Imperatrici serviens eandem vestis extulit, tamquam prima in Cæsareæ Majestatis famulatio. Peractis in Ecclesia ceremoniis, & plurimis

rimis auditis bombardarum, & scloporum fragoribus aliquot turmarum, quæ in diversis arcis plateis consistebant, in Aulam, in qua Dietæ congregari solent, perventum fuit. ibi in quadam tabularum contignatione, decem supra humum gradibus erecta, in prælonga mensa, superbo apparatu nitente discubuerunt Cæsareæ Majestates, Rex Vngariæ, ambæ Archiducissæ filia, Mariana, & Renata Cæcilia, Cardinales Dietrichstain, & ab Harrach, Ego tamquam Apostolicus Nuntius, & D. Franciscus Moncada Marchio Aytonæ Catholicus Orator. Tali autem ordine confessum est: Cæsareæ Majestates in capite; ad dexteram in principio mensæ, Rex Vngariæ; ex eadem parte paulo inferius in scamno, quod rubro villoso serico coopertum erat, ambæ Archiducissæ sederunt; ex earum regione existens Cubicularius Imperatoris, dividendis ferculis Regalibus personis, inservivit. paulo inferius è regione posterioris Archiducissæ nostrum scamnum positum fuit etiam villoso serico rubro coopertum, ac æque è nostra regione unus S. Majest. Trufces nobis ministravit. In Aulae vero planicie decem aliæ mensæ paratæ fuerunt, in quibus juxta morem septem regni majores Magistratus cum aliquot Principibus, & centum circiter quadraginta nobilibus mulieribus comederunt. Nocte in S. Laurentii monte multi missiles ignes apparere; sequentibus diebus duo Equitum ludi spectati sunt, quibus moderator, & caput præfuit ipse Rex Vngariæ; cujus quidem coronatio postea die 29 secuta est; à solo tamen Cardinali ab Harrach, non à Burggravio, coronatus est.

Coronatio  
Ferdinandi  
Tertii  
in Regem  
Bohemia.

Peracta utraque coronatione, Commissarii reformationis Religionis in universam Bohemiam concesserunt, ut officio suo tam in instruendis idiotis, quam in reprehendis, ac corrigendis obstinatis fungerentur. quo vero major esset horum Commissariorum auctoritas, alios Cæsar ad singulas urbes misit, qui ærario, & politicis intenderent, legesque recenter editas executioni demandarent. iisdem etiam imperatum est, ut singulari studio Religionis Catholicæ promotioni invigilarent, Cæsarisque mentem omnibus explicarent. quia tamen plures Bohemiæ proceres nondum seriam Majestatis

Continuatio  
reformationis  
Religionis  
in regno  
Bohemia.

statis suæ mentem intellexerant, & rarius audebant sibi effingere tarditatis excusationes; S. M. terminum ultimo mensis Decembris expirantem, ad alios quinque menses duxit: ita tamen, ut quilibet sibi persuaderet, hunc terminum fore ultimum, & post hunc nemini amplius indulgendum; adhortans de novo interim omnes, & singulos peramanter, ut sui rationem habentes considerarent proprium statum, miseram ignorantiam, qua præpediti se ipsos in perpetuum infidelitatis abyssum præcipitarent.

Occasione autem, quod D. Baro de Done supremus Aulae Magister Regis Vngariæ, necnon Consiliarius secretus Imperatoris, vir pietate, & prudentia in tota illa Aula, atque in tota Germania nemini secundus, datus è propriis redditibus supra quinquaginta millia florenorum ad redimenda Ordinis Teutonicorum bona, ut vulgo dicunt Commendam, quæ Ægræ erat hæreticis antea oppignorata (quæ erat domina Ecclesiæ principalis, & Parochialis illius civitatis, atque aliarum viginti Parochiarum, quæ sunt in Comitatu) ut illam Religioni Sancti Ioannis adjiceret, cuius ipse D. Baro Eques erat, prout ego ad ipsius preces à S. Sanctitate obtinueram; Speciales Commissarii à S. M. destinati fuerunt, qui præfatam Commendam cum omnibus ecclesiis recuperarunt, & ejectis hæreticis prædicantibus toleratis, ob jus Imperiale, ac Saxonicum, Catholicos Parochos introduxerunt non sine incolarum strepitu, qui initio quidem mutationem difficulter admiserunt, transmissis Legatis ad Saxonem, necnon ad Cæsarem, per quos petierunt ad minus jure Imperii usitata transactioni Passaviensi posse relinqui. verum apud Cæsarem, qui jure belli etiam præfatam civitatem Ægrensem ad obedientiam perduxerat, ista frustra dicta fuere, coactique cives parere, quod forte non fecissent, nisi prius turmæ equitum in urbem admissæ seditiosiores compescuissent, & castigatis aliquibus ceteros deterruissent. In principali ecclesia post aliquot menses fuit fundatum Collegium P. P. Societatis Iesu à Comite Slickio, cum maximo fructu animarum illius civitatis & districtus. Adornabatur initio anni 1628, omnium expectatio-

ne fructuosissimi, tandem aliquando post victorias non  
 minori cura Religionis instauratio. in Silesia, & War-  
 tenbergæ primum litteræ Cæsaris publicis valvis affi-  
 xæ fuere, quibus seria restitutio ecclesiarum idoneis  
 personis ab Vratislaviensis Episcopi Legato Preinero  
 destinandis, magna modestia imperatum est; ut si pri-  
 mi conatus non succederent, fortior manus adhibere-  
 tur, prout postea adhibita fuit contra Iagendorfenses,  
 Troppavienses, & Kosellenses: quibus adhuc pertina-  
 cius resistentibus præfidiarii fuere impositi. Danorum  
 interim exercitus pene deletus trans Albim, & mare,  
 tradito Niemburg, se recepit; dimissis etiam præfi-  
 diariis, qui hactenus Guelfoni arcem occupaverant,  
 quorum loco Pappenheimenses recenter successerant,  
 & civibus, ut tanto securius pro Cæsare excubarent,  
 arma ademerant: ita ut solum cis Albim servaretur  
 Daniæ Regi Stadena, à Tillio tamen undique muni-  
 tionibus cincta, quæ & comeatum prohibebant, & obsessio à  
 novos præfidiarios aliquoties conatos ingredi arcem  
 non desistebant. Quare Stadenses de conservando oppi-  
 do dubitare cœperunt; maxime impetrata non ita pri-  
 dem Vertena arce, quæ primaria sedes fuerat Archie-  
 piscopi Bremensis, & Stadenis vicina, ac commoda,  
 quorum præfidiarii Danici sub duobus signis valde im-  
 minuti juxta pacta deditiois Stadenam deducti plus  
 oneri, quam subsidio obsessis, lignorum, & salis ino-  
 pia laborantibus, fore cognoscebantur.

Desperatis itaque rebus Danicis, statim de maris Bal-  
 tici dominio, & de servanda Crempena, & Glücksta-  
 dio præcipua sollicitudo Regis fuit. Quare sub initio  
 anni celebrem Conventum Ordinum regni Daniæ, ad-  
 missis etiam Legatis Hollandicis, necnon Suecicis, in-  
 stituit, ut de reparanda fortuna deliberaretur. Ordines  
 quidem Daniæ bella pertæsi, sedulo pacis rationem in-  
 culcarunt, clarisque illam rationibus suaserunt, mox  
 nihil reliquum fore, si miles Cæsareus tam frequenti  
 numero regionibus illis admitteretur, & vicinas circū  
 Regiones, occupata jam tota Marcka Brandenburgica,  
 & Mechelburgensi, & Pomeraniæ ditionibus, fluvio-  
 rum ostia, & portus insideret. Hollandi vero & Sueci

Fructus  
 an. 1628  
 amplissi-  
 mi.

Exercitus  
 Danorum  
 profugus.

Stadena  
 obsessio à  
 Tillio.

Comitia  
 Danica.

*Legatio  
Hollando-  
rum.*

ex ulteriori bello divergium sibi promittentes nihil omiserunt, quo Regi vindictam spiranti, eandem ut facilem ex possessa adhuc Crempena, & Glückstadio persuaderent: in quem finem Hollandi sua auxilia tam liberaliter obtulerunt, ut illinc multi in suspensionem ambiti regni ab ipsis devenerint; crediderintque huc etiam spectasse tam liberalem promissionem unius legationis, quam Laurentius Realis ipsorum nomine, prout diximus, ad Sundæ transitum, eorumque etiam impendiis extra ordinem aliorum auxiliatorum tuendum obtulerat; videlicet eo fine, ut optimam regni partem, imò optimum Orbis vectigal pignoris loco suæ Hollandiæ obtinerent.

*Postulata  
Cæsaris a-  
pud Lube-  
censes.*

E contra Lubecæ Cæsarei Legati congregati cum Wallesteinio, & Tillio de oppugnandis reliquis conditionibus Regis deliberantes, maxime in tanta navium inopia, quas tamen ad occupandas insulas omnino necessarias nullus dubitabat, à Lubecensibus illas multis precibus, ac deinde gravioribus rationibus in medium productis, contenderunt. verum Lubecenses hactenus mediū sese à bello Danis perpetuo vicinis inferendo excusarunt; & ne ad illud auctoritate majori adigerentur, culpam omnem in reliquas Anseaticas civitates, à quibus vel maxime dependebant, singulari studio rejecerunt. quare Cæsarei tantum exiguo navigiorum numero instructi, glaciem crassiorē expectarunt. verum, cum illo anno tam densa non fuisset, de transitu in Daniam desperarunt. Cæsar tamen, nequid omisisse videretur, Comitem Swartzenburgum Aulæ Præfectum ad civitates Anseaticas ablegavit, ut instituta nova ratione commercii addicentes auxilia navium contra Danos impetraret. Verum cum horū difficillima inter diversissimos ordines, plerumque proprium commodum tantum spectantes, deliberatio in sextum mensem extracta fuisset, nihil effectum fuit.

*Triumphus  
Pragæ de  
captivis &  
vexillis.*

Nobis jucundum fuit videre Pragæ recenter à Comite Slickio adēpta quinquaginta signa peditum, & quadraginta sex equitum, quæ ex castris Danicis in triumphum magno tubarum, & tympanorum strepitu deducta, ac Cæsari per Præfectum Principis Wallesteinii una cum

na cum octoginta captivis, duobus Tribunis, & triginta Capitaneis oblata fuerunt, & postea Viennæ in Sacello D. Virginis Lauretano, in Ecclesia Sancti Augustini erecto, ad opprobrium hostium, & perpetui trophæi monumentum suspensa. captivos Cæsar Pragæ aliquandiu attineri iussit, ac postmodum jure belli, clementissime tamen cum ipsis agens, eosdem, prius accepta fide, quod spatio sex mensium contra S.M. non essent militaturi, dimisit: Laurentium Realem diligentius asservari, & Viennam sub custodia mitti iussit; nam is in Indiis pluribus annis Hollandicis copiis Præfectus majoris videbatur experientiæ, & rerum Germanicarum peritiæ, quam ut tam facile dimitti posset. Quare eundem vidimus ad sextum mensem detentum, sapius examinatum, & sapius à submissis Religiosis ad Catholicam Fidem, si forte resipiscere voluisset, invitatum, sed semper nulli Fidei addictum, atheum potius, quam hæreticum se professus est.

Magnum exercitum illis diebus Cæsar collegerat in limitibus Sweviæ sub Comite Wolfgango à Mansfeldt sexdecim millium, & amplius peditum, ac mille quingentorum equitum, qui circa Vlmam hyberna fixerant, omnibus metum incutientes, ingenitesque pecuniarum collationes instituentes. De hoc exercitu variæ tunc erant conjecturæ; exortis enim tumultibus Italicis ob Vincentii Mantuæ Ducis obitum, & Ducis Niversensis controversam possessionem, multi Italiæ tunc metuebant. Alii Helvetios continendos dicebant, ne dum fœderatis Argentinensibus, Vlmensibus, Norimbergensibus, aliisque civitatibus Imperialibus imperarentur sacrarum fortunarum restitutiones juxta mandata, præpedirent. Nonnulli etiam exercitum ad omnem eventum, vel in Vngaria, vel in inferiori Germania applicandum judicantes, eundem ibidem optime detineri censebant, ut secundo flumine, ubicunque necesse foret, evocaretur. Vnum constabat, propter illius exercitus præsentiam, hæreticorum animos, alioquin ad novas spes erectos, plurimum concidisse. Daniæ Rex nedum de Germaniæ auxiliis diffidens, magnam spem in civitates Imperia-

*Novus  
exercitus  
Cæsaris in  
Sweviæ,  
& in quæ  
finem.*

*Fruſtus  
illius ex-  
ercitus.*

Imperiales propter Religionis inſtaurationem, & bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutionem multis in locis publicatam, & univerſaliter præparatam, offeſas re-  
poſuerat; eratque, qui foedus contractum fuiſſe dice-  
ret, cujus ſe primarium Ducem Marchio Durlacenſis  
etiam aſcitis in ſocietatem Gallis gloriabatur, ſed hæc  
omnia conſilia (fugiente Marchione) per hujus exer-  
citus conſtantiam diſſipata ſunt, hoſtes extenuati, &  
Cæſaris auctoritas vel maxime fuit per Imperium ſta-  
bilita.

*Varia ex-  
equutio-  
nes.*

Quod de reſtitutione Catholicarum eccleſiarum di-  
cebatur, notavimus propter pericula generalis alicu-  
jus ſeditionis, commotis nonnihil Helvetiis, quos tan-  
tæ copię excitaverant, nedum omnino maturam fuiſſe  
mandati concepti publicationem, exercitus tamen præ-  
ſentia multis in locis, præcipuè apud Swevos, ubi fre-  
quentiſſimæ ſunt civitates Imperiales corruptæ, non  
parum ſacrarum fortunarum reſtitutionem promovit,  
illo etenim præſente, liberrime Cæſar Epifcopo Au-  
guſtano, me inſtante, mandavit, ut pagos ſibi ſubditos  
omnes, & hæreticorum, Proteſtantiumque dominorum  
hactenus refractarios ſecundum tenorem tranſactionis  
Paſſavienſis, Catholicæ Religioni obtemperantes red-  
deret. Quod idem Leopoldo fratri imperavit, ut Cam-  
piduni, Memmingæ, Colmaria, & alibi in ſuperiori-  
bus hæreditariis regionibus attentaret. Magno etiam  
Ordinis Teutonici Magiſtro commiſſa fuit inſtaura-  
tio præſci ritus oppidi Bopſingenſis, Nortlingenſis,  
Aulen, Drinckelpulhii, & Gemundii, ſervata pace  
Paſſavii.

Fuere hæc certe prænuntia futuri decreti Genera-  
lis, ut præſente exercitu initio factò, minus alibi, ab-  
ſente forte, ſentirentur, vel pertinaciores adigerentur.  
Memmingæ enim militum motus ſtatim binas eccle-  
ſias pro Catholicis expreſſit. Lindavii etiam ſexcentis  
militibus ſemel admiſſis, ſecuriſſimi Cæſarei Legati,  
Comes Hugo de Montfort, & Epifcopus Conſtantien-  
ſis claves oppidi, domus Prætoria, & armentaria, re-  
ſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum non ſine inſigni  
fructu ſpiritali urgere cœperunt, & Ulmenſes hæc-  
nus

nus rigidissimi solum ad strepitum vicinorum militum per Legatos, dicto Cæsaris sese fore obedientes promiserunt.

Apud nos in vicina nobis superiori Austria terminus emigrationis omnibus nobilibus, Catholicæ *Austria reformatæ* Religionis, indictus, non longe distabat. quare certatim proceres Cæsaream Aulam accesserunt, ut ejusdem termini extensionem impetrarent; impossibile enim multis videbatur, temporalibus bonis tam cito renunciare, cum turbatis adhuc rebus, nec justus emptor, neque æquum precium inveniretur. ideo prolixiorem terminum, & perpetuum, aut saltem diuturniorem accessum, ac recessum in propriis hæreditatibus postularunt. Verum cum res periculo non careret, & plures mecum notassent dilationes istas, non nisi in spe mutationis fortunæ Cæsareæ, (quod facile, vel morte, vel bellis Turcicis supervenientibus, vel novis seditionibus enascentibus potuisset contingere) inniti, præcisa longiori dilatione, proxima hebdomada Sancta ante Paschatis instantia solemniter, fuit ultimus terminus emigrationis constitutus: bonorum vero quorumcumque venditionis terminus septem mensium concessus, quo tempore accessum, & recessum liberum modestiæ haberent, vel aliud Cæsaris judicium opperirentur. Serio interim Cæsar per Comitem de Trautmansdorf Arcani Consilii Consiliarium apud Electorem Baviaræ cessionem superioris Austriæ urgebat, pro qua Sua Majestas hæreditariam donationem superioris Palatinatus eidem Electori pia commutatione offerebat, & subditi ipsi Austriæ magis erga Cæsarem, quam erga Bavarum propensi, non contemnendam summam signati auri sexcentorum millium florenorum liberalissimè addicebant. In Bohemia vicani propter indictam Catholicam Religionem insolentiores non exiguum metum nobis incusserunt, præcipue illi, qui Pragæ, ubi tunc eramus proximi, ac magno numero congregati, Senatum Costliciensensem ferro, & igne castigandū statuerant, & in ditionibus Liechtensteinii, ac Baronis à Treska contra Præfectos investiti, aliquos male mulctarant, aliosque insidiis præoccupandos,

pandos, ac delendos sperabant, ut sic Catholicæ Religionis jugum ipsis sola obstinatione molestissimū quocunque modo excuterent.

*Tumultus Bohemia.* Hinc constans fama incrementum à singulis suscipiens, non solum Bohemiam, sed magis alias orbis partes pervaserat de vicinis, qui Cæsarem Ferdinandum in venatione opprimere constituerant, eumque cum sua Aula ad laqueum damnare. ad cuius famæ rumorem nos omnes inhorruimus, magis quando Cæsar evocatis quatuor mille militibus per Wallesteinium vicinos illos comprehendi, ac nisi modestiæ locus foret, penitus deleri præceperat. ex quorum rigidiori examine postea constitit, jactari verba incondita à sceleratis contra Catholicos, eorumque primarios promotores, à quibus nec Cæsareæ Majestatis dignitas excipiebatur. auctor tamen talis conspirationis in Vngariam, ac postea ad Turcas mature evasit, & secundarii aliqui rigidissimis tormentis subacti, pœnas temerariæ conceptæ seditionis, ac parricidii luerunt.

*Militum concursus.* Evocaverat hic tumultus, (quem verebantur omnes initio fore in Bohemia universalem) ex Germaniæ medietate ad limitem Bohemiæ, in ditionem scilicet Norimbergensem, & Bambergensem quadraginta quatuor turmas equitum, sub ducibus Helbron, Merode, Montecuculo, Isolano, & Fourio, sed sedato tumultu, iis opus non fuit, quare in iisdem limitibus prope Francofurtum hæserunt. Qua occasione Comes de Hanaw dudum controversam Præfecturam Schligteranam, Ecclesiæ Herbipolensi jure debitam, ejusdem Ecclesiæ Episcopo coactus fuit restituere, enixis precibus contendens, ut decursorum fructuum gratiam obtineret. cujus exemplo ceteri Protestantium non parum contreriti, de restitutione aliquando sacrarum fortunarum facienda nihil dubitarunt.

*Progressus Religionis in Palatinatu.* Faciliorem progressum etiam invenit Catholica Religio in Palatinatu, ubi præter omnem spem, qui pessimi aliquando fuerant Heidelbergæ, Germerlheimii, Altzeii, Neostadii, Crucenaci, Simmerii, Kurchenheimii, Cæsaris literis felici quadam necessitate illos ad Christum compellentibus, Catholicam Religionem ample-

amplexi sunt. Hagenauæ integra civitas initiata fuit Catholico ritu, & Spiræ, (restituta P P. Dominicanorum ecclesia) magna pars civium hæresim abjuravit. Francofurtenses, in eorum civitatem instante Cæsare, cujus nos literas, & mandata procuravimus, instante etiam Archiepiscopo Moguntino, P P. Capucinos admiserunt. Ratisbonenses à Cæsare moniti, ut cum Catholicis mitius agerent, istis diebus publicas supplicationes per omnes urbis plateas etiam insolitas, quas hucusq; non obierant, tolerarunt, & novæ Ecclesiæ sectariæ, ut Catholicorum Ecclesiis valedicerent, fundamenta jecerunt. Soli Argentinenses, cæteris omnibus pertinaciores, Cæsaris placita scissis animis publicarunt; nec statim parere volentes, nec continuo eadem rejicientes, in aliud tempus eorundem executionem distulerunt, hoc interim reverentiæ Cæsareis literis deferentes, quod nocte, dieque eisdem excubias addiderunt, ne ab insolenti plebe discerperentur, & culpa in universum Senatui redundaret. Pertinacissimi Franckendalenses, (quorum una erat sententia potius locum, quam Religionem mutare) cæteris à præfidiariis militibus liberatis, aut valde sublevatis, plures præfidiarios, quam cives numerarunt.

Iam pridem de Metropolitana Ecclesia Magdeburgensi laboratum fuerat; illa enim indebite cõmendata fuerat Ioachimo Friderico Brandenburgico, qui cum contra Cæsarem arma gessisset, & Legationibus obeundis implicatus, à Sua Majestate proscriptus fuisset; ipsos Canonicos offenderat. Quare metuentes ne dignitas ad Catholicum devolveretur, & ipsi ad Catholicam Religionem adigerentur; Electoris Saxonix filium secundogenitum postulare deliberarunt, ut si primo administratore destituerentur, saltem suæ sectæ validum Mecanatum victori Cæsari opponendum nanciscerentur. Quod cum scivissem, retulissenque Cæsari, ejusq; ministris, instans ne cunctarentur in remediis adhibendis, ob multa mala, quæ inde oriri poterant, Sua Majestas per certum hominem Pseudocanonicis sub gravissimis pœnis præter ipsam actus nullitatem, interdixit, ne in Archiepiscopi electione, seu postulatione procederent:

*De Archiepiscopatu Magdeburgensi dispositio.*

*Cæsaris li-  
tera ad E-  
lectorem  
Saxonia.*

cederent: Electori vero Saxoniæ per literas significavit, quod cum tanta ei voluntate esset astrictus; tamen cum ille se ingereret in nova electione Archiepiscopatus Magdeburgensis, & curaret, ut aliquis ex propriis illius eligeretur; non posse salva justitia talem Catholicorum injuriam permittere; cum supradictus Archiepiscopatus post transactionem Passaviensem ab hæreticis fuisset occupatus, pro qua causa non potuerant Catholici in Camera Spirensi prosequi multas alias causas pro restitutione aliorum bonorum Ecclesiasticorum ab hæreticis occupatorum, nolentes hæreticum quemlibet recognoscere pro legitimo Archiepiscopo Magdeburgensi, ad quem secundum Imperii constitutiones spectabat esse relatores causarum. Addidit præterea Cæsar, quod cum multas auri myriades pro præfato Archiepiscopatu recuperando impendisset, eos non nisi in divinum servitium relaxare se velle. quare eum amice admonebat, ne aliter sentiendo esset ipsæ causa, & origo novorum tumultuum, & bellorum in Germania; se enim firmissime statuisse, nolle permittere in Imperio hujusmodi inconvenientia. sed hæc nostræ diligentia conamina nullum effectum habuerunt: nam post aliquot dies Pseudocanonici se excusarunt, quod ante receptum mandatum S. M. Principem Augustum Electoris Saxoniæ filium in Archiepiscopum postulassent. ipse quoque Elector Saxoniæ S. Majestati respondit, cum duos dies ante literas S. M. oblatas consensisset, ut Augustus filius postulationem acceptaret, se jam non posse sine sui honoris jactura permittere, ut eandem renunciaret. Quare novis, & violentioribus remediis uti necesse fuit; & ideo S. M. iterum scripsit Electori, se non posse à præscripta mente, neque ob publicum Imperii commodum, neque ob privatum proprium recedere. constituit præterea virum magnæ auctoritatis, ut compulsis populis Principatus Magdeburgensis, Archiepiscopatus subjectis, ad præstandum novum juramentum fidelitatis, & obedientiæ Sux Majestati, illius possessionem, & dominium armata manu retineret, & defenderet. insuper constituit Commissarios, qui inibi quæstionem haberent contra omnes

*Responsio  
Pseudocanonico-  
rum  
ad Cæsarem  
pariterque  
Electoris  
Saxonia.*

*Nova re-  
media pro  
rejicienda  
postulatione  
supradicta.*

;

mnes supradictos Pseudocanonicos ob diversa capita  
 criminis læsæ Majestatis, cum non minus ipsi, quam  
 eorum præteritus Pseudoadministratores, rebelles contra  
 suam Majestatem & Imperium fuissent. Interea Til-  
 lius, commissa Comiti de Anholt cura obsidionis civi-  
 tatis Staden, cum sex legionibus peditum, & ma-  
 gno equitum numero Frisiam orientalem ingressus, cum suis  
 stationem cœpit, quasi comitatum illum Imperio sub-  
 legionibus, & ad quæ  
 jectum, ab Hollandis occupatum, recuperaturus: sed  
 revera, ut illorum vires diverteret, eisque timorem in-  
 jiceret contra Hispanos belligerantibus. certum enim  
 erat, hujusmodi recuperationem perfici non posse iis tē-  
 poris angustiis, eoque belli apparatu, cum inimici ci-  
 vitate in Emden, & Ten-ort firmissimas arces in sua po-  
 testate retinerent. Meliorem effectum obtinuit Comi-  
 tis de Trautmansdorf cum Electore Bavarix ob supe-  
 rioris Austriæ restitutionem tractatus; licet ab initio  
 habuerit remoram ex postulatione cautionis illarum  
 provinciarum, quas Cæsar in compensationem crediti  
 Bavarici daturus erat, quæ reproducta resolutione Ele-  
 ctorum in Conventum Mulhusii, qua pro suo arbitra-  
 tu poterat S. M. disponere de provinciis Friderici Pa-  
 latini proscripsi; & insuper promittente S. M. defen-  
 dere provincias dandas Bavaro; sublata fuit. præcipua  
 concordix capita fuere, ut daretur libere Bavaro pro  
 se, & suis successoribus Palatinatus superior, una cum  
 quatuor Prefecturis Palatinatus inferioris cis Rhenum,  
 in quibus est Heidelberg Palatinorū antiqua, & prin-  
 cipalis sedes, & Mannheim inter Germaniæ arces mu-  
 nitissima; secundo ut daretur diploma Electoratus per-  
 petui S. Sereniss. Celsitudini, ejusque stipiti. quare per  
 istam concordiam, quæ in principio Maji executionem  
 sortita est, duo gravissima negotia Catholicam Reli-  
 gionem spectantia complementū habuerunt. nam sub-  
 lata fuerunt suspicionum umbre inter Domum Austri-  
 acam & Bavaricam, ex quarū discordiis in Germania;  
 quot oriri potuissent Catholicæ Religionis pericula,  
 & ruinæ; supra retulimus: & in hoc quilibet bonus  
 Catholicus summopere animadvertere debet. Secūdo,  
 quanti fuerit momenti translatio unius voti Electoralis  
 hæretici

Tillius Fri-  
 siam oriē-  
 talem in-  
 greditur  
 cum suis  
 legionibus,  
 & ad quæ  
 sinera.

Concordia  
 inter Cæ-  
 sarem, &  
 Bavarum  
 pro resti-  
 tutione  
 Austriæ  
 superioris.

notandum

hæretici in Catholicum, nemo est tam parum Germanicarum rerum expertus, qui non plene cognoscat, in quo negotio non minus sub Pontificatu Gregorii XV. felicitis recordationis, quam sub isto Sanctissimi Domini nostri Urbani nos laboravimus, & desudavimus, Deo dante vires, & incrementum.

*Litteras patentes Casaris, ut hæretici Moravia, nisi infra sex menses Catholicam Religionem susciperent, discederent ex tota provincia.* Eodem mense per litteras patentes mandavit Imperator Moravis, ut omnes dictæ provinciæ hæretici, nisi Catholicam Religionem susciperent, intra sex menses illa egredi, & inter sex alios, suas omnes fortunas vendere deberent. Reformavit præterea constitutiones omnes, & leges ejusdem provinciæ, illas præsertim quæ contra Religionem, & libertatem Ecclesiasticam erant. Insuper ad præstandum ab illis populis Regi Vngariæ juramentum fidelitatis, necnon ad multa alia necessaria in beneficium eorundem, dietam illius Marchionatus pro fine Maji in civitate Zenoimæ indici mandavit. ideo statim Brunæ judicia ejusdem dietæ præparatoria cœpta sunt, in quibus præter alia, quæ expedita fuere, Baro Bioscus hereticus, & ex primariis illius provinciæ rebellis, non sèra vindicta Divina capite plexus est, ex eo quod inter alia perpetrata facinora Decanum Sarcandrum in principio rebellionum atrocissimis cruciatibus Martyrem effecerat.

*Publicatio Dieta Marchionatus Moravia.* Rex Daniæ infausto nihil attonitus, nec terrefactus augurio, quod incolæ Haffniæ Regiæ suæ residentie conceperant ex repentino fulminis casu, quo Cathedralis campanarum turris diruta fuerat, & in facellum Regium dejiciens omnia antecessorum Regum monumenta quassarat; solvens ex portu cum valida classe appulit ad parvam Insulam Ducatus Holestain Femeren, quam statim occupavit, cæsis quinque Wallonum turmis, quæ ibi in præsidium constitutæ erant. deinde è regione ejusdem insulæ novum propugnaculum extruxit. hinc ad civitatem Kylæ se transtulit, ut ea potius, tutiorem, & liberiores descensum haberet in terram. sed spe frustratus est: nam magno impetu illam oppugnare incipiens, virtute tamen Imperialium rejectus, in Zelandiâ cum paucis navibus recessit, reliquum classis in canali Femeren relinquens ad defendendam eandem insulam,

& pro-

*Rex Daniæ occupat insulam Femeren.*

*Idem rejicitur a civitate Kylæ virtute Imperialium*

& propugnaculum in cōtinenti, quod post paucos dies ab Imperialibus recuperatum fuit, cæsis, & dissipatis multis turmis hostium, qui fugientes in classem ob maris æstum è littore semotam se salvos reddere non poterant. cives Stralsundt ( quæ est civitas Ligæ Hansiaticæ in Pomerania) ob occupationem à Cæsareanis insulæ Rugiæ, & ob propugnaculum ab eisdem erectum in parva insula, quæ est è regione canalis, seu portus civitatis, nimium de sua libertate dubitantes, inito cōsilio cum Rege Daniæ, præfatum propugnaculum stricta obsidione oppugnarūt, ac tandē expugnarunt. quod indigne ferēs Colonellus Arnheim, ad castigandam eorum rebellionem, cum duodecim millibus armatis cœpit obsidere civitatem, sane non valde maturo consilio, ob multa, sed præcipuè, quod non poterat impedire subsidia, quæ per mare ventura erant.

*Cives Hãsiatica civit. Stralsundt deficiunt à fide Cæsaris.*

*Colonellus Arnheim obsidet Stralsund*

Dum per littora Baltici maris tali modo belligerabatur, in tota fere Germania laborabatur in vinea Domini lolium hæresis extirpando. In Palatinatu Heidelbergensi Patres minores strictioris Ordinis observantiæ Sancti Francisci hoc tempore ex Calvinisimo ad Catholicam Religionem reduxerunt civitatem Wolffstein cum adjunctis suis undecim pagis, sic etiam civitatem Stromburg cum duobus oppidis, & quatuordecim pagis, pariter civitatem Monzingensem; Archisatrapiam totam civitatis Cæsaris Lautrensis cum tribus oppidis, & sexaginta pagis; dominium Hohenecken cum quatuor pagis; oppidum Rockenhausium cum sex pagis; arcem Naumburg cum duodecim pagis, & oppidum Oppenheimense.

*Vberes fructus Cathol. Relig. in Palatinatu Heidelbergensi.*

*Cæsaris liberalis donatio quindecim Cruciferorum pro quolibet modio salis regni Bohemia*

Cæsar ad propagandam Catholicam Religionem in Bohemia, quamvis regnum ararium, ob tot & tantas in bellis confectas expensas, haberet exhaustum, in Dei tamen solum protectione confidens donationem quindecim Cruciferorum pro quolibet magno modio salis regni Bohemiæ annuatim statui Ecclesiastico contulit.

*Bohemia statui ecclesiastico ejusdem regni.*

Præterea quia in constitutione statutorum, & Legū regni Bohemiæ aliqua erant ex eis, quæ ambiguitate, & perplexitate laborabant, flagitante Card. ab Harrach, in status Ecclesiastici beneficium aliquas declarationes effecit,

*Civitas Stadē post multorum mensium obsidionē venit in manus Comitū de Anholt patētis honestis conditionibus.* effecit, quas lector videbit infra inter diplomata Cellariæ regni Bohemiæ.

*Advētus in Pragam Ferdinandi magni Hetruriae Ducis.* Haud igitur mirari debemus, si Deus, qui dat affluenter omnibus in eum sperantibus, amplissima Cæsari deo conferre non destiterit, prout eo tempore accidit. nam Comiti de Anholt post multorum mensium obsidionem civitas Staden dedita est, Colonello Morgan, qui eam defenderat, spondente, nec ipsum, nec suos milites sex mensium spatium militaturos contra Cæsare. Quam antequam Praga discederet, ad Moraviæ dictam iturus, quæ in fine Maji, & principio Junii celebrata fuit, Ferdinandum Magnum Hetruriae Ducem cum Principe Ioanne Carolo ejus germano, suos ex sorore nepotes, splendidissime, tanquam Austriæ Archiduces, excepti pariterq; eodem tempore, cum multo honore, & benignitate admisit Antistitem D. Ioannem Baptistam Palottum Nuntium extraordinarium Sanctissimi Domini ob negotia Ducatum Mantuæ, & Montis Ferrati, à me ad S. Majest. introductum. deliberationes postea Dietæ Moraviæ felicissimum habuere successum. quia preterquam quod omnes status illius provinciæ coram Imperatore fidelitatem Regi Vngariæ, tanquam legitimo successori jurarunt; sponderunt etiam, se per singula familiarum capita semel tantum sex florenos soluturos, & pariter illo anno ad muniendas Vngariæ Turcis limitaneas arces unam secalis mensuram per singulos subditos, & per singulas domus civitatum: promiserunt præterea Regi Vngariæ tanquam novo provinciæ Marchioni viginti millia florenorum, totidemque Imperatrici & ministris cancellariæ. quibus firmatis, Rex Vngariæ Marchionatus privilegia confirmavit, & publico juramento comprobavit; ea nimirum forma & tenore, quo ejus parens confirmaverat, & promiserat. Verum Imperator, antequam Zenoima discederet, publicari mandavit novas leges, & constitutiones ab illis populis observandas, præsertim nonnullas circa Religionem reformatas, quæ fuerat antea ab antiquis Regibus Bohemiæ, & Moraviæ Marchionibus hæreticis prolata. in qua reformatione ex ordine Card. à Dietrichstain, & meo multum defudavit Canonicus Ernestus de Platais.

præter

præter hæc Imperator ante suum discessum assignavit statui ecclesiastico in dietis, & similibus provinciæ functionibus primum locum, cum antea ex temporum præteritorum iniquitate non nisi secundum haberet.

In hujus anni fine varii fuerunt rerum Imperialium eventus: nam Krempe arx munitissima Ducatus Holestain post aliquot mensium obsidionem in potestatem Torquati Comitis Ducis Guadagnoli Generalis Imperialium bombardarum honestis conditionibus devenit. sed talem eventum obsidio arcis Glückstadt, in proxima ripa fluminis Albis sitæ, sortita non est, cum subsidia, quæ è mari in ipsam inferebantur, non potuissent impediri. civitas vero Stralsund cum jam vix posset amplius subsistere acriter oppugnantibus Imperialibus qui cum harpagonibus usq; ad muros devæerant, cœpit agere de pactionibus, easq; cum Duce Fritlandt (Pomeraniæ Duce mediatore) conclusit; postea tamen concordia suam non habuit effectum, quoniam cives magno obtento subsidio, cum valida classe navium à Rege Sueciæ (qui ante paucos dies illius civitatis susceperat protectionem) illam amplius servare noluerunt. Hinc non defuit, qui id inconsiderationi, & non solitæ prudentiæ, & perspicacitati Ducis Fritlandt verterit, eo quod conclusis conditionibus, non debebat proficisci Gusteron (quæ sedes est solita Ducum Mechelburgensium ibi proxima) ad capiendam ejusdem Ducatus possessionem, qui ei ab Imperatore ob impensas, & servitia in bellis præstita concessus fuerat, cū prædecessores Duces (quorum familia per quingentos annos dictum Ducatum possederat) rebelles extitissent. præterea non debebat executionis concordia onus Duci Pomeraniæ committere, sed ipse illud in se suscipere, & ante discessum perficere, cum verissimum sit, quod de fortuna asseritur: fronte capillata, post hæc occasio calva.

Venit in manus Ducum Imperialium arce Krempe.

Cives Stralsund tractant cum Duce Fritlandt de conditionibus pacis, & concludunt, sed postea recedunt à concordatis.

Procuratur convocatio Conventus Electoralis Ratisbonæ pro electione Regis Romanorum sed frustra

Interim pro convocando Electorali Conventu Ratisbonæ pro Imperii pace, & electione Regis Romanorum multis consumptis laboribus per multos menses cum Electoribus frustra insudatum est; nam etiamsi Electores promptissimos se ostenderent ad celebrandum Conventum; tamen Cæsari præsentarunt prius

Z

mode

moderanda esse gravamina, quæ omnes Imperii Principes in propriis provinciis ab armis Imperialibus pertiebantur propter exercitus magnitudinem, illiusque violentiam, & rapinam; & ideo quamvis à Cæsare transmissus in Imperium Comes Rambaldus de Colalto, missionem fecisset quindecim millium equitum à servitio Cæsareo, & deinde valde bonas, & prudentes ordinationes circa disciplinam, & vitam militarem reliquis dedisset; non tamen expetitus effectus sequutus est; vel quia remedium non fuit sufficiens, vel quia Principes Imperii voluissent, ut pene omnium militum Imperialium (aliquibus paucis cum exercitu Ligæ Catholicæ solum relictis) missio fieret: quod quidem Cæsar nec poterat, nec debebat præstare; tum propter negotia ejusdem Germaniæ, quæ adhuc ignem malæ voluntatis sub cinere fovebant; tum etiam ob Italiciæ rumores, ac tandem ob pericula, quæ imminerebant propter pacem cum Turcis non firmatam; cuius spernere licet enutrient mutua Oratorum inter duos Imperatores transmissiones, tamen quia adhuc ratificata non erat, in ea quidem fundamentum fieri non poterat; immò, etsi ratificata fuisset; quia jam antea experimento compertum fuerat, eam Turcas tanto tempore observasse; quanto eam frangere non potuissent, cum eorum vires in alias partes distractæ essent; maxime extimescendum erat.

Procedebatur interea ab Imperialibus Commissariis Magdeburg transmissis ad ulteriorem quæstionem contra Pseudocanonicos ob expositas causas: quare illi magnopere metuentes Viennam (quo paulo ante Curia Cæsarea redierat) duos Oratores pariter Pseudocanonicos sectæ Calvinisticæ, ut sese à postulatione facta excusarent, transmiserunt; credentes hac via suæ rebellionis poenas elapsuros. proposuerunt igitur Cæsari Oratores, Capitulum, & omnes postulando filium Electoris Saxonici, credidisse summopere voluntati S. M. satisfacturos, quandoquidem postularant filium Principis tanta Cæsari voluntate conjuncti, tantumque de eo benemeriti; attamen si capitulum, quod crediderat, non erat assecutum, rogabant S. M. ut suggereret opportu-

tunum

tunum factum remedium, quod Capitulo erant repræ-  
sentaturi, ut quoad fieri posset, S. M. morem gereret.  
Cæsar clare perspicuus hos sub vestimentis ovium lu-  
porum animos abscondere, eis per Cancellarium re-  
spondit, ipsos ac reliquos ipsorum socios valde gravi-  
ter errasse in facta postulatione, non solum, quod con-  
tra multa justitiæ capita, secundum Imperii constitui-  
ones, & contra alia non consentanea voluntati S. M. at-  
tentaverant; verum etiam ob eandem causam ab illis  
repræsentatam conjunctionis, & amicitia Saxonis cum  
S. M. quoniam futuri erant fortasse causa, & origo per-  
turbationū, & discordiarum inter duos Principes tan-  
ta animi voluntate in publicum Imperii commodum  
conjunctos. ideo ipsis, qui erraverant sedulo cogitan-  
dum, qua ratione rem cum ipso Saxone possent com-  
ponere. Tali responso perterriti Pseudocanonici Ora-  
tores, & multo magis deinde cum per alios tractatus ab  
eis cum ministris Cæsareis initos rejecti, cognovissent  
constantissimam Cæsaris in hoc negotio, & inflexibi-  
lem voluntatem; pavidi, & animo confusi in sola spe  
protectionis Saxonice nisi discesserunt. Quare iterū Cæ-  
sar mandavit suis Commissariis, ut contra eosdem pro-  
cederent, & quæstionem adornarent. quæ postea quem  
finem habuerit, anno sequenti erit referendum.

*Cæsar re-  
jicit pro-  
positiones  
Pseudoca-  
nonico-  
rum ora-  
torum Ca-  
pituli An-  
chiepisco-  
patus  
Magde-  
burgensis.*

Pari zelo, & pietate Imperator cum ei repræsentas-  
sem, in Stiria, Carinthia, Carniola, aliisque proximis he-  
reditariis Austriacis provinciis reformationem Religi-  
onis optatum finem non habuisse, nec habere posse; ex  
eo quod nobiles, & Barones in mandatis reformationis  
non inclusi, cives, & plebejos clam à suscipienda Catho-  
lica Religione retrahebant; mandavit per particulares  
patentes literas, ut omnes Barones, & nobiles hæretici  
earundem provinciarum intra sex menses vel Catholicam  
Religionem profiterentur, vel egrederentur ex eisdem  
provinciis; permittens tamen illis, ut infra annum  
suas fortunas vendere possent, quemadmodum in Bo-  
hemia factum fuerat. Sed Imperatoris mens decidendi  
hoc tempore in favorem Catholicorum primum statu-  
tum Imperii gravamen, (quod est Religionis) glorio-  
sissima, maximaque fuit omnium, quæ ab introductione

*Cæsaris li-  
tera pa-  
tentes in  
Stiria,  
Carinthia  
& Carnio-  
la, ut  
Barones  
& nobiles  
hæretici,  
nisi infra  
sex menses  
Catholic.  
Relig. sus-  
ceperint,  
deberent  
ex provin-  
ciis disce-  
dere.*



*Gloriosissima, & præstantissima deliberatio Cesaris in favore Religionis Catholicae.* Lutheranae hæresis factæ fuerunt in Germania; licet tot, tantæque difficultates emerferint, quantæ à me, & à multis aliis ministris, multorum mentium labore superatæ sunt; eo tamen magis pietas S. M. Dei ope adjuta reluxit; supradicta tamen decisio in scriptis redacta, (ea forma, & tenore, quo in secunda nostrorum Commentariorum parte describitur) non hoc anno, sed sequenti publicata fuit. tanti enim ponderis res Catholicis Electoribus sedulo consideranda debuit transmitti. Hi vero post maturam considerationem summis laudibus Cæsaris pietatem, & constans animi propositum extulerunt; quibus præconiis annuit ipse Deus, dum post paucos ab ipsa deliberatione dies Cæsarem insigni victoria remuneratus est. nam cum Rex Danie cum sex legionibus peditum, & quindecim equitum turmis occupasset Insulam Usedom, & postea civitatem Wolgast sedem Ducum Pomeraniæ, sperans cum auxilio Regis Sueciæ, ejusdemque populorum Pomeraniæ, majores progressus se facturum, ex adverso Dux Fridlandt, motus cum sex mille peditibus, & mille & quingentis equitibus, ante præfatam civitatem post sex horas certaminis illum vicit, ac majori parte exercitus caesa, fugavit. quare primum in civitatem, deinde in arcem mari circumdatam, unde, cum securum se non crederet, ponte combusto, in classem se recepit: civitas vero à Duce Fridlandt die sequenti capta fuit, & millitum deprædationi tradita, atque arce vesperi cum pactis, & conditionibus recepta, totam ditionem in Cæsaris devotionem confirmavit.

*Rex Dania occupat Wolgast.*

*Fugnat cum Duce Fridlandt, fugatur, & vincitur.*

Paulo post hanc victoriam habui successorem in Nunciatura ordinaria, extraordinarium Nuntium Præsulem Ioan. Baptistam Pallottum, creatum Archiepiscopum Thessalonicensem, nunc Eminentissimum Cardinalem, cujus virtutes, & præclaras animi dotes Italia, Lusitania, & Germania, non aspexere modo, sed suspexere. in eis enim provinciis præstantissima munera, & officia magno virtutum robore, & splendore exercuit. Vienna discessi in fine Octobris, Deo gratias agens, quod in tam longo tempore, quo fui in Germania me ab innumeris periculis bellorum, itinerum, per-

his,

stis, & aliarum calamitatum, quibus obrutus fui, liberasset, & multo magis, quod nulla concessio, nulla pax, nullum indultum, aut quid simile etiam in summis periculis, & ærumnis in præjudicium Religionis Catholicæ concessum fuisset; immò, quod à prima die usque ad ultimam tale, & tantum ipsa Religio crevisset, ut nemo unquam potuisset, non dicam illud sperare, sed nec cogitatione pervolvere. Quis enim credidisset totum Bohemiæ regnum in Religione reformandum, cuius causa ducentorum quinquaginta annorum spatio ab introductione hæresis, tot Summi Pontifices, duo Concilia, & potentissimi Imperatores laborarunt, & tamen nihil, aut parum effecerunt? Quis hoc de Archiducatu Austriae, in quo hæresis maximis erat munita privilegiis, & præsertim de ipsius capite Vienna cogitasset? de hac enim in meo discessu poteram affirmare, quod instante discessu ex hac vita D. Gregorius Thaumaturgus de civibus civitatis Neocæsareæ pronuntiavit. Sed quis sperasset in amplissimis, & præstantissimis provinciis Moraviæ, Stiria, Carinthia, Carniola, Tirolis, & Alsatia, in quibus prius habitabant dracones, oriturum virorem calami, & junci, & populos ambulaturos in lumine Domini? Nec minus credibile videbatur eos in Vngaria, Silesia, Lusatia, uberrimos fructus in Religione Catholica percipiendos, qui postea percepti sunt, cum libertate, & constitutionibus regni, & pessimis literis Majestatis maxime præpedirentur. Nec quidem ulli in mentem venisset, ex utroque Palatinatu, ubi erat sedes Calvinismi, firmamentum hæreticorum, & statua Dagon contra Deum; expulso hæretico, Catholicum exercitium introducendum, infringendam insuper potentiam Palatini, una cum tot Regibus, Principibus, & Rebus publicis conjunctam, ei; auferendum Electorale votum, & Catholico Principi Maximiliano Bavaro, ejusque stipiti, transferendum. Nec quidem sperandi exitus à manibus hæreticorum videbatur recuperatio totius Principatus & Archiepiscopatus Magdeburgensis, nec non Episcopatum Halberstadiensis, Mindensis, Swerinensis, Ratzemburgensis, Principatus Hirsfeldensis, nec non a-

31 liarū Abbatiarum, & Monasteriorum, bonorumq; Ec-  
 32 clesiasticorum, quæ si simul jungi possent, duo maxi-  
 ma regna constituerent. Quis denique sperasset, tot e-  
 lia mirabilia, quæ in augmentum, & propagationem  
 Religionis, & extirpationem hæresis in toto Imperio  
 perpetrata sunt. Verum de his omnibus, ut solebam de-  
 cere Imperatori, & ejus ministris, mihiq; in corde  
 meo, nemo sit qui sibi aliquid arroget, divinam grati-  
 am rapinam suam arbitratus; sed soli Deo, ejusq; Ma-  
 tri Sanctissimæ tota laus, & gloria tribuenda est. Finem  
 imposuimus nostris Commentariis, in quibus aliqua  
 de industria circumscripsimus, & tantum delineavi-  
 mus, alia vix tetigimus, & parum explicavimus, mul-  
 ta reticimus, & reliquimus, quia verissimum est,  
 non alio modo viventem de viventibus  
 posse scribere Commentaria.

*Laus Deo, ejusque Matri Sanctissimæ.*



INDEX